Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Baldassare Castiglione

# Balthasaris Castilionis Comitis. de Curiali sive Aulico, Libri Quatuor

Argentorati: Zetznerus, 1639

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778428311**

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778428311/phys_0001
DFG

II. K. 102.

~~V. 3622.~~

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778428311/phys_0002
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn778428311/phys_0003
DFG

# BALTHASARIS CASTILIONIS COMITIS.

## de Curiali siue Aulico,

## *LIBRI QVATVOR,*

INTERPRETE

*BARTHOLOMÆO CLERKE, ANGLO*

*Cantabrigiensi,*

Ex Italico sermone in Latinum conuersi.

*Quibus accessit*

DE AVLA DIALOGVS

*GVLIELMI INSVLANI MENAPII*

*Greuibrugensis.*

In quo partim refelluntur & deriuantur, partim attenuantur criminationes in Aulam Aeneæ Syluii, & Viderici Hutteni.

*CVM INDICE ACCVRATO ET COPIOSO.*




*ARGENTORATI,*

Sumptibus Hæredum Lazari Zetzneri.

M. DC. XXXIX.




Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778428311/phys_0006
DFG

# ILLVSTRISSIMÆ SERENISSIMAEQVE ANGLORVM PRINCIPI ELIZABETHÆ,

Dei gratia, Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Reginæ, fidei defensori, &c. summa salus cum perpetua felicitate.

EGIT mecum non ita pridem (Illustrissima Princeps) heros nobilissimus Dominus Buckhurstius, vt de Aula Regia tua, & quod multo difficilius est, de tua Maiestate historiolam scriberem. Cui ego etsi tantum debeam, quantum hominem homini fas est tribuere, tamen cum incredibiles tuas tum animi, tum corporis virtutes perspicerem, cum diuinum illud ingenii lumen recordarer, cum te supra hunc sexum, supra istam mortalitatem sapere meminissem: denique cum nulla vox, nullum, vt audio, verbum, ita casu tibi possit excidere, quin sempiternis literis monumentisque decorandum videatur: timebam vehementer, ne, dum tuæ excellentiæ inseruire, clarissimo viro

& de me optime merito satisfacere desiderarem, onus Ætna grauius temere & inconsulto subirem. Atque hic (quod in prouerbio est) lupum auribus tenebam. Nam, & nimium diffidere, insulsi timidique putabam esse: & plus æquo in tam magnis rebus audere, hominis parum considerati. Ista me tam seria deliberatio, cum per aliquantum temporis spatium, anxium & sollicitum tenuisset, tandem mihi venit in mentem, Italum quendam Castilionem, persimili in re egregiam nauasse operam. Quæ si à me in Latinum sermonem non in concinne transferri posset, & stylo meo tanquam coticulam aliquam fore putaui; & ex ea, indicia atque argumenta certissima posse desumi, num tantis conatibus quoquo modo possem satisfacere? Nam, si ego minus Latine, quam ille Italice scripserim (quod valde metuo ne fiat) inanis omnis noster labor, stultumque studium est, futurum, cum nec Anglorum Aula Vrbinatium vlla in re inferior fuerit, & tua serenitas omnibus Æmiliis & Gonzagis, multis gradibus antecellat. Atque hic vicissim in labyrinthum nescio quem incidi. E quo vt me honestius expediam, istuc qualecunque opusculum, diuinæ indoli tuæ, acutissimoque iudicio subieci, vt vel satis in me neruorum ad tantam historiam non dubites, vel contra (si libet) decernas. Quid enim cuiusque censuram vel magis metuam, vel magis expectem, quam

illius

illius principis, quanc Athenas quidem ipsas magis credo fuisse Atticas? Quid est, quod cuiusque sententiam vel de mea ieiunitate, vel de tua præstantia certiorem quam tuam existimem? Nullum mehercule firmius est, quam ipsius virtutis de seipsa testimonium. Quo circa si tuæ maiestati (quo es candore & clementia) facultas nostra tantis inceptis non indigna videatur (quæ mihi quidem multo indignissima videri solet) & ego me illis addicam laboribus, qui omnium sunt difficillimi, & tua amplitudo, vtcunque res ceciderit, sui semper simillima erit. Quæ cum ab Apelle solo pingi debuerit, Zeuxim aut Protogenem, vel aliquem vtroque longe inferiorem non dedignatur. Isthæc sane qualiacunque sunt, si læta fronte aspexeris, facileque & in optimam partem interpreteris: non dubito, quin languentes iam diu & elingues literulas nostras, ipso vultus tui splendore mirifice recreaueris. Quibus ne nimium diffidere videaris illud ausim polliceri, multo pleniorem purioremque orationem Latinam deinceps fore, cum meam ipse Mineruam verbis aptis & conuenientibus insequar, quam nunc, cum alienis inuentis meas sententias accommodem: Istis præsertim in rebus, quæ nobis fere inusitatæ, Latinis temporibus prorsus ignotæ fuerunt: vt sunt ille in rebus amatoriis facetiæ & sales, tripudia noua, ludicra inaudita, propositiones auriculares,

circulares quæstiunculæ & imperata: in re vero militari, iocosæ pugilum concertationes, ars insultoria, equorum per incerta spatia excursus, eorundem in gyrum reductio, ludus Arundineus, denique pompæ, spectacula, triumphi, & eius generis alia infinita, quæ in hoc libro nusquam non occurrunt. Ea antiquis scriptoribus insueta, aut potius peregrina, si à me apte (aut saltem non inepte) exprimantur, non dubito, quin hæc celsitudo tua approbet: de reliquis bene aut certe mediocriter confidat DEVS interim OPTIMVS MAXIMVS nostram te nobis Phœnicem quam diutissime seruet incolumem.

*Maiestati Tuæ*

*humilimus*

Bartholomæus Clerke.

AM-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778428311/phys_0010
DFG

# AMPLISSIMO VIRO DN. THOMÆ SACKVILLO, EQVITI AVRATO, DOMINO de Buckhurst.

COnuerti aliquando tandem (heros nobilißime) te hortante, quatuor illos Caſtilionis libros ex Italico ſermone in Latinum & vt interpres, & vt Orator, ſententiis eiſdem, vocibus ad noſtram conſuetudinem accommodatis. In quibus non verbum verbo reddidi, ſed genus verborum vimq; reſeruaui. Hæc etſi Idibus Nouembris inceperam, tamen & ea legatione, qua tu in Galliis honorificentißime functus es, & parliamento noſtro (in quo Aſcriptitius eram) auocatus iſtæc omnia intra ſex menſes, non tam voluntate meâ, quam neceßitate impulſus exegi. Quæ quo minori ſpatio ſunt concluſa, eo maiore mihi opus eſt vel authoritate tua, vel gratia, vel patrocinio. Multa enim hic vel celeritate abortiua eſſe poſſunt, vel incuria prætermiſſa. Sed ita ſit nec ne à multis hominibus (ſed iiſdem fortaſſe non prudentißimis) maledicti mihi conuitiiq; periculum imminet. Nam etſi doctorum ſemper prudentiumq; iudicium candidum atq; amicum ſit: alii tamen moroſi & difficiles (vt aliquid ſcire videantur) hæc, inquiunt, olent Senecam, illa Cæſarem, iſta Liuium cum interim nec Senecam vnquam viderint, nec Cæſarem, aut Li-

uium primis labris deguſtauerint: alii iuueniles & temerarii cum ſuis Nizolius occurrent, & quicquid in illis non repererint, minime Ciceronianum dicent, cum ipſe Cicero, ſi nunc viueret, & Caſtilionis libros transferendos ſuſciperet, nouam verborum ſententiarumq; vim adhiberet, quod ipſe de ſe ingenue confitetur, cum Demoſthenis atq; Æſchinis orationes conuerteret. Male igitur & perinic; faciunt, qui regula Lesbia Ciceronem Nizolii ſtateris ſemper librant, cum Ciceronis imitatio non tam in verborum aucupio, quam iuſto quodam ſententiarum pondere atque numero conſiſtat. Nec ego illum Ciceronianum exiſtimo, qui ad Nizolium quotidie tanquam indicem recurrat, ſed qui ſua Minerua eundem reficere poſſet, ſi illius liber omnino exuſtus eſſet. Neq; tamen Nizolium non approbare videri me velim (nuſquam enim reiicio, quem nondum ſcio) ſed cum illius librum ſuo melle multos fucos alere videam, non tam ipſi Nizolio (cuius induſtriam & memoriam reuereor) quam Nizoliſtis inuideo. Ipſi interim Ciceroni (cui aliquid fortaſſe debere videor) tantum meo iudicio non attribuam, vt aut illum ſolum aut illum ſemper imitandum putem. Nam aut ita tragica narratio incidere aliquando poteſt, vt illius verbum languidius appareat, aut ita humili genere ludicra deſcribantur, vt illius oratio grauior, & voces grandiores videantur. In altero itaq; (quod ille quoq; præcipit) hiſtoricos conſector in altero Comicos. Huius ſane ſum ſententiæ: Cæſarem amo, Liuium admiror, pro Cicerone (ſi nunc ſpiritum duceret) emori poſſem: horum tamen nemini ita obli-

obligatus esse volo, vt aliquid Senecæ aliquando uon attribuam. Concisæ illius scio & præfractiores sententias esse, sensus tamen inest longe omnium acutissimus, qui si ab homine sciente Ciceronis viribus, & lacertis torqueatur, diuinum in se aliquid habere videbitur. Iniuriam itaque faciet & pene mihi Lorarius erit, quisquis me Ciceroni relegauerit, cum ego relegatus esse nolim, iis præcipue in rebus, quæ perinde Ciceroni ac mihi sunt peregrinæ: quarum in istis libris permagna copia est. Vides hic (amplissime vir) quam multa de veterum scriptorum imitatione adiecerim, quod eo feci, facilius vt intelligeres, quam in me iniurioſi essent, qui nihil hic nisi Ciceronis verba expectarent. Qui si in me liberius maledictis & conuitiis insultent. ego non honorificum solum patrocinium, sed opem etiam subsidiariam à te efflagitabo. Quæ si mihi præstiteris (quod vehementer spero, cum ad istos me labores impuleris) & de me vt soles honorifice promereberis, & tute tibi nonnihil proderis dum eas literas quas olim in Academiæ vmbraculis imbibisti, commentando, scribendoq; renouaueris. Vale, & Deus te omni in re fœlicem quam diutissime beatumque esse velit. Londini ex ædibus tuis Sackuillensibus, 12. Calend. Octobris. Anno Salutis 1571.

Honori tuo

deuinctissimus

Bartholomæus Clerke.

## THOMAS SACKVILLVS, DE BVCKhurſt, Bartholomæo Clerke.

NVlla cauſa eſt (optime Clerke) cur vel hominum difficilium inſcitiam, vel iuuenilium temeritatem vereare: quod ſi te forte conuitiis inſectentur, verba dum ſint, ſibi ipſis magis quam tibi nocebunt. Sin verba ad rem peruenerint, oratione tua ſatis vapulabunt. Illis ſi meum iudicium (quod ſentio quam nihil ſit) præiudicium eſſe poſſit, facile intelligent, me non illa ſolũ admirari, quæ tantillo tempore diuiniſſimè ſcripteris, ſed omnibus etiam neruis pro tenui facultate mea defenſurum. Sed quid eſt, quod tu vel meis ſubſidiis indigeas, vel aliorum impetus metuas: Tune literarios homunculos maledicere audere putas, cum Illuſtriſſima Princeps, ſummo iudicio, ſumma literarum ſcientia, primum illum librum, quem ego eius Maieſtati menſe Ianuario detuleram, tam apertis teſtimoniis approbauerit; hic tu ſecurus eſto, nam & in illius patrocinio acquieſces, qua ſol nihil vnquam clarius aut excellentius vidit: & tute æternam gloriam conſequere, qui opus tam egregium & facundum Principi tam auguſtæ & literatæ dicaueris. Vale, & me, vt ſoles, ama. E domo mea Leyviſenſi, 3. Calend. Octobris.

*Tui amantiſſimus*

Thomas Buckhurſtius.

IOAN.

# IOANNES CAIVS BARTHOLOMÆO CLERKE.

CVm te sæpenumero (optime Clerke) Cantabrigiæ nunc differentem philosophice, nunc de iure ciuili disputantem, nunc legentem rhetorice audirem, suaui pronuntiatione actione decenti, dignitate prope singulari: venit mihi in mentem quod de Antonio dici solet, qui melius locutus, quam scripsisse putabatur. Non enim (quod memini) vel apud exteras nationes, vel apud nostros homines, quenquam audiui, qui sine præmeditatione vel tam solide & neruose diceret, vel alios differentes tam numerosa oratione ex tempore refutaret. Iam vero cum Castilionis libros quatuor viderim, quos tu ex Italico sermone in Latinum transtulisti, vtrumq; & eloquentiam, & styluum singularem, in te egregium & excellentem esse obseruauerim. Ex qua re tanta admiratione commoueor, vt diuinum illud ingenium tuum, & incredibilem facultatem tam diu latuisse, & in communem Reipub. lucem antea non prodiisse, vehementer doleam. Quod si apud exteras nationes natus fuisses, nos te suspiceremus, multis scriptor. anteponeremus, conferremus cum optimis. Nunc vero quoniam nostrâs es, vel te negligimus, vel iusto præmio, iustaq; laude priuamus: vere vt dici possit, Nemo propheta acceptus in patria sua. Quanquam in ea doctorum apud nos hominum nonnulla est reprehensio, qui adeo rare scribere solent, vt reliqui eisdem etiam optime scribent, præiudicio quodam obesse soleant. Vtrunq;

in vi-

in vitio est, & illorum incuria, & horum temeritas. Ab vtraq; tu liber es, & propter gloriam iam pridem virtute partam apud nos, & quia Academiæ Parisiensis viri primarij cum in Gallijs esses tuam) vt audio) eloquentiam valde sunt admirati. Ita fama in Academia totius orbis concursu celeberrima propagata nemo reclamare audebit, excluſus & hominum præstantissimorum iudicio & rei ipsius veritate: imo augebit potius. Quid enim difficilius, quam librum aliquem ex aliena lingua pari vi & gratia transferre? quid laudabilius, quam illud ipsum ornate & eleganter facere? quid vero amabilius, quam hominem disertissima lingua, id est Italica scribentem sic interpretari, vt vita lumenq; nunc demum illi accessisse videatur? Castilio vero tuus (mihi crede) si viueret, ingentes tibi gratias ageret, qui etsi antea Italicis præclare, nunc tamen Latinis suauissime loquitur: quod ego hercule non facile putarem fore, nisi factum iam vidissem. Etenim cum in illius libro infinita sint quæ Latinis hominibus inusitata sunt, eadem tamen non Latine solum, sed eloquentissime expressa reperis. Qua de re & tibi gaudeo, & Angliæ nostræ gratulor, in qua ille natus est, quem in ipsa Romana lingua & eloquentia pauciſsimis Romanis scriptoribus non temere postponerem. Vale.

Londini, pridie Calend. Octobris, Anno à Christo incarnato 1571.

EDOVAR-

# EDOVARDVS VERVS,
## COMES OXONIAE, VICECOMES Bulbecke, Dominus de Scales & Badlismer, Dn. Magnus Angliæ Camerarius: Lectori S. D.

CASTILIONIS Itali conuersionem à Clerke meo iampridem susceptam: ornaremne scriptis, & literis meis: an grato tantum animi studio prosequerer: cum sæpe diuque deliberàssem, in ancipites cogitationes distrahebar. Alterum enim facultatis & artificii maioris videbatur: voluntatis alterum, & studii non minoris, vtrumque autem, cum exquisitæ industriæ, tum beneuolentiæ singularis. Feci tandem, & feci certe non inuitus: vt ad id studium, quo librum hunc complexus sum, laureolam hanc nostram qualemcunque adiungerem: ne aut voluntas nostra, quæ summa fuit, sine literis obscura fuisse: aut facultas illa, quæ exigua est, lucem oculosque hominum formidare videretur. Ac in istam quidem Aulici descriptionem multiplices mihi disseminandæ laudes sunt. Nam & Autorem, & Interpretem; & tanti ac potius tantam operis patronam, cuius nomine *ipso augustum plane atque honorificum* opus apparet, vt summis maximisque laudibus exornem, dignum plane ac prope etiam necessarium videtur. Quid enim primum difficilius quisquam, quid præclarius in se susceperit aliquando: quam artifex ille Castilio: qui eam Aulici formam effigiemque expressit; cui nihil addi possit, in quo nihil redundet, quem summum hominem & perfectissimum iudicemus? Atque ita, vbi natura ipsa nihil omni ex parte perfectum expoliuit: hominum autem mores eam, quam tribuit natura, dignitatem peruertunt: & seipsum Castilio vicit, qui reliquos vincit: & natu-

ram

ram superauit, quæ à nemine vnquam superata est. Huc accedit, quam accurata res sit, quemadmodum in tanta Aulæ magnificentia, tanto splendore hominum, tanto exterorum concursu, in ipsis etiam oculis vultuq; principis viuendum sit, præcepta dare. Quibus plura etiam, atque maiora Castilio expressit. Quis enim de principibus viris maiori grauitate? Quis de illustribus fœminis dignitate ampliori? Quis de re militari ornatius, de equorum concursionibus aptius, de conserendis in præcinctu manibus præclarius aut admirabilius? Non scribam, in summis personis, quanta cum concinnitate & præstantia, virtutum ornamenta depinxerit: nec in iis, qui Aulici esse non possunt, quemadmodum aut vitium aliquod insigne, aut ridiculum ingenium, aut mores agrestes & in vrbanos, aut speciem deformem delinearit. Quicquid est in sermonibus hominum, in congressu & societate ciuili, aut decorum atque ingenuum, aut deforme & turpe: id eo habitu illustrauit, vt etiam oculis cerni posse videatur.

Huic tantarum rerum Authori oratori etiam non indisserto, nouum lumen orationis accessit. Latinus enim iam Aulicus, tanquam ex veteri illa vrbe Romana, in qua eloquentiæ studia viguerunt, in curiam nostram vultum retulit, egregio habitu, summo apparatu, admiranda dignitate. Idque factum est Cleiki mei, cum incredibili ingenio, tum eloquentia singulari. postquam sopitam illam suam excitaret dicendi suauitatem: & ornamenta ac lumina, quæ sepositi, ad res dignissimas reuocaret. Ergo maiori laude afficiendus, cumulandusque est: qui rebus tantis, cum essent magnæ: vt maiores essent, maxima lumina & ornamenta adiecit. Ecquis enim aut verborum vim plenius expressit? aut sententiarum dignitatem illustrauit ornatius? aut rerum varietatem artificiosius subsequitur? Ecquis rem grauem cum in sermonem incidit, verbis amplioribus & grauioribus explicat; si familiaris & facetæ, festiuis magis atque argutis? Cum gitur & verbis pure atque ornate, & prudenter dilucide-

que

que sententiis, & toto elocutionis genere cum dignitate scribat: egregium quoddam ex his opus profluat atque promanat, necesse est. Mihi quidem tale videtur, vt Aulicum hunc Latinum cum lego Crassum, & Anthonium, atque Hortensium audire videar iisdem de rebus disserentes. Atq; hæc tanta cum sint, fecit tamen homo non imprudens, vt conuersionem suam vno omnium maximo ornamento illustraret. Quid enim potuit aut ad subsidium firmius, aut ad gloriam illustrius aut adfructum fieri vberius: quam quod Aulicum suum illustrissimæ Amplissimæque Principi dicauerit: in quam non modo Aulicæ omnes virtutes transfusæ sunt, sed diuiniores quædam & plane cœlestes infusæ. Sed huius præstantiam si oratione complecti me posse existimarem, imprudens essem. Nulla est enim tanta scribendi vis, tantaque copia, nullum tam apparatum orationis genus, quod illius virtus non superet. Persapienter igitur interpres iste talem quæsiuit operis patronam, virtute præstantissimam, ingenio sapientissimam, Religione optimam; doctrina vero cum ipsam excultissimam, tum in aliis etiam literarum studia exornantem. Quæ si sapientissimorum principum clarissima insignia, si florentis reipub. certissima præsidia, si optimorum ciuium ornamenta maxima, & suo merito, & omnium iudicio, semper sunt habita: ea & authoritate tueri, & præmiis amplificare, & nominis sui titulo insignire: res profecto cum omni Principe digna, tum nostra videtur Principe dignissima, cui omnis omnium Musarum laus, & literarum gloria tribuenda est.

*Data ex Aula regia, tertio.*
Nonas Ianuarij, 1571.

BAR-

# BARTHOLOMÆVS CLERKE LECTORI S. D.

DAbis mihi veniam (erudite lector) si verbis utar nunc plane fictitiis: idē tute faceres si de istis scriberes: idem Marcus Cicero faciendum putaret, si nunc viueret. Nouis siquidem rebus noua nomina sunt imponenda. Quid enim appellem id quod Angli Courtiership, Itali, Cortegianiam nominant: Aulicalitatem dicere non placet, & qua vox inaudita est, & absona, Curialitatem cogor appellare: quod verbum etsi minus pure Latinum sit, latinizati tamen propius accedit. Virum etiam Aulicum sapius Curialem appello & quia apud Ciceronem reperio eodem prope sensu & quia vocis concinnitas auribus valde placet & quia in tertio istius opusculi libro, adeo frequens incidit viri Curialis atq; Aulicæ fœminæ comparatio, vt Aulicum & Aulicæ toties eisdem sententiis reperire absurdæ cuiusdam κακοφωνίας esset. Idem de illis iocis dicendū, quos Angli merie praks, Itali Burlas vocant. Eos ego ludicra appello, & quia ludo quodam consistunt, & quia vocabulū aptius non occurrit. Quæ cum Pr. Viris Latinæ linguæ, aut inusitata fuerunt, aut prorsus incognita, ignoscī mihi spero, si eadem vtcumq; expressero. Doctorum hominum iudicium nihil metuo, scriptorum præsertim, qui satis sciunt, interpretes in quantas angustias saponumero detrudantur. Noli itaq; illam tibi ipse iniuriā facere (lector optime) aut id aliquando committere, vt Zoili nomine a quoquam designeris. Latine scribere per facile esse scio, & id si tu non diceres, ego tamen concederē. Verum ea concinne literis mandare quæ optimis latinæ linguæ authoribus peregrina viderentur: difficilius est quam facile credideris. Sic est natura nostra, vt infecta plerumq; admiremur facta pro nihilo putemus: & cum ipsi inuenire fortasse non possemus, inuenta statim alienis tanquam tritis & vulgaribus acquiescimus. Quod si nullius momenti iste labor videatur, sepositis nostris, quid in eo tute possis, periculum facito, & si probe quicquam apteq; feceris (quod tamen cuiusuis non est) plane persenties, orationem puram non esse Delphicum gladium, melius q; cum alieno sensu cohærere, Quod cum ita sit, ego te amicum, tu me amicissimum reperies. Vale.

DE

# DE CVRIALI SIVE AVLICO

## *Liber I.*

IN ancipitem cogitandi curam jampridem incidi (Alfonse clarissime) è duobus vtrum esset difficilius: aut tibi negare, quod à me vehementer contendisti; aut id, quod nollem, tandem aliquando suscipere. Nam honesta in re tibi quicquam non concedere, cui tantum deberem, & à quo me plurimi fieri semper intellexi, durum plane videbatur: & id tamen inconsultius aggredi, quod exequi, & ad extremum perficere non possem, indecorũ putavi: illi præsertim, qui, justæ reprehensiones quanti momenti essent, non ignoraret. Hæc postea quam apud me vltro citroque diu egissem: omnino decreui pertentare, quantũ adjumenti hoc tam graue aliis satisfaciendi desiderium, diligentiæ meæ possit adjicere. Fere enim aliis in rebus labores hominum atq; studia non mediocriter excitare solet. Tu igitur à me valde contendis, vt scribam, quæ sit hominum Curialium in Aulis Regis agentiũ præcipua viuendi ratio atque forma, qua freti & Regibus possint tanquam ex præscripto ritu inseruire, & aliorũ omnium beneuolentiam, laudes atque amicitias facilius conciliare: denique qui vir siet, quem ita absolute Curialem appellari volumus, nihil vt desit illi ad tantum nominis titulum, tantamq; verbi dignitatem. Huic tam arduæ petitioni tuæ hoc vnum dico: nisi mihi grauius videretur, à te frigidæ cujusdam & prope

languentis amicitiæ insimulari, quam ab aliis mediocris aut potius exilis scientiæ; excuteretur jampridē è manibus meis iste labor, & anceps studium, ne temeritatis cuiusdam me reum faciant omnes, qui, quam lubricum & difficile sit, satis sciunt, inter tam varias Aularum Christianarum consuetudines, perfectissimam viam atq; methodum, & tanquam florem quendam Curialitatis elicere atque exprimere. Ea enim consuetudinis vis est, vt easdem res nobis nunc jucundas, nunc exosas faciat: adeo vt mores hominum, ritus, vestimenta, habitus, quæ paulo antea magni pretij fuerunt, non ita multo post abjecta & contempta jaceant: quæ vero nullius ponderis videbantur, ea contrà magnas amoris sui faces animis nostris repente commoueant. Luce itaq; clarius existit, vsum quam rationem majoris esse momenti, vel ad res novas aggrediendas, vel ad veteres antiquandas; cuius si quis exquisitam & perfectam rationem indagare velit, facile profecto fuerit, labi, errare, decipi. Quæ cum mihi valde difficilia circa rem propositā vndiq; occurrere videam, excusatione quadam vti cogor, & istum aperte errorē (si tamen error dici debeat) vtriſq; nobis communem profiteri: vt si ego culpæ alicuius nota atq; labe respersus videar, tute ab eadem minime liber aut immunis videare. Non enim minori tibi vitio vertetur, quod onere grauiore amicum depresseris, quam mihi, quod viribus meis rem plane imparem & iniquam susceperim. Veniamus igitur aliquando tandem ad propositam metam, & adeo expressam Curialis viri effigiem formemus, vt princeps, quicunq; dignus fuerit, cui iste noster inseruiat, licet alioqui non ita magni nominis sit, huius tamen gratia magnificus atq; illustris habeatur. Neque tamen in his libris, certis quibusdam & destinatis præceptis curiose innitemur, quæ plerumque in huiusmodi re instituenda obseruari solent: sed, senum more, grata qua-

*Magna vis consuetudinis in vtramq; partem.*

quadam recordatione vtemur earum rerum, quæ ab hominibus tali in re peritis, vltro citroque agitatæ sunt. Quibus etsi tum non interfuerim (forte fortuna profectus in Angliam:) eadē tamen summa fide, summaq; veritate, familiaris mihi meus recitauit. Ea ego vicissim omnia (quantum mea memoria patietur) referā, facilius vt intelligatur, quid magnæ autoritatis & judicii homines hac ipsa de re statuerint. Neque illud à proposito alienū erit (sic enim, quo omnia tendant, apertius videbimus) si causas disceptationum insequentium primum exposuerimus.

*Vrbini descriptio.*

Vrbinatium parua ciuitas (vt omnes fere norunt) in Apennini latere, tanquam in medio Italiæ, versus mare Adriaticum sita est. Quæ etsi montium vicinitate minus amœna videri possit, si cum aliis conferatur, adeo tamen propitia cœlum atq; elementa semper habuit, vt præter admirandam aeris temperiem, fertiliores agros, & fructus humanis vsibus magis necessarios, vix vsquam reperias. Ea vt in istis rebus felix sic nulla in re felicior, quam quod principes jam diu optimos habuerit; nisi tum fortasse iisdē orbata fuerit, cum tota Italia communi quadam bellorum calamitate deflagraret.

*Frederici Ducis laus.*

Huius rei testimonia ne longius petantur, nobilissimi Ducis Frederici recentissima memoria sufficiet, cuius sapientiæ, humanitatis, justitiæ, liberalitatis, deniq; stratagematum, & rerum egregie gestarum etiamnum trophæa luce clariora exiltunt. Quarum rerum argumento esse possunt variæ illius in locis prope inexpugnabilibus victoriæ, expedita in prœliis ineundis industria, in conficiendis audacia. Ipse semper pauciſſimis vincere assuetus, nunquam à multis vinci aut separari potuit: adeo vt inter primos antiquorum temporum heroës jure optimo reponi, & dinumerari possit. Inter reliqua nonnulla ab eo præclare acta vnum illud singularis fuit industriæ, an

scientiæ, dicam nescio, quod in arduo & præcipiti Vrbini situ palatium adeo magnificum ædificauerit, vt vrbis potius ampliſſimæ ſpeciem, quam regiæ præ ſe ferre videretur. Non ſolum enim argenteus atq; aureus omnis intus foriſq; apparatus fuit, tapetes ſerici, ſtragula textilia, marmorea toreumata, picturæ & imagines eximiæ, verumetiam omnis generis inſtrumenta muſica, libri Græci, Latini, Hebraici, quæ ille præcipua totius ſuppellectilis ornamenta putauit. Vnam illi immortalitatē negaſſe deos crederes. Nam cum quintum & ſexageſimū annū ætatis honorifice egiſſet, ſumma cum laude ac potius gloria extremum diem clauſit, vnicum poſt ſe ſine matre filium decem annorum, nomine Guidubaldum, relinquens. Is non tam hæreditati aut patrimonio, quam paternis virtutibus ſuccedens, tantam omnib. quam citiſſime ingenij & indolis ſpem atq; opinionē attulit, quantam humanæ naturæ anguſtiæ haud fere capiunt: nunquam vt facinus magis egregiū facere Dux Fredericus viſus fuerit, quam tum, cum prolem adeo omni ex parte nobilem procreauerit. Verum Fortuna (quæ magnis in rebus invidiam plerunq; ſuam perfundit) tam auguſtis principiis tanta virulentia reſtitit, vt Guidubaldus, cum viceſimū ætatis annū vix jam attigiſſet, in podagram adeo vehementem inciderit, vt membris morbi crudelitate vndiq; rigeſcentibus, neque manus neq; pedes ſatis officiū ſuum facerent. Ita eximia forma & præclaro ingenio juvenis, virente adhuc ætate, in extremū diſcrimen, aut ſummas potius miſerias adductus. Neq; hic tamen fortuna acerbitatis ſuæ virus cuomere deſtitit. Nam in eo etſi ſapientiſſima conſilia, invictuſq; animus eſſet, ſi quid tamen in reb. vel bellicis vel domeſticis ſuſcepiſſet, ea ſemper teterrime ceciderunt, quæ erant cogitata & acta diligentiſſime. Quod etſi exitus calamitoſus rerum ab eo geſtarum nimium verè oſtenderit, tanta tamen ani-

*Guidubaldus.*

*Guidubaldus podagra laborauit.*

animi magnitudine perpessus est omnia, vt virtus in eo nusquam fortunæ concesserit: ea siquidem fortitudine omnes difficultates exorbuit, vt summa cum dignitate totius vitæ curriculũ transegerit: in summa inualitudine, tanquam omnino sanus, minimeq; valetudinarius, in aduersis rebus, tanquam vnus ex fortunatis hominibus, minimeq; concussus. Non enim illi tanto impedimento corpus male affectum esse potuit, quin sub Alfonso, & Ferdinando, nobilissimis Neapolitanorum regibus, honorificentissime meruerit: & postea sub Alexandro Papa illius nominis sexto, tum nonnullis aliis regulis Venetianis & Florentinis. Cum vero Iulius secundus Pontifex inaugurat⁹ esset, imperator totius Ecclesiæ summus & primarius designatus est. Quod cum mun⁹ sollicite obiret, Aulam tamen suam nobilibus viris, strenuisq; refertissimam habebat: quibus ille non minore voluptate fretus est, quam illi eodem vsi sunt jucundissime. Nam vtraque lingua peritissimus, tanta humanitate, tanto prẽterea sale & lepore conditus, tam infinitam diuersarum rerum scientiam cum incredibili animi magnitudine conjunxit, vt cum per invaletudinem nihil ipse per se nunc denique præstare poterat, in aliis tamen, nunc aspiciendo, nunc cohortando, nunc corrigedo, facile declarauit, quanto artificio, quantaq; virtute fuerit. In omni verò armorum exercitio, & hastis equo conserendis (de Musicis jocisq; vt taceam) obnixe vnusquisque contendebat, vt & tanti viri laudibus, & illo hominũ commercio non indignus videretur. Distributus itaq; dies in laudabilia tum animi tum corporis oblectamenta. Sed morbo jam indies ingrauescente, & duce idcirco exacta statim cœna quiescente, vnusquisq; ad nobilissimam Duciſſam Elizabetham Gonzagam, hora assueta, tanquam ex compromisso, se contulit. Cum ea vnà aderat selectissima fœmina Aemilia Pia, quæ cum singulari ingenij acumine re-

*Duciſſa Elizabetha Gonzaga.*
*Aemilia Pia.*

reliquis præstaret omnibus, reliquorũ omniũ in istis dulcissimis exercitijs magistra, aut potius princeps non immerito videbatur. Hac duce & his militibus ad placidissimum istud militiæ genus omni ex parte compositis & instructis amœnissimos vndiq; sermones, sales & facetias nõ fulgares aut insulsas audires: denique, in vniuscuiusq; vultu, & oculorum obtutu, hilaritas ipsa atq; adeo suauitas spontanea residebat, nihil vt verius appellari posset tam bene ornatũ domicilium, quam lætitiæ & jucunditatis cujusdam inauditæ diuersorium. Neq; vsquam alias credó plene pertentatum & cognitum, quanta & quam vera esset delectatio societatis & communionis sese adeo inuicem sine fuco & fraude amantis. Nam præterquam, quod vnusquisque nostrúm, in tanti Ducis familia atque clientela versari, summo sibi ornamento putauit, in ipso nobilissimæ Ducissæ aspectu, tanquam omnium honestarum voluptatum portu acquieuit. Quæ vtraque perinde quasi catena aliqua omnium mentes atq; voluntates fraterno quodam amore firmissime deuinxerunt. Non multũ huic absimilis per omnium mulierũ animos benevolentiæ conjunctio persuasit, quibus cum (vt cuiq; libuit) libere conferre, sedere, jocari licuit: is tamen honos clarissimæ Gonzagæ semper est habitus, vt idem plerunque libertati nostræ, quantumcunque liberæ, frænos injiceret. In hanc vnam ita semper propensæ omnium voluntates erant, vt eidem placere, magno emolumento, displicere vero summo dispendio haberetur. Vnde multæ honestissimæ consuetudines, cum summa licentia connexæ, multa exercitia nõ mediocri modestia temperata, multi sales & facetiæ tanta grauitate permista (de vocis gestusque admirando concentu vt sileam) vt nonnulli, qui Ducissam ne de facie quidem prius cognouissent, dominam continuo omnium longe magnificentissimam judicarent. Cuius præsentia diu-

*Curialium Vrbinatiũ amor.*

tur-

turna, astantiũ ad se animos ita allexit, vt vnusquisq; ad eius nutum & exemplar semetipsum prorsus effingeret & componeret. Verum incredibilium virtutum (quæ in ea admirandæ semper extiterunt) non est hic narrandi locus, neque opus est, si possem, neq; si possem, velim, cum vbiuis gentium ipsæ per se luce clariores existant. Et si quid in illa fuerit, quod casu aliquo celari potuerat, id fortuna (quasi re tanta & tam inaudita admiraretur) aduersis ictib. & procellis consulto propalauit: in promptu vt sit, tantũ venustatis, sapientiæ, fortitudinis, in vna aliquando mulierecula delituisse, quantum in hominibus ipsis perraro, aut certe non sæpe deprehenditur.

Sed istis paulum omissis, ad generosam virorum cohortem, in illa Aula degentium redeamus: quibus in more positũ fuerat, exacta cœna, confestim coram Ducissa tanquam judice conuenire. Vbi inter Musicæ tripudia, reliquasq; animi relaxationes, subtiles nonnunquã quæstiones & alia ingenij certamina proposita erant: quorum prætextu, alij aliis (vt cuiq; videbatur) occultas persæpe cogitatiões, & rationis suæ consilia elanculum (ne dicam callide) communicabant. Non ita multo post, in serias disputationes sublapsi, mox ad apophthegmata, & nõ inciuile jocandi genus redeunt. Nec hic cõsistunt, quin statim laconicas propositiões in aurẽ insusurrent: quę in eo maiore omnes voluptate offuderunt, qui acutissimis ingeniis totũ vndiq; palatium refertissimum fuerat. Inter quos (vti nosti) primi fuerãt Octauianus Fregosus, & eius frater Fredericus, Iulianus de Medices, Cæsar Gonzaga, Ludouicus Canossa, Gasparus Pallauicinus, Ludouicus Pius, Morellus Ortonensis, Petrus Neapolitanus, & Robertus Barrensis, quibus multos alios Regulos & equites (nisi longum esset) liceret adjicere. Nonnulli præterea etsi ibi non habitarent, maximũ tamen anni spacium eo loci conficiebant: quorum primi fuerunt

*Nomina eorum, qui disputationi interfuerunt.*

Bernardus Bibiena, Vnicus Aretinus, Ioannes Christophorus Romanus, Petrus Montanus, Therpander, Nicolaus Phrisius: quibus accesserunt Poëtæ, Musici, & totius Italiæ in vnaquaq; arte & scientia peritissimi & primarii viri.

*Iulius pontifex.*

Cum vero Iulius Papa illius nominis secundus Gallorũ ope Bononiam ad Apostolicæ sedis imperium reduxisset, anno salutis 1506. cum Romam reuerteretur, per Vrbinũ iter arripuit: vbi tam ingenti rerũ omnium apparatu, hospitio exceptus est, vt cæteras Italiæ ciuitates, vix tantæ magnificentiæ sufficere putares. In quo quidem non ipsi solum Pontifici, & Cardinalibus reliquisq; eorum satellitib. abunde satisfactum erat, verumetiam quibusdam tanta subito incessit admiratio, vt totũ quod superfuit ætatis curriculum, eo loci conficerent, vbi & vsitatis jam antea voluptatib. fruebantur, & aliquid etiam incrementi eisde vtendo fruendoq; adjecerunt. Quod dum noctes dieſq; facerent, illud diligenter obseruatum est, vt, tota in circulum & procinctũ multitudine redacta, fœminis viri singulis singuli commiscerentur, nisi forte virorũ (quod sæpe contigerat) major numerus extitisset. Horũ omnium conatibus & ingeniosissimis inuentis, Ducissa semper pro arbitrio moderari consueuit, nisi sicubi Aemiliæ sagacissimæ illud muneris delegaret.

*Aemilia illius noctis jocis præficitur.*

Cum igitur Papa Iulius Vrbino discessisset, omnibus in locũ assuetũ coactis, imperavit Aemiliæ Gonzaga, vt illius noctis jocis & deliciis non grauate principiũ daret. Quod illa cum aliquandiu recusasset, tandem, cum tibi (inquit) selectissima Princeps in votis fuerit, vt ego his nostris jucundissimis studiis quasi classicũ canam: quoniã tibi mos gerendus est, illud equidem libentissime propositum & excogitatum velim, quod hactenus inauditum, parũ in se reprehensionis minus laboris habeat: tu itaq; Gaspare Pallauicine (qui nosti optime) istuc in te negotij suscipito. Quibus ille: tibi (in-

(inquit)primum incumbit,vt tute hoc te onere expedias.Illa,jampridem hoc ab ea factitatum,affirmans, Ducissā exorat,vt suas imperādi partes interponeret. Quod quia facile facere nō solebat; subridens,Aemiliā sibi substituit,&jus suū in illam vniuersum transtulit. Magna mehercule res(inquit Pallauicinus)aut magnū potius priuilegiū,mulierib.in eo concessum, quod adeo semper à laborib. immunes sunt: & istius rei quæ tandem ratio est?Sed ego ne & exemplo peccem,&nō obtemperando,illud aggrediar,quod nunc in manibus est. Animus certe humanus(vt ego conjicere soleo) vti in reliquis rebus, ita etiam in amore vari⁹ est&multiplex:adeo vt quod vni gratū& jucundū,id alteri inuisum & exosum sit:in eo tamē summa consensio est,quod vnusquisq; id quod amat,charum & longe acceptissimum habeat. Vnde vehementiores amantium affectus, tantas nebulas eorum mentibus solent offundere,vt quoscunque beneuolentia atque amore complectantur,in illis omnes virtutes conspirasse, nihil vitij,nihil deformitatis inesse existiment. Sed cum hanc tam perfectam fabricā humana natura non admittat, nemoq, omniū sit, in quo aliquid aut non desit,aut non redundet: fieri non potest,quin amantiū animi, tanquā cæcutientiū oculi conniueant &decipiantur. In eo igitur,si me audiatis,istius noctis delicię&festiuitates erunt positæ,vt eas quisq; animi dotes recenseat,quas in eo esse desiderat,quem valde & ante alios amat. Et quoniam nemo homo est, cui aliqua turpitudinis nota,aut manifestius non imprimatur,aut occulte non insideat: illud etiam disputetur,quod tandē vitium (quoniam ita est prope fatale &necessarium)omnium maxime ferendum& tolerabile vel admittat,vel in eo grauiter non incuset. Hæc vbi primū Gasparus pręfatus esset,Aemilia Constantiæ Fregosæ(cuius vices proximæ erant)pro imperio, præfanti signū dedit. Quod cum illa vicissim exequi

*Prima disputatio jocosa à Gasparo excogitata.*

instituisset, præripuit oratiõis cursum Ducissa, & quoniã (inquit) Aemilia nihil joci aut facetiæ (cum optime possit) excogitare voluerit, sed omnẽ hanc industriam abjecerit, cur non cæteræ etiã Dominæ istius quoq; cõmodi participes sint, tot præsertim astantib. igeniosissimis viris, quibus nullũ jocandi genus, nisi de industria refugientibus deesse potest? Placet hercle sententia (inquit Aemilia) & tibi Constantiæ, isto tempore silentiũ imperamus, tibi vero Cæsar, qui proximus es, vt, quicquid velis, libere eloquare. Tum ille, Actiones (inquit) humanas si quis diligenti trutina librabit, nihil non mancũ & imperfectum reperiet: illis enim non minus, aut multo etiã magis quam in cæteris rebus, discors & varia naturæ vis est: vni n. vna in re lumen ipsum rationis & perspicientiæ attribuit, alij vero in altera: vnde persæpe fit, vt cum sciat quispiam quod alius nesciat, id tamẽ ignoret quod alius probe teneat, alterius è vestigio errorẽ non suum deprehendat: & (id quod omnium deterrimũ est) in eo nos sapere aliquando putamus, in quo fortasse grauiter desipimus. Huius rei testes sunt parietes isti, intra quos nonnullos ipsi vidimus, qui primo cõgressu videbantur aliqui, non ita multo post sese prodiderunt, quam essent nulli. Sed harũ rerũ diligentia nostra præcipua indagatrix esse solet, & quemadmodũ in Pulia si quem Tarrantula momorderit, fidibus & vario Musicæ sono, morbi atq; adeo humoris harmoniam & quasi sympathiã exquirunt, nec omnino desistunt, donec agitatio & frequens motus ægritudinẽ dispulerit: ita cum aliquod insipientiæ vestigiũ in aliquo suspicamur, adeo argute & subtiliter omnes illius venas tenem⁹, vt quo tendat, facile conjiciamus: postquam vero humorem ipsum cognitum & perfectum habemus, eundẽ nunquam commouere languentem desistimus, donec ex stulto prorsus insanum faciamus. Quæ tam late patet inscitia, vt in carminibus, in musicis, in tripudiis, in mimi-

*Cæsaris inventum.*

*In nostris talpa, in alienis lynces sumus.*

*Tarrantula, musca genus.*

mimicis, in amore, in equitando, in re gladiatoria, deniq; in vnoquoq; nostrum (ut est animo in rem ali quam maxime propenso) manifestissime se explicet: adeo vt nobis risum jocumque (vt nostis) valde non-nunquam cõmoueat: &(vt semel dicam) in vnoquoq; nostrum stultitiæ seminariũ aliquod existimo, quod si aliquando excitetur, in infinitum facile excrescit. Optarem itaque, eam esse istius noctis, nõ seriam, sed jucundam disceptationem, liberum cuiq; vt sit, de me sententiam ferre (quoniam libet insanire) qua potissimum in re ipse desipere & delirare soleam: & ipsas insaniæ nostræ flammas ex quotidianis eiusdẽ scintillis dijudicet. Idem etiã in reliquis obseruari vellem: ita tamen, vt certa argumenta & signa vnusquisq; ostendat cõjecturæ atq; opinionis suæ: vnde ex jocosa contentione, serio quiuis hoc capiet cõmod., vt quo criminis genere potissimum deliret, & tanquã fascinetur, minimo negotio intelligat: deinde si volet, facili hoc ipsum capiat & declinet. Quod si in illũ stultitiæ riuulum forte inciderimus, cuius fontes axhaurire difficile videatur, quantũ in nobis erit, feremus opẽ, &(vt Marrianus frater solitus est dicere) animam Deo lucrifaciemus: qui quæstus omnium est multo vberrimus. Hic arrisum est vehementer, neque quisquam diuti? continere poterat, quin se diceret, vel affectando, vel oculorum obtutu, vel amando, vel alia in re aliqua ineptias suas quotidie expressisse.

*Varia stultitiæ genera.*

Tum frater Seraphinus more suo subridens: Nimis (inquit) prolixum hoc esset: quin potius (quoniã facetum & elegans est) liceat omnib. nobis ominari: quid tandẽ causæ sit, cur omnes mulieres vt plurimũ sorices detestentur, serpentes vero plurimi faciant. Quod dum promiscue fecerimus, plane perspicietis, neminẽ ad viuum rem ipsam resecare posse, præter me vnum qui istuc mysterij mirifica quadam ratione intellexi. Plura in hanc futilem de lana caprina quæstionem dictu.

*Seraphini fratris inuentio.*

*Aretini jocus.*

dicturus erat, nisi illi verborū flumen Aemilia præcidisset, & Vnicū Aretinum ad dicendū inuitasset. Ego (inquit ille) judicem me & magistratum esse optarem, vt exquisito aliquo supplicij genere ingratæ mulieris fallacias extorquerē, aut potius plecterem, quæ oculis instar deæ submissis, & viperino tamen corde nunquam id loquitur, quod tacite apud se cogitat, sed adumbrata quadā misericordia nil tā sollicite molitur, quam vt cordis humani cōvulsione, miseras eiusdem Anatomias faciat: neq; v. in tota Libya vipera adeo virulenta reperiri potest, humani cruoris tam valde sitiens, quam istud fallax & astutū animal: cuius non tantum vocis suauitas & verborū lenocinia, sed frons etiam, oculi, vultus, gestusq;, tanquam Syrenes, mouent & alliciunt. Proinde etsi mihi non liceat) vt vellem) catenas, funes & flammas injicere, quib. ista, quæ cupio, intelligam: optarē tamen, vt istius noctis ludus jocusq; hęc nobis cōmentando exprimant. Pulchrum huius rei principiū dabitur, si omnes seorsū excutiāt, quid sibi velit istud stigma atq; effigies literæ S, quod in Ducissæ nobilissimæ fronte imprimitur. Nam etsi humaniorē fortasse interpretationem recipere possit, facili? vt decipiat; longe tamen alius idemq; occultus & nondū in lucem prolatus sensus esse potest. Quis n. nostrūm est, qui certo sciat, nū fortuna humanæ infelicitatis tandē miserta, hanc exiguam illi notam insserit, quo (velit nolit) in publicū proferat intestinū animi desiderium: nimirū quam vehementer cupiat, eos aut occidere, aut vivos calamitatibus sepelire, qui eam omnib. honoribus prosequuntur? Arrisit verecunde Gonzaga, & cū excusatione aliqua tam seueræ interpretationis vti vellet; quin tacendum clarissima (inquit Aretinus) nondū tibi hoc negotij incumbit. Tum Aemilia ad Vnicū conuersa, in hæc verba effata dicitur. Nemo certe quidē est nostrūm, Aretine, qui tibi omni in re non cedat, præsertim in affectionibus illu-

illustrissimæ Gonzagæ discernendis. Quam quidē vt tu divino fretus ingenio præter cæteros novisti optime, ita plus cæteris (ni fallor) eandem amas intime. Reliquorum igitur oculi, tanquam volucrū aduersō sole, cæcuriunt; tuum vnius judicium istuc expedire & potest optime, & sufficiet.

Ille postquam paululū respirasset, instabāt omnes, vt, quid illius literæ character significaret, explicare non abnueret: tandē metrum quoddam amatorium, ad rem præsentē apposite accommodatum, protulit, aut potius recitauit. Multi ex tempore inuentum & excogitatū putabant: sed quia argutius atq; elegantius fuerat, quam illæ temporis angustię patiebantur; plurimis jam antea præmeditatū videbatur. Vtcunq; fuit, omnes in eo omnia summis laudib. efferebant: quod vbi promiscue feciſſent, Octauianus Fregosus, qui proximus erat, subridens, in hunc modū est exorsus: Si ego me amatorium Cupidinis telum vnquam sensisse negem (viri nobilissimi) Gonzaga atq; Aemilia etsi non crederent, credidisse tamen (sat scio) simularent, huiusque rei hanc causam dicerent, quod ego, scil. modestus ille & verecundus, omnino diffiderem, fœminam me posse aliquam ad amandum allicere & persuadere. Cuius equidem adhuc non ita serio periculū feci, vt desperandū mihi existimem, si forte pertentarem. Neq; sane id nō feci, quia tanti me facio, nullam vt putem mulierē dignam esse, cui ego amando inseruiam: sed consulto potius abstineo, perpetuis amantiū lamentis, squalore & lethali facie attonitus: in quorū oculis ipsius miseriæ effigies depingitur. Quod si aliquādo colloquātur (quod raro euenit) nihil nisi de lacrymis & luctibus fabulantur, totq; suspiriis & mœrorib. permista sunt omnia, vt mortē, quam nunquam non exoptant, in limine & foribus esse putares. Propterea vbi primū vel minutissima amoris scintilla animus incalescere occœperit, ego eandem omni

*Octauiani inuentum.*

*Miseranmantium vita.*

omni vi restinguere & suffocare soleo: non quod mu-
lieres odi (quod istæ Dominæ suspicantur) sed quia
mihi clarissima salus mea esse debeat. Huic hominum
generi (de quo modo diximus) aliud est omnino con-
trariũ & repugnans. Quidã enim non tantum aspectu
miti & affabili, dulcissimis vocibus, gestu suaui earum,
quas amant, sese satisfaciunt, valdeq; in eo se vendi-
tant: sed omnẽ iracundiæ, & doloris etiã justi acerbi-
tatẽ in jucunditatem, voluntatemq; conuertunt. Isti
mihi plusquam felices videri solent; nam cum illi in
amoris indignitate & contemtu tantũ dulcedinis per-
cipiant (quod aliis morte acerbius videtur), in vero
amore, qui sine fuco est, ea, credo, felicitate fruerẽtur,
quæ, nescio, an cuiquam mortalium in hac vita conti-
gerit. Optarem itaq; istius noctis jucundissimas con-
tentiones hanc nobis controuersiam dirimere: quæ-
nam istius fastidij & indignitatis causa sit: quoniam id
fere fit, vt nos aspernẽtur illæ præcipue mulieres, quas
nos multo plus, quam cæteras omnes, diligimus.
Nam si quis jam adsit, qui istas tam dulces mulierc-
larum contumelias deguſtarit, ratione, credo, tantæ
suauitatis etiam atq; etiam desideret. Quæ si ostendi
possit, ego fortasse longiores in amando progressus
faciam, vt tantũ mellis inueniam, quantum alij felli
repererunt: ne ferreum in amando & pectus incon-
cussum istæ posthac Dominæ mihi objiciant. Arrisit
omnib. facetũ hoc inuentum; & huc vnusquisq; ani-
mum aduertit, cum in hunc modum Petrus Bembus
præfari cœperat: Ludus jocusq; nobis ab Octauiano
propositus, animum mihi variis judiciis labantem in
contrarias partes trahit: nam contemptus & fastidia,
quæ in amore sunt, etsi prope infinita sint, mihi tamẽ
semper amarissima sunt visa, neq; vllo condimento
dulcescere posse auguror: minus tamẽ magisve acer-
ba existimo, pro modo & pro portione illius causæ,
quæ initio orta sunt. Memini enim probe, cum illa,

*Bembi in-*
*uentum.*

in

In quam commotus sum, subirasci mihi cœpisset (vel quia fides mea in dubium illi veniret, vel quia leues sunt in amore suspiciõe) permagnos me doloris aculeos persensisse: qui eo maiores videbãtur, quoniam non tam meo merito, quã illius remissa & prope nulla in me benevolentia atq; amore hæc omnia contigerant. Cum vero per inscitiã, aut incuriã meam justas eidem irarũ faces admouissem, anteriores dolorum cruciat⁹ præ illis posterioribus, parui aut prorsus nihili faciebam. Quid enim, non dico injucundius, sed omnino funestius esse potest, quam illis stomachum atq; bilẽ commouere, quos malis, quam omnia, bene in te affectos & placatos esse? Hoc itaq; (si me audiatis) istius noctis studiũ, hæc animorũ exercitatio erit, quivis vt disputet, num fastidia (quoniã ita sunt in amore cõmunia) à seipso ne oriri velit, an ab ea, à qua se amari desiderat. Vnde facile perspicietur, inhumaniusne sit, amatas contemnere, an ab iisdẽ contemni & fastidiri. Hæc cum dixisset, expectabant omnes, quid istis Aemilia attexeret. At illa Bembi orationi supersedẽs, Frederico Fregoso annuit: qui isto modo exorsus est.

Vellem hercle, nobilissima Domina, mihi si liceret (quod sæpe fieri solet) in aliorũ sentẽtiis acquiescere: satis mihi placent, satisq; auditu digna sunt, quæ jampridẽ dicta sunt. Ego tamen, ne receptam consuetudinem meæ voluntati postposuisse videar, istuc pronunciare non dubito, operæ pretium facturum, quisquis fuerit, qui Aulæ istius nostrę justissimas laudes descripserit: vt nihil interim de sereniss̃imæ Gonzagæ virtutibus adjiciat, cuius diuinum animi lumen obtusi crassiq; hominis ingenium, supra ipsum cœlũ leuare atque efferre posset. Nam, sepositа omni assentandi suspicione, vix adducor, vt credã, adeo multos in tota Italia nobiles viros inueniri posse, q̃ præter militaris scientiæ laudẽ (quæ summa est) in reliquis facultatibus & exercitiis tantum præstent & emineant. Quocirca si

ysquam

*Frederici inuentum.*

vsquam gentiũ homines vere Curiales existant, verisimile mihi videtur, hic demum eosdem esse. Proinde vt quibusdam insulsis frænos injiciamus, qui sola audacia Curialitatis nomen aucupantur, (cum tamẽ sint ridiculi) optarem vnum è nobis aliquem, hominem vere Curialẽ verbis adeo aptis & conuenientibus depingere, nihil vt desit illi, qui tam magnificam appellationẽ suo quasi jure vendicare posset. Sin vero aliquid inciderit, quod huic minus necessario attributũ appareat; liceat vnicuiq; (tanquam in scholis Philosophorum) totis viribus contradicere.

Plura in hanc causam dicturus erat Fredericus, nisi obstitisset Aemilia, quæ in sententiam pedibus ibat, si itidem Ducissæ lectissimæ videretur. Illa huic negotio assensa est libentissime, idẽ reliqui omnes factitabant vel tacitis susurris, vel apertis suffragiis; Aemiliam obnixè orãtes, vt huic operi quempiã quam citissime præficeret. Quæ in Gonzagam conuersa, tu (inquit) clarissima Ducissa pro imperio jube atq; impera: meæ conditionis aut modestiæ non erit, dum quenquam huic labori addicã, eundẽ meo judicio cæteris omnibus peritiorem statuere. Imo verò (inquit Gonzaga) penes te isthęc erit electio: tute videris, ne nõ obtemperando pernicioſum reliquis exemplum relinquas. Aemilia ne tempus se velocius subduceret, tu (inquit) Ludouice Canossa, istuc in te oneris primũ susc ipies, quod Fredericus proposuit: non quod ipse ita exacte Aulicus sis, vt omnia illius officia atq; munera perfectissime teneas, quia illa præpostere & crassa Minerua recẽsendo, tu nos facilius delectabis. nos tibi melius respondebimus. Quã in re si artifex fortasse aliquis se interponeret, nihil contra opponi posset tam vera dicẽti; nostra interim disputatio omni ex parte frigesceret. Ad hęc Comes ex improuiso respondit: Nunquam dubitaui fore, vt vera loquenti non contradiceretur, dum tu hic adesses. Arrisum est vehementer. Deinde

*Ludouico Comiti imperatur, vt is primum de Curiali disserat.*

Ludo-

Ludouicus pergit dicere. Vellem profecto hoc me labore expedire, quod, virib. meis quam sit impar, non ignoro: neq; vero illud à veritate alienũ est, quod tu in me jocose dixeras; nihil me scil. eorum sapere, quæ sunt hominis vere Curialis propria. Facile fides sit, vbi quicquam tam apertũ est: nam cum nihil eorũ facere soleam, probabile est, me nihil intelligere: quod ego minore reprehensione dignum existimo. Pejus enim illud est, nõ feciſle bene, quam; quomodo facias, non intelligere. Cum tamen vobis ita placuerit, me tam grauem personam sustinere; neq; possum, neq; libet recusare, ne vestris judiciis obsistam, quæ meo longe soleo anteponere. His Cæsar se interposuit, & quoniã (ait) in multam noctẽ sermonẽ protraximus, & alia hic nos oblectamenta prestolantur, opportunius fortasse fuerit, in crastinum differre: vt commentandi; ruminandiq; idoneum tempus Comes habeat. Nam in re tam seria sine premeditatione dicere, difficile mehercule atq; operosum est. Tum Ludouicus, nollem (inquit) magna de me expectari, quemadmodum de eo, qui cũ omnib. se vestimentis exuisset, minus saltando profecit, quam cum esset indutus: imò bene cecidisse videtur, quod temporis angustiæ breuitatem efflagitent: vt etiamsi, quicquid in buccam venerit, repente effutiam; justa excusatione carere non possim. Sed ne isto officii onere diutius premi videar, hoc ausim vobis confirmare, adeo variũ & multiplex esse hominum judicium, difficile aut potius impossibile vt sit, perfectam alicuius rei rationem inuestigando pertingere. Nonnulli enim sunt, qui eum admirantur, qui inani verborum sonitu & linguæ volubilitate vtitur, eumq; facetum & elegantẽ non dubitant appellare: alij modesta quadã taciturnitate delectantur: quidam agiles & factiosos desiderant: plurimi quietos, & omni in re consideratos: deniq; laudem & vituperium vnusquisque ex animi affectionibus mereri solet, vitia omnia

virtutum proximarum nominibus designat, virtutes vero vitiorum coloribus inficit. Nam & impudentes, audaces: & verecundos, jejunos: & insulsos, honestos: & præcipites, prudentes nominamus. Neque tamen istius sententiæ sum, vt omni in re perfecti aliquid inesse nõ existimem, quod ab hominib. in illo genere peritis, ratiocinando, disputandoque erui & demonstrari non possit. Veritatis vero natura cum ejusmodi sit, vt sæpius lateat, neq; mihi in hoc tempore familiaris sit: eos tantummodo viros Aulicos & Curiales vobis proponere possum, qui mihi præ cæteris hactenus maxime placuerunt. Cui ego vos opinioni (nisi vobis pariter videbitur) addictos atq; religatos esse nõ optarem. Neque sane ipse meæ conscecratus eo sententiæ, non enim vobiscum tantum, sed mecum fortasse ipse nonnunquam dissidere potero.

*Recondita Veritatis natura.*

Curialem itaque hunc nostrum, nobili aut saltem honesto loco natum volumus. Multo enim minoris notæ est, in terræ filio, quam in generoso, de virtutis actionibus atque officiis desciscere. Hic enim sicubi majorũ dissimilis fuerit, familiæ labes atq; dedecus fit. nec tantũ eorum partę jampridẽ gloriæ quicquam non adjicit, sed multum etiam eidem detrahit. Vere igitur, quicunq; dixit, generis nobilitatem tanquam lumen & speculum esse aliquod, tum boni, tum etiam mali, quę ad virtutis studia solet incitare, cũ vituperij & dedecoris metu, tum honoris quoq; spe atq; desiderio. Iste nobilitatis splendor, cum ignobili stemmate nunquam eluceat, nec ad virtutem valde instigantur, nec à turpitudine magnopere deterrentur: satis superq; existimant, si obscuris parentũ vestigiis insistant: cum nobil. b.n hil prius aut potius sit, quam majorum laudes superare, aut saltem rebus præclare gestis exæquare. Vnde illud plerunque euenit, vt & rebus bellicis, & aliis quibuscunq; sive corporis sive animi contentionibus, generosi reliquorum facile

*Familiæ splendor in Curiali primum.*

prin-

principes existant. Inseuit enim rebus omnibus occultam natura potentiam, & quasi seminariũ aliquod, cuius ea vis est, vt omnia ab eo prouenientia principiis suis efficiat quam similima. Id non tantũ in equis reliquisq; brutis animalibus licet videre, sed etiam in plantis & arboribus, quarũ surculi semper truncorum similes fiunt, nisi cultoris incuria aut ignorantia peccetur. Idem in hominibus judicare licet, qui si bene nutriti atq; educati fuerint, eorum mores imitantur, qui eos procrearunt, aut sæpe etiam meliores: sin minus, feroces vt plurimũ & præcipites, nunquam maturi aut sapientes euadunt. Illud sane sæpenumero animaduerti (quod vtrum cœli & astrorũ clementia fiat, ignoro) quosdam omnib. bonis adeo cumulatos esse, vt non tam nati, quam ab aliquo Deo effecti videantur: alios verò ita ineptos, hebetes & incompositos, vt natura indignante ad ludum jocumq; factos jurato fas sit dicere. Quos vti solertissima diligentia nunquam poteris meliores effingere, sic illi alteri minimo negotio; aut poti⁹ labore nullo, summa omnia consequuntur. Proponite vobis ante oculos Hippolytum Estensem, Cardinalem Ferraræ, qui adeo felici sydere natus est, vt corporis habitudine, vultus suauitate, verborum concentu, gestus moderatione, cum admiranda ingenij maturitate conspirantibus, gravissimis ecclesiæ patribus (cum tamen juuenis sit) videatur cõferendus. Eodẽ accedit cum omni virorum & fœminarum genere dulcis quidam in omni sermone lepos, nunquam vt illum non amet, quisquis cum illo aliquando congressus fuerit.

*Natura aliis mater, aliis nouerca.*

*Hippolytus Estẽsis Cardinalis.*

Sed vt eo reuertamur, vnde digressi sum⁹; illud affirmare non dubito inter illã tam excellentẽ fabricam, & istam naturalem impotentiam, & (vt ita dicam) ineptitudinẽ, medium aliquid inueniri, & quos Minerua minus vndique ornauerit, diligentia atque industria perfectiores reddunt, vt si natura tales non sint,

sedulitate esse cogantur. Aulicum itaq; & Curialem nostrum, præter familiæ & stirpis honorē, non solum acuto ingenio, & apta membrorum compositione, reliquis præstare volumus: sed ea etiam oris figura atque dignitate, vt quicunq; in eum oculos conjecerint, bene erga se affectos (non dicam amantes) dimittat. Hoc tamen singulari ornamento omnes suas actiones illustrabit, vt ex ipsa fronte (quæ animi index est) maximorum hominum societate & fauore non indignus existimetur.

*Honesta facies Curiali necessaria.*

Hic illi orationis seriē amputauit Gaspārus Pallavicinus, & præscriptā illius jocosæ disceptationis formam religiosē obseruāns: ne (inquit) authoritatem in contradicendō concessā nihili pendere videamur, sic tibi in hoc occurrere liceat. Minime mihi necessariū videtur Curiali nostro generis nobilitate tām curiosē attribuere. Id si ego cuiquam vestrum nouum aut inauditum putarem, nonnullos recensendō enumerare possem, qui clarissimis orti familiis in omniū vitiorū cœno se volutarunt: multi vero ex paruis & ignobilib. initiis, ad summum dignitatis fastigium euecti laudis & gloriæ titulū hereditarium posteris reliquerunt. Quod si verum sit illud, quod à te positū est, nimirum in omni rerū semine primario eam virtutem inesse; omniū hercle nostrū vnus idemq; stat⁹ fuisset: nam iisdem orti principiis, quî tandem alius alio præstantior & excellentior est? Sed in hac tanta humanæ conditionis varietate, infinita fere alia considerandā sunt, vtpote fortuna, quæ nostrarū actionū omnium princeps atq; domina nō immerito appellatur: quippe quæ (perinde quasi ad ludibrium istius vitæ) & eos erigit, in quibus nihil dignum apparet, & eos pessundat, qui omnibus honoribus digniſſimi videbantur. De illis hominibus qui ab ipsis incunabulis omnibus tum animi tum corporis dotib. excellunt, juxta tecū sentio (sunt illi quidem cumprimis fortunati) sed hęc

*Fortuna humanæ vitæ domina.*

peria-

perinde in obscura ac clara familia eueniunt: de istis nō nouit natura tam subtili ratione distinguere, imo infima nonnunquam stirpe, summa naturæ dona & præcipua liberalitatis indicia perspiciuntur. Quandoquidem igitur splendor iste natalitius, neq; ingenio, neque vi, neq; arte acquiritur, nec tam nostra, quàm majorum in eo laus sit, inique mihi videtur comparatum, vt in Curiali nostro, parentum ignobilitas, illius virtutibus tenebras & caligine offundat, adeo vt neq; indoles eximia, neq; honesta facies, neq; corporis habitudo singularis, neq; cętera quæcunq; à te modo recitata, illi ad istā quam quærimus perfectionē suffragari possint. His Ludouicus sic contra nititur. Negare sane nō possum, quin in humillimæ sortis viro, cædē plęraq; virtutes esse possint, quæ generosis insunt: sed ne illa vicissim omnia cum fastidio repetantur, quæ à te allata sunt, quæq; ad nobilitatis encomium adduci poterunt (quæ proinde præcipue laudari solet, quia bona bonis prognata sunt) quoniā huiusmodi virum describere constituerim, cui nihil vlla ex parte desit, generosam illi propaginē detrahere nō potui, & propter rationes superius enumeratas, & propter cōmunem omnium opinionē, quæ fere est ad nobilitatem propensior. Quod si duo forte adolescentuli in aliqua familia per annos aliquot cōmorati fuerint, qui nullius adhuc neq; boni neq; mali specimē præbuerunt, vbi primum de vnius generosa prosapia, de alterius ignobilitate constiterit, multo hic minoris erit quam ille. Magno enim interuallo posteriore huic op⁹ erit, priusquam in hominum animos possit influere: quod alteri facilimū erit hoc vno nomine, quod generosus existat. Quæ quidē opinio, aut potius mētis impressio quāti momēti sit, quiuis experiundo facile judicabit. Et vt propius ad nos veniamus, in hoc ipso quo nunc consistimus loco, nonnullos ipsi vidimus, qui etiamsi hebetes & insulsi essent, pro omnem tamen Italiam

Curiales atq; Aulici insignes habebantur. Quos etsi dies (quod aiunt) detexit, diu tamē delituerunt, & eam in animis nostris opinionē confirmarunt, quā primo congressu impressā repererunt, nullo tamē freti artificio aut versutia. Alios vero animadvertimus, qui cū initio nullo numero apud nos essent, tandē effecerunt vt aliquo loco haberentur. Huius erroris causæ sunt prope innumerabiles, sed imprimis peruersus, & depraua-tus Principū animus: qui vt altū sapere videantur, & illis sæpenumero fauent, quos potiuś odisse debebant, & ipsi se plerunq; credendo decipiunt. Qui quoniā multos alunt parasitos, vbiuis gentiū eorum fama peruagatur, quos illi magni faciunt, adeo vt in illos populare judiciū sit procliuius. Tamen si deinde in iis aliquid reperiatur cōmuni opinioni contrariū, hærent, timentq; ne circumueniantur: nunquam non occultū aliquid expectantes, quia censuram tam vulgarem veritate aliqua & ratione niti arbitrantur. Sunt sanę mentes nostræ ad amorē atq; odiū mirifice procliues, vt in Monomachia, reliquisq; spectaculis & contentionibus facile deprehenditur. Nam erga vnum è duobus sine aliqua justa causa bene nos animatos persentiscimus, huic victoriā, illi v. repulsam serio exoptantes. Eadem est in morib. hominū dijudicandis opinionis nostræ ratio. Nam quæcunq; primū siue boni siue mali fama ad aures nostras percrebuit, ad eandē ita nos componimus, vt aut cum odio, aut cum amore prorsus decernam⁹. Videtis igitur, quanti momenti sit, quicquid mentes nostras primū perculerit: quantiq; illius interfit primæ existimationis suæ fundamenta bene posita esse apud Principū animos, quicunque vere se Aulicum præstare desiderat. Verum (vt ad particularia tandem aliquando descendamus) primæ & præcipuæ Curialitatis partes (vt ego existimo) in armis & rebus præclare gestis consistunt, & in summa erga Principem fide, in quibus talem se vi-

*Principes quam facillime fallūtur.*

*Prima opinio quanti momenti.*

*Arma in Curiali præcipua sunt.*

virum ostendat, vt omnes illius fortitudinem, omni in loco, atq; omni etiam tempore admirentur. Nam cedere aliquãdo aut labascere sine magna ignominia non potest. Quemadmodum enim in mulieribus, si semel verecundiæ limites adeo transilierint, vt labe aliqua notentur, ad anteriorẽ existimationem nulla reditio est: ita si quando Aulicus opprobrium aut repulsam patiatur, aut id commiserit, vt in timiditatis suspicionem veniat: pristinã virtutis opinionẽ haud facile recuperabit. Quanto igitur in his rebus excellentior, tanto meo judicio fuerit laudabilior. Quod tamen ita non loquor, quasi cũ summis belli ducibus æquatũ vellem (nimis hoc curiosum esset) satis erit, si integritatem, fidem, inuictum animum, vbicunque ferret occasio, viriliter præstiterit. Magnus siquidem animus in paruis sæpe reb. facilius, quam in magnis deprehenditur. Nam in procinctu, corona & spectaculis, in quibus multorũ defixi sunt oculi, etiamsi graue periculum sit, ignaui & vecordes, vel infamiæ metu, vel circumstantiũ fiducia, præcipites cæciq; proruunt: in aliis vero rebus, si doloris aculeos sentiant, sese q; è medio sine manifesta nota clanculum possunt subducere, remittunt spiritus, sese comprimunt, & sibi loco cauent. At vbi neq; videri se quisquam, neque cognosci, neq; notari putat, & fortis viri nihilo secius munus & officium exequitur, nihilq; prætermittit, quod ipsi laborem & negotium facessere possit: eam habet magnanimitatem, quam ego in Curiali nostro vehementer requiro. Eam tamẽ cum Thrasonico verborũ strepitu conjunctam non desidero, vt in illo, qui arma in vxorem se duxisse gloriari solet, & ad vocis inanem ostentationem, vultus etiam austeritatem, & minaces oculorũ obtutus adjunxit, vt Bertus ille noster familiaris. Ista certe hominib. id cõcinne potest dici, quod à nobili quadam fœmina cuidam glorioso militi (quæ prudens prætereo) responsum fertur. Qui

*Magnificæ magnis viris, non occulta, petuntur.*

cum ab ea perhumaniter ad saltationem, & choream invitatus esset, ille tripudia renuere, Musicam aspernari, cætera humanitatis officia nihili pendere, deniq; ludicra hæc non esse indolis aut facultatis suæ affirmat. Rogatus igitur quid tandē (si diis placet) profiteretur? proteruo vultu pugnare (inquit) & hoste ferire.

*Glorioso militi argute respondsum.*

Tum illa, quoniam (inquit) nunc nemo classicum cecinit, nec pugnandi occasio datur, tergi te atq; vngi cum armis reliquisq; bellicis instrumentis optarem, deinde in repositoriū aliquod suspendi, donec ministerio tuo opus sit, ne te etiā rubigo inficiat. Ille continuo cum magna audientiū irrisione secessit. Noster idcirco Curialis, vbi cum hoste congrediendum est, cū primis ferox & acerbus erit, vbiuis præterea mitis, modestus, sagax, inanem sui ipsius laudē & ostentationē tanquam pestē teterrimam fugiens: quæ adeo plerunque insuauis est, vt etiam eos, qui nos amant, odisse faciat. Ad hæc Gasparus: perpaucos equidē (inquit) in re aliqua eximios & præstantes cognoui, quin ista Philautia laborarent. Et hoc meo judicio in illis tolerabile: nam cum aliquis in arte aliqua excellens ab insciis & imperitis artificium suum ignorari videt, non mirum, si ægre ferat latere suam & quasi sepelire scientiā, quam cū à tanta caligine vindicare conatur, aliqua saltē ratione in publicum proferat necesse est, ne justissimam virtuti mercedem detrahere videatur. Proinde apud antiquissimos scriptores, qui reliquorū omniū facile princeps est, perraro se continet, quin se ipse laudet: sin v. eiusmodi quispiam fuerit, qui cum parum in se ingenij, minus virtutis habeat, & profuse tamen de se prædicet; omnino mihi non ferendus videtur: sed istiusmodi virum curialē nostrum minime constituim⁹. Minime sane (inquit Comes) & si me probe intellexeris, eos ridiculos asserui, & reprehensione dignos, qui nullo merito, nulla ratione freti, impudenter gloriari consueuerunt. Humanius enim & in opti-

optimam partē interpretari debemus, si prudens aliquis moderate se laudet: certius enim suum est de se ipso, quam alterius testimoniū. Facile equidē assentior, non delirare aut desipere eū, qui ingenue se laudando, nec in errorē incidit, nec audientib. fastidiosus fit; quod quia arduū est & difficile, præter eam, quam ipse sibi attribuit, aliorum etiam commendationem promeretur. Hic Gasparus: à te (inquit) de eo plānius instruendi sumus. Tum Comes: Inter veteres scriptores nō defuerunt, qui de istis præcepta traderent. Sed istuc omne meo judicio in hoc potissimum consistit, nimirū si eo modo obiter res agatur, vt ad aliū finem tota tendat oratio, quasi de laudib. omnino silentium esset, si aliter veritas cerni & ostendi posset. Non vt illi homines grandiloqui, quib. in morte positū est, quicquid in buccam venerit, temere sine cura, sine sensu effutire: vti ex nostris vnus nō ita pridē, cui cum telo femur Pisæ trajectū esset, muscæ alicuius morsum se sensisse dicebat. Alius v. non multum huic absimilis, speculū se intueri non ausum esse affirmabat, ne horrēdo ac terribili aspectu ipse sibi terrori esset. Ridebāt promiscue omnes, dū Cæsar sic præfari cepisset: Quid est, quod ridetur? An non accepistis, M. Alexandrum ingentē lacrymarū vim profudisse, cum illi Philosophus quidā infinitos esse mundos affirmaret? roganti cur id faceret, respōdisse fertur, quia ne vnus quidem adhuc mihi subditus est, q. omnes subigere in animū induxisset: nonne hoc muscarū morsu glorioſius atq; majus? Et Alexander (inquit Comes) illo Thrasone mājor. Sed homines in quacunq; re præstantes excusandi sunt, cum magna suscipiant: audaci n. & confidenti op⁹ est animo, nō timido, non imbecillo, verbis etiā pauciſſimis, q. minus, quam res est, moliantur; ita tamē vt conatus egregius in temeritate non recidat. Cum paululum Comes respiraret, facete Bernardus Bibienna, memini (inquit) in Curiali nostro egregiā te

*Magnifica vox Alexandri.*

formam & aptam membrorum compositionem, cum gestu quodam & actione singulari desiderasse: formæ quidē dignitatem in me esse non diffido (quid enim causæ rear, quod tot me mulieres amant?) de corporis v. habitudine dubitare mihi videor; nā de tibiis male persuasum est. Quocirca ad particulare magis istarū rerum demonstrationē descende, vt ego nihil posthac hæsitās mihi de meipso abunde satisfaciam. Postquā arrisum esset: sane quidem (inquit Comes) injuriam faciemus, nisi tibi vultus dignitatem concedamus, & commode mehercule se obtulit ad istius, de quo agitur, explicationē. Nam etsi jucundꝰ gratusq; aspectus tuus sit, partes tamē seorsum consideratæ, adeo delicatam in se fabricā non habent: virilis tamen obtutus & satis approbata harmonia est. Quod vti in multis animadverti potest, ita prorsus Curiali nostro inesse volumus, nō vt in quibusdā, qui non solū molliter & effœminate, comis crispatis, cōpositis supercilijs, levissimarū mulierculārū delitias superant, verū etiam statēs incedeentes, accubantes, gestu adeo meretricio vtuntur, vt dissolutos articulos, & membrorū compagines putares, in verbis etiam ita curiosi, aut potiꝰ ita lugubres & tragici sunt, vt jamjam extremū halitum atq; diem adesse dubitares: & quo maiores hi sunt, quibuscū illis res est, eo in istis ineptiis frequentiores & magis ridiculi sunt. Isti homunciões quandoquidē (quod illi vehementer expetunt) in fæminas degenerare natura non possunt, nehonestarum quidē mulierum loco æstimandi sunt: sed tanquā meretrices impuræ, non tantū ex aulis Principum, sed ex omni generosorū hominum cōmercio exterminandi. Verum vt ad illius, de quo agitur, membrorū compositionē redeamus, bene cum illo agi existimo, si neq; in imo gradu humilis, neq; in summo procerꝰ sit: horū enim vtrunq; cum contemtu omnes tanquam portentū admirari solēt. Quod si in alterutro peccare sit necesse, minus

*Humiles proceris tolerabiliores.*

minus in exiguo quam in magno malum est. Nam præterquam quod vastis corporib. obtusum plerunq; ingeniũ inest, in nullo prorsus exercitio prompta atq; agilia sunt: quod nostro Aulico vitiũ nusquam permittimus. In eo enim & illa corporis habitudo atq; forma erit, quæ ad fortia & robustissima certamina valeat, & quæ celeris, agilis, prompta, atq; viuida appareat: quibus accedere debet exacta quædam eorum omniũ notitia, quæ in milite strenuo & bellicoso viro requiruntur. Quarum rerũ hoc meo judicio primum ac præcipuum est, si omnibus armamentis vti apte & artificiose poterit, quæ equiti peditiq; necessaria ducuntur: iis præsertim, quæ generosis hominib. indies in manibus atq; vsu sunt. Nam præterquam quod in præliis juuare poterunt (in quib. tamen minimum est artificium) op[e] præterea tum forte iis erit, cum domesticæ contentiones inciderint, è quibus Monomachia oriri possit: quod etiamsi non contigerit, proderit tamen in iis armis nõ esse imperitos, quæ quotidie gestamus. Neq; illius sum judicii, omnem nobis peritiã gladiatoriã tum ex animo excuti, cũ ad pugnam peruentum fuerit: nam quisquis tum præ stupore inscius fit, omnem prius fortitudinẽ necesse est exuisse. Huic etiam accedit luctandi & supplantandi notitia, quia cum armis pedestribus fere semper concurrit: & quod omnium longe maximũ est: diligens cautio & sibi & suis adhibenda est, ne aut inanes controuersias suscipiat, aut hostes eius consilia præripiant, deniq; & se fortẽ virum præbeat & sapientem. Neq; v. temere manus cum aliquo conferat, nisi aut incolumitas illi aut honos in discrimẽ vocetur. Nam præterquã quod pugnæ exitus, & fortuna semper anceps & incerta est, magnopere reprehendendus videtur, qui præceps & inconsideratus ad pugnã irruit, etiamsi insanis conatib. cæca & insana fortuna aliquando faueat. Si tamen eo progressũ sit, vt receptui canere sine summa ignominiæ

*Vastis corporibus obtusum ingenium.*

minia non possit, & ante contentionē, & in ipso actu cum se præstet virum, vt spiritus nō minus præsentes quam altos gerere videatur. Non vt illi qui verbis & altercationib. transigunt: quibus cum armorū electio proponitur, ea sortiuntur, quibus neq; cuspis neque acies est, ipsi interim omnib. nō minus armati quam si pila plumbea, æneo tormento emissa ferenda, essent. Quibus hominib. cum non esse victos, instar victoriæ sit: vel se tantū defendunt, vel turpiter cedunt. Ex quo & suam timiditatem produnt, & ipsis pueris ludibrio nonnunquam fiunt. Vt illi duo qui nuper in Ancona prope Perugiam eo vsq; ignaviter depugnarunt, dum omnib. risum vehementer cōmouerent. Qui isti obsecro fuerunt (inquit Gasparus)? duos fuisse consobrinos, respondit Cæsar. Imo vero duo fratres in illa pugna videbantur, ait Comes. Verum ad rem redeamus. Armorum etiā in pace aliquis vsus est, vtpote in pompis, triumphis & ludis, spectante populo, fœminis illustrib. & ipso etiam nonnunquam principe. Omnium itaq; horarum hominem, Curialem nostrum oportet esse, adeo vt non solum in armis, equis & quibuscunq; eodem spectantibus exquisitam quandam scientiam præ se ferat, sed in reliquis præterea rebus plus vulgo sapere atq; intelligere videatur. Qua in re Alcibiadem illum imitabitur, qui quascunq; regiones peragrauit (vt est memoriæ proditum) vnicuiq; in sua facultate longe præluxit. Sic ille noster vbicunq; spiritum duxerit, vnoquoq; in suo artificio præstantior & excellentior erit. Et quoniam Italorum hæc fere propria & peculiaris laus est, hastis ad circulum decurrere, easdē cōserere, equos ferociores mansuefacere, perite equitare, inter primos Italiæ duces annumeretur: & quia lanceis & gladiis equo concurrere, stadia artificiose tenere, cestib. & ferro cominus contundere, Gallorum fere propriū est, inter Galliæ principes reponatur. In ludo v. Arundinęo seu joco de Canna, in tauro spiculis

*Alcibiadis in omni re peritia.*

*Italorum laus.*

*Gallorum laus.*

lis vel ensibus transfigendo, in telis tragulisq; eminus jaciendis interprimos Hispanos erit. Quæ quidē vniuersa tam conueniente motu, & actione decente exequetur & perficiet, vt omniu oculos atq; beneuolentiam alliciat. Nonnulla præterea sunt oblectamenta, quę etiamsi cum armis vtplurimum nihil commercii habeant, magnopere tamen cum viro forti atq; strenuo conueniunt: quorū primas partes venandi consuetudo & feras insectandi jure suo vendicare potest: quæ vt aliquam cum bello similitudinem habet, ita magnis clarisq; viris non indigna mihi videri solet: antiquitati certe vix dici potest, quā valde placuerit. Huc accedat natandi, prosiliendi, currendi, iaxi etiam projiciendi facilitas: quæ & in rebus bellicis persæpe prosunt, & in summa tranquillitate populare applausum habent: cui nos sepenumero oportet accommodare. Neq; vero pila palmaria scite ludere indecorum est homini in aulis principum agenti; in eo enim & mira membrorū agilitas exercetur, & totius corporis dispositio nō minus in eo quā in cęteris quibuscunq; exercitiis perspicitur. De arte v. in equum insultoria, idem existimare licebit, quæ etsi operosa & difficilis fuerit, leuiores tamē plerunq; nos & agiliores reddit, quam cæteræ omnes: cui si actio nō indecora accesserit, præter vtilitatē admirandam, voluptate etiam in spectando affert singularem. In istis igitur exercitiis si Curialis iste noster plusquā mediocriter instructus fuerit, volutandi & per funes decurrendi ludicra, & his similia (quæ præstigiantis & circulatoris arte sapiunt) prorsus abijciet & exterminabit. Sed quoniam tam arduis & laboriosis rebus omnib. horis superesse non possumus, & omnium præterea rerū satietas est (quæ admiratione imminuere solet) optimū sane erit pro rerum diuersitate, vitæ quoq; nostræ studia variare, & ad faciliora nonnunquā descendere. Nam ad inuidiæ tela declinanda plurimum valet, si omni hominū generi

*Hispanorū laus.*

*Venatio belli similima.*

*Populares vena sapius tenenda.*

*Inuidia declinanda.*

neri & consuetudini facete & jucunde se accõmodet dum tamẽ rationis & modestiæ fines non transeat, ne cum facetus esse velit, ridiculus appareat. Risum itaque, ludũ, jocumq; illi permittimus istis conditionibus, vt in verbis acutus & ingeniosus, in rebus aptus & decorus habeatur. Tum Cæsar: Istius orationis cursus etsi interpellatione aliqua impediendus non erat, tamen nec tacite libet, propter concessam loquendi potestatẽ, & loqui juuat, quia summo vni⁹ rei pernoscendæ desiderio teneor. In quo si interrogare aliquid injuriose videar, cũ obijcere debuerim, eam mihi veniam concedi optarem, quæ Bernardo Bibienæ modo concessa est. Qui cum nimiũ contenderet, vt formosus haberetur, in nostras leges vehementer deliquit, quæstionibus potius quam argumentis vsus. Videte (inquit Ducissa) aliud ex alio malũ: vno incõueniente dato multa sequũtur. Quisquis igitur, vt Bibiena noster deliquerit, & erroris & (quod majus est) exempli nomine puniendus erit. Tum Cæsar: Proinde (inquit) Bernardus & suæ culpæ & meæ quoq; pœnas luet, mihi vero nihil ferendum supplicij. Imo v. (inquit Gonzaga) vtriq; geminũ malum imminet: illi, & quia ipse peccauit, & tibi peccandi ansam dedit: tibi vicissim, & quia tute deliqueris, & quia tam cito delinquendi occasiones arripueris. Salua adhuc res est (inquit Cæsar) nihil dum à me commissum criminis, quod ne deinceps fiat, & vt solus Bibiena plectatur, ego prorsus silebo. His Aemilia ingenue occurrens, dicito (inquit) quoad voles: nam (pace clarissimæ Ducissæ quod fiat) ego huic ignosco errori, reliquisque omnibus, si qui istius generis posthac fuerint. Caue (ait Gonzaga) ne tute te decipias, plus laudis misericordiæ quã justitiæ attribuendo: nam sontibus nimis ignoscendo, insontibus fit injuria. Neq; tamem seueritatẽ in accusando meam tuæ clementiæ tantũ detrahere velim, vt Cæsar prorsus non audiatur, nec de eius quæstiuncula quic-

*Periculosa misericordia.*

quam

quam dijudicetur. Vbi primum igitur Ducissæ cum Aemilia conuenisset, Cæsari vtrinq; signũ præfandi datur. Tum ille, sæpius Ludouice (nisi male memini) illud à te nobis inculcatum est, omnes viri Curialis mores, omnes gestus, omnes deniq; motus, nutusq; ea actionis dignitate fingi & componi, vt sine ea reliqua omnia tanquã sine justo condimento atq; sale nulli⁹ momenti aut ponderis existant. Facilis mehercule ad persuadendũ oratio: nam ea vis & *enargeia* verbi est, vt qui dignitatẽ habeat, is omni in re dign⁹ & decorus videatur. Cum tamẽ eam felicitatẽ alias naturæ, alias cœli beneficio dicas contingere, studioq; & industria nostra excoli & absolui, sicubi inchoata fuerit: mihi quidẽ frustra alios magistros atq; auxiliaria videtur implorare, quisquis tanto & tam insperato bono fati astrorumq; ope fruitur, quę (velit nolit) eundẽ faciunt omnib. gratũ & acceptum, nonnullis vero admirabilem. De isto nihil nunc dicã (quoniam potestatis aut volũtatis nostræ illius fortuna nõ est) de illis loquor, quib. cum tantulũ natura dedit, vt prorsus inepti aut indociles nõ sint, id quæro, quibus tandẽ rationibus, quo artificio, quaue diligentia hanc tam optatã beatitudinẽ consequi poterunt, non tantum in corporis exercitiis, verumetiam in iis omnib. quæ aut faciunt, aut loquuntur? In hac tantopere collaudanda, cũ tantam sitim, tantumq; cognoscendi desideriũ, Aemiliæ jussu, nobis omnib. attuleris, in eodem sedando & restinguẽdo, necesse est aliquid operæ & laboris impendas. Immo vero minime necessarium (inquit Comes) me eam vobis præstantiam dicendo exprimere: satis erit, si qualis iste Curialis esse debet, vtcunque exposuero. Neque exactam quandam cuiusq; rei demonstrationẽ à me expectabitis: nam in eo cum luctandi artem & in equum insultandi requisierim, quomodo ego vos in eo erudiam, cum (vt omnes scitis) ipse non didicerim: Militem (nisi fallor) bonum dicimus,

*Apta Ciceronis imitatio.*

qui

qui fabro armario animi sensum probe possit expo-
nere, qua forma, quo etiam temperamento arma de-
derer, licet operam & malleos non addat: sic ego de
Curiali absoluto disserere fortasse possum, & tamen,
quo pacto tales sitis, docere nō possum. Nihilominus
vt vobis, quoad potero, satisfaciam, etsi tritū fere sit
sermone prouerbium, dignitate doceri non posse; id
tamen confirmare ausim, cito illi & mature, bonisq;
præceptorib. ediscenda esse principia sua, quisquis ea
in re præstare desiderat, nisi forte inuita (quod ajunt)
Minerua insudauerit. Quæ res, quanti momenti sit,
Philipp⁹ Macedonum rex argumento esse potest: qui
filiū Alexandrum prima literarū elementa ab Aristo-
tele maximo omniū Philosopho doceri atq; institui
curauit. Et vt ad recentioris memoriæ viros deueniā-
mus, ponite vobis ante oculos Galeatiū Sanseuerinū,
Gallici regis equorum magistrum: videte quam eum
deceant, quæ facit omnia: cuius rei nulla alia ratio est
nisi quod ad eximiam corporis constitutionem, huc
semper animū advortit, vt ex hominibus peritissimis
quasi flores quosdam in vnaquaq; scientia optimos
seligeret & excerperet. Nam vt in palæstra, in arte in-
sultoria, in gladiatoria Petrū Montanum nostrū peri-
tum in omni artificio magistrū habuit: ita in equitan-
do, in hastis conserendis, & id genus contentionibus,
toti⁹ Europę viri primarij semper illi ante oculos ver-
sabātur. Quisquis igitur discipuli probi officio fungi
velit, is nō solū omnes suas cogitationes huc referre
debet, vt præceptori similis fiat: verumetiam vt in
eundē (si fieri possit) penitus transmutetur. Cum vero
aliquos progressus fecerit, permagni intererit, non-
nullos eiusdē facultatis sciolos & pragmaticos intue-
ri: è quibus duce ratione & judicio quod in vnoquoq;
optimum & præstantissimum est, assumere atq; deli-
bare poterit: non secus ac apes solertissimæ, quæ cum
per omnia prata agrosque pervolitarint, selectissimos
floscu-

*Actionis formæq; dignitas doceri non potest.*

*Philippus Aristotelē Alexandro præfecit in ipsis elemētis literarum.*

*Galeatius equorum magister.*

*Petri Montani laus.*

floſculos deligunt & exquirunt. Non vt familiaris quidam noſter (qui nemini veſtrum eſt ignotus) qui cum Ferdinando minori Aragoniæ Regi ſimilis eſſe vellet, nulla re alia imitatus eſt, niſi quod capite altius prominente, os ſibi aliquantulũ diſtorqueret, in quã Rex inuite conſuetudinem inualetudine aliqua ſublapſus dicitur. Huius generis alij nonnulli ſunt, qui viros magnos quacunq; in re imitari operæ pretium exiſtimant, id tamen plerunq; arripiunt, quod in illis teterrimũ putabatur. Ego v. ſæpius apud me agens, planeq; diſputãs, vnde hæc tanta dignitas acquiri ac deriuari poſſit (de ea non loquor, quæ virgula quaſi diuina tribuitur) huius hanc vnam rationẽ ac normam reperio, nimirũ vt tanquã ſaxa & ſcopulos curioſam affectationẽ diligenter euitemus: vtpote ſi nouũ forte vocabulũ aliquod ſe nobis offerat, negligenter & (vt vulgo dicitur) diſſolute proferatur: deniq; in omni tũ dicto, tum facto artem (quoad fieri poterit) occultare, nihil vt ſollicite, nihil præmeditate facere videamur. Ex iſta tam diligenti animaduerſione, conuenientem hanc actionẽm & (vt ajunt) dexteritatẽ profluere exiſtimo. Nam difficillimis in rebus felix & facilis effectus, admirationẽ (nec injuria) commouere ſolet: & contra, vim adhibere, & tanquã capillis violenter quicquam pertrahere vniuſcuiuſq; rei (quantulacunq; ſit) majeſtatem violat & imminuit. Illud itaq; artis præcipuum eſt, diſſimulare artificium: & neſcio an in re quauis occultanda, diligentia major ponẽda ſit, quam in ea, quæ ſi pateat, nõnihil exiſtimationis & laudis amittit. Memini equidem, de ſummis me oratoribus legiſſe, qui in eo multum operæ ſolebant ponere, populo vt perſuaderent, nihil ſeſe literarũ deguſtaſſe, orationes ſuas ſimplici veritate niti, nihil artis, nihil ſcientiæ ineſſe: tantum habere, quantum natura & ſuus cuiq; genius præſtare poſſit. Quod niſi feciſſent ſapienter, plebs (ut eſt in ſumma inſcitia ſuſpicioſa) circũveniri

*Ridicula vitiorum imitatio.*

se & decipi crediderit. Vnde illud existit, profusam artificij ostentationem, & contentionem intensam, multum nostræ præstantiæ detrahere. Quis vestrûm est, qui risum contineat, cum Petro Paulus noster suo more tripudiat, nunc saltib. plusquam mimicis, nunc summis pedibus, nunc erecto supra modum capite, denique quasi totus ligneus, ita nimium ad eam rem attentus est, vt motus omnes & gressus enumerando, in digitos distribuere videatur? Quis adeò occæcatus esse potest, vt istæ curiosæ inertiæ quantû dedeceant, non animaduertat? in aliis verò qui hic intersunt hominibus quam concinnum & decorum sit, istam agilitatis & artificiosi motus venustatem dissimulare, vel interloquendo, vel subridendo, vel gestu aliquo alio, minime vt facere putentur, quod solertissime faciunt, opinionẽ astantibus vt afferant, perperam se facere non posse? Hic se Bibiena immiscuit: Et bene (inquit) res cessit, quod Robertus noster saltẽ aliquem reperit, qui suam in saltando consuetudinẽ approbet, eum reliqui tamen omnes nihili pendant: nam si lentitudini & negligentiæ tantum tribuatur, paucos ille æquales habet, superiorem verò neminem. Quod vt in eo quisq; perspiciat, vestes sepenumero de humeris decidunt, nonnunquam sandalia de pedibus: progreditur tamen, nihil istorũ recipiens, & (si libet credere) de istis nihil cogitans. Tum Comes: Quoniã de hisce perorare me vultis, de vitiis etiam nostris pauca adjiciam. Nempe quod tu in Roberto nostro negligentiã appellas, valde curiosum est. Nam cum ille vehementer se componat, vt nolle videatur, magnopere velle putandus est: & quoniã mediocritatis limitibus egreditur, illius incuria rectius curiositàs nominari potest: nam dum insipienter artis præcepta inuolucris obtegit, inertiam suã aperte prodit. Verum vt ista sint per se laudabilia, & affectare quantum decet, & cum mediocritate negligere: tamẽ si vel ita crassa sit negligen-

*Affectata incuria curiositas videtur.*

gentia, vt vestimentis nos exui non intelligamus: vel ita curiosa affectatio, vel elato capite, crinibus plusquam muliebriter compositis incedamus, vel in imo Bereti speculum, vel in manica pectine circumferamus, vel mancipiis præcipiamus, vt spongiis, verriculo & tersoriis nobis semper à tergo sint: vtrumq; mehercule in extremo est, & illi dignitati contrarium, quæ sine fuco est; quæq; adeò jucundè in animos nostros solet influere. Reuocate in memorias vestras, quam male equitē deceat, qui consulto erectius quam par est, equo sedere solet, præsertim si cum eo conferatur, qui tale nihil cogitans, ea facillitate sellæ insidet, qua pedibus iter faceret. Eadem plane inter armatos milites differentia est: multo enim plus in eo voluptatis perspicitur, qui modestus est, minimeque se venditat, quam in eo, qui cum pugnas narrat, & cicatrices suas ostētat, diis hominibusq; minitari videtur. Istuc quid aliud est quā affectare, vt sicarius gloriosus habeatur? Idem in reliquis rebus fere omnibus contingit, quæ aut dici aut fieri solent. Adhæc Magnificus in Musicis (inquit) eadem ratio est, in quibus duos immediatè concentus combinare, & vitium est non mediocre, & sensus nostros minus suauiter afficit, qui secundo aut septimo tono magis delectantur, etsi in iis (ex seipsis) summa dissonantia sit. Cuius ista ratio esse potest, quod cum alia ex alia crebrius concentio repetatur, fastidiū nobis ingenerat, & harmoniā nimis exquisitam & delicatam significat, cui si tonus imperfectior insertus esset, arrectis auribus auidi & suspensi consisteremus, dum ad perfectiora peruentum esset: imperfectis tamē veluti minus elaboratis suam delectationis vicissitudinē concedentes. Pulchre meherculē dictū & sapienter (inquit Comes.) Nam ista in re, non minus quam cæteris mirum in modum affectando peccatur: antiquitus n. in prouerbio fuisse dicitur, Ni-mia diligentia in vitio esse. Vnde Apelles Protogeni *Apelles Pro*

crimini vertebat, quod manum de tabula continere non posset. Tum Cæsar, eadem (inquit) in fratre Seraphino culpa est, qui (dum est quod comedat) manum de mensa nunquam leuare solet. Hic cum Comes paulum arrisisset, pergit dicere: Apelles cum Protogenē taxaret, illud innuere videbatur, quod cum bene res esset, desistere nō posset. In quo nimis accuratam illius sedulitatem reprehendit. Incuria itaq; illa (quæ affectioni contraria, nunc primum virtutis nomine honestanda est) non solum omnis dignitatis fons & origo est: sed aliis etiam ornamentis actiones nostras illustrat: quantulumcunque enim est quod facimus (etiamsi exiguum sit) tamen & majora sperari facit, & id quod fit, multo pluris æstimari. Nam ea vestigia in animis intuentiū relinquit facile, vt existiment, qui difficillima quæq; tam nullo labore agit, eundē multo grauiora posse facere, si eadē aliquando accesserit industria. Nam vt eisdem exemplis etiam atq; etiam vtamur, intuemini illos, qui apte & decore, quasi naturæ potius instinctu, quam consilio aliquo sese componunt in gladiis fibrādis, in telis aliisq; armis manu contrectandis: qui etsi nihil aliud agant, omnibus tamen opinionē confestim afferunt, in illis se exercitiis esse quam peritissimos. In saltatione itidē & tripudiis, qui vel vnicum tantum numerum aut motū decore expresserit, totam in eo facultatē inesse demonstrat. In musicis, si vnam solummodo vocem suauiter quis decantarit, ita vt in tremulum & duplicatum tonum desinat, idq; casu aliquo potius quā de industria fiat, vnusquisq; majorē ei quam reipsa inest, peritiam suo judicio ascribit. In picturis, vna linea minime elaborata, eam nobis admirationē excitat, vt pictoris manū sine arte, sine studio, propositam metam pertingere existimemus: adeò vt ex illis minutiis illius præstantiam censuris nostris confirmemus. Similis profecto & eadem ratio est reliquorum omnium. Curialem ita-

*togenis curiositatem reprehendit.*

*Incuria nunc primum virtus.*

*Ex vnguibus leonē.*

itaque noſtrum cæterorum facile principẽ exiſtimari volumus, cuius hæc prima lex erit: dignitatem omni in re cõſeruare, affectandi vitiũ religioſe propellere, præſertim in ſermone & colloquiis, in quib. non raro offenditur: præſertim vero à Longobardis, qui poſtquam vnum aut alterum annum peregrinati fuerint, nunc Romana lingua, nunc Gallica, nunc Hiſpanica garrire occipiunt, dum nimium ſapere videri volunt, quo nihil tetrius, nihil odioſius eſſe poteſt. Quod ſi ego in hoc tempore antiquas & obſoletas Hetruſcorum voces huic ſermoni interſererẽ, & magnum mihi negotium faceſſerem, & vobis riſum commouerem. Tum Fredericus: In hoc tibi aſſentior (inquit) diſſonum, & plane ineptum eſſe, ſi in loquẽdo iſtuc facias, nam vt dicis tibi jucundæ, nobis vel odioſæ vel non intellectæ eſſent: ſin vero in ſcribendo eas prętermiſeris, errorẽ non leuem exiſtimo: quoniam authoritatem orationi & maieſtatẽ multo graniorem afferunt. Ad hæc Comes: Ego mehercule non video, quid ſcriptis noſtris illa verba dignitatis poſſint attribuere, quæ non tantũ in hoc, quo nunc vtimur ſermone, vitanda ſunt (quod tute fateris) ſed in alio etiam quocunq; dicendi genere. Quod ſi verò cuiquam ſapienti in Senatu Florentino, tanquam ipſo Hetruriæ capite, habenda eſſet oratio, aut ſi priuatim de rebus ſeriis cum magiſtratu aliquo contrahat, aut cum amico jucunde colloquatur, aut cum fœminis de amore, de facetiis, de ludis, epulis, & horum ſimilibus diſſerat, accurate (ſat ſcio) verba Hetruſcorum inueterata declinaret. Mirum proinde eſſet, ſi illis vocib. tanquam bonis vteremur & approbatis, quas in omni rationis genere, quaſi vitioſas repudiamus, & quod in omni ſermone abſurdum eſt, id in ſcribendo congruum & aptum ſtatuere: cum tamẽ (ſententia noſtra) ſcriptum nihil aliud ſit, quam quædam ſermonis ſpecies, quæ etiam tum remanet, cum nos loqui deſiſtimus, tanquam

*Vocum antiquorum vſus.*

*Scriptum ſermonis vita.*

quam expressa effigies & verissima verborũ nostrorum vita. Et quoniam emissa semel voce sonus confestim euanescit, multa in sermone tolerabilia esse possunt, in scriptis non item. Hæc enim tanquã in repositorio aliquo vocabula nostra seueriſſimis hominũ judiciis subjiciunt, & omni posteritate subtilius discutienda reseruant: & propterea majorem in illis perpoliendis industriam collocari rationi valde consentaneum videtur, non ita tamen, vt scripta sermoni vsitato sint longe dissimilia: sed vt in his maxime apposita & approbata vocabula vsurpẽtur. Quod si in scribendo id liceret, quod in loquendo non conceditur, male profecto comparatũ videretur, vt in quo maxima diligentia requiritur, in eo licentia summa vteremur: ex quo illud sequeretur, majori damno, quam emolumento, studia nostra pensitari. Certũ itaq; illud est, in sermone hoc totum licere, quod in scribendo decorũ est, eoq; meliorem esse orationẽ pronunciatam, quo propius ad scriptam accesserit. Immò vero planior & apertior meo judicio in scribendo verborũ contextus & significatio requiritur: quia scriptores semper fere absunt, loquentes & perorantes propius & ante oculos consistunt. Hunc itaq; virum spectatu dignum arbitror, qui omissis Hetruriæ obsoletis vocibus, vsitatis illius & hodiernis verbis vtatur: in quibus pronunciandis suus splendor & majestas inest: alias si quis sibi leges imposuerit, haud facile illius affectationis reprehensionẽ vitauerit, quam paulo ante tantopere vitandam duximus. Tum Fredericus: Negare sane non possum orationẽ scriptam, formam quandam illius pronunciatæ esse: id tamen interesse video, vt inter loquendũ si verbum forte obscurius emanarit mentẽ sensumq; audientis minime feriat, quin potius in nihilum recidat: idẽ in scribendo non opinor contingere: nam si voces aliquid tum in se habeant (non dico difficile) sed subtile & reconditum, authoritatem præ se ferunt

*Oratio pronunciata eò melior, quo scripta similior.*

quã

non mediocrem lectorem v. ipsum respirare faciunt, & grauioris judicij trutina librare vniuersa. Quod cum fecerit diligenter, post aliquantulū laboris voluptatē percipit multo vberiorem: planeq; illud intelligit, difficilia quæ pulchra. Quod si ea fuerit legentis ignorantia, vt abstrusam subtilitatē eruere nō possit, propterea neque authoris culpa aliqua est, neque ea lingua minus approbata, quia min⁹ est cuius obuia. Ego itaq; istius me esse sententiæ, facile patior, antiquum Hetruscorum idioma, in scribendo & solū esse & maxime necessarium: non tantum quod idem vsus jampridē confirmauerit, verumetiam quia illam in se majestatē & pond⁹ habeat, quæ temporis diuturnitas, non verbis solum, sed ædificiis, imaginibus, picturis, & aliis rebus infinitis solet attribuere. Tanto enim splendore sententias alioqui jejunas plerunq; illustrat, vt res subjecta, etiamsi exigua sit, hęc tamen elegantia perpolita, non indigna videatur, quæ in publicum prodeat. Illa v. lex aut potius consuetudo à te modo recitata & iniqua est, & periculo vacare non potest. Nam si in dicendo vitium fortasse aliquod imperitorum hominū inscitia longius propagatur, absurdum plane esset, eidem tanquā normæ aut regulæ nimium religiose adhæresceere. Ad hæc infinitæ hominum consuetudines sunt, neque vrbem aliquam in Italia claram existimo, quæ loquendi formulam non habeat propriam & suam. Quamobrem nisi illud etiam decernas, quæ omnium optima fuerit, non minus in Bargamascum quam Florentinū incidere possumus, & (si tibi credamus) parum in eo erroris esset. Mihi quidem certe, illis qui hærere aut ambigere nolunt, necessarium videtur, certis quibusdam initiatos & deuotos esse, qui omniū consensu approbatæ authoritatis sunt: quos dum duces semper insequantur, iisdem tanquam clypeo, contra omnes Zoilos vti poterunt. Horum facile principes in lingua vsitatissima

*Magna vetustatis majestas.*

*Petrarcha & Boccatius de lingua & sita optime meriti.*

Petrarcham & Boccatium existimo, à quibus si latum vnguem discedámus, tanquam caligine obsitos, necesse est toto cœlo errare. Sed eo nunc demũ audaciæ peruentum est, vt imitationem, quæ magni ponderis jam olim fuit, nos nihili prorsus æstimemus, cum tamen sine illa, oratio scripta sine succo & sanguine inanem verborum volubilitatẽ in se contineat. Testis hac in re Virgilio nemo locupletior est, qui etiamsi diuino ingenio id effecerit, vt eius incredibile judiciũ posteri laudare magis quam imitari possint, eundem tamen Homeri æmulum fuisse luce clarius existit.

*Virgilius Homeri imitator.*

Tum Gasparus: Non indigna mehercule de scribendi artificio disputatio, tamen ad propositam metam aptius mihi videtur, si quo pacto apte & eleganter loqui possit, Curialem nostrum institueris: eo enim sæpius frui poterit. Hic Iulianus: Dubitari non potest (inquit) quin Aulico tam egregio & exquisito vtraq; expediant, quæ si abfuerint, reliquæ fortasse illius facultates obscuriores erunt. Proinde si honeste Comes isto se munere exonerare velit, non loqui solum, sed etiam scribere Curialẽ instituit. Dabitis mihi veniam (inquit Comes) non enim in me suscipiam id docere, quod ipse nunquã didici. In quo si forte aliquis essem non video, quomodo istas ferat verborum angustias, quod post tantas lucubrationes hominibus eruditis vix conceditur: quorũ libris ego nostrum nunc Aulicum relegarẽ, si mihi necessitate aliqua instituendus esset, quomodo loquendũ scribendumq; foret. Tum Cæsar: de vulgari oratione sensisse Iulianum opinor, non autem de latina, & proinde magnorum virorum authoritate non erit opus. Tu tamen si quantum ipse intelligis, nobis explicueris, de reliquis excusatione justa vteris. Iamdudum id actum est (inquit Comes) quanquam de Tuscana lingua differentibus, Iuliani inprimis sententia expectanda erat. Hic Iulian⁹: huic contradicere neq; possum, neq; debeo, qui linguam

Hettu-

Hetruſcam reliquis omnib. multo clariorē exiſtimat: & verum tamen eſt, multas eſſe voces obſoletas apud Petrarcham & Boccatiū, quas mihi nec ſcribenti, nedū peroranti vſu venire velim: quippe quæ illis ipſis (ſi nunc viuerent) valde fortaſſe familiares nō eſſent. His Fredericus ſic occurrit: Non dubito, quin illi, ſi viuerent, etiamnū libentiſſime vteretur. Vnde mirari magnopere ſoleo, cur vos Hetruſcorū reguli, veſtram linguā cumprimis inſignē, ſenſim deficere & corrumpi ſinatis, vere vt liceat dicere, minus jam cognitionis Florentiæ, quam in reliqua Italia eſſe. Iſtis Bibiena ſe interpoſuit: & inueterata (inquit) Florentinorū vocabula inter ruſticos & agreſtiores adhuc perſiſtunt, & tanquam temporis longinquitate antiquata ab hominibus illuſtriorib. repudiantur. Iſtos non tulit excurſus clariſſima Duciſſa: Quin tu (inquit) Ludouice Curialē noſtrum & in dicendo & ſcribendo inſtitue, ſiue Hetruſco more, ſiue alio quocunque, modo ſcite & inguenue fiat. Tum Comes: Ego (lectiſſima Gonzaga) quicquid poteram, jampridē expoſui, & de vtriſq; eadem præcepta ſufficere opinor: ſed tu, quoniam imperas, ego non abnuo. Frederico tamē, quod primum probabilitate aliqua animū meum perculerit, reſpondendo cū alieno prorſus ſim ab eo judicio, obſcurius fortaſſe id à me fiet: quoniā ex improuiſo dicendum eſt. Sed ſatis erit, quicquid fuerit, aut ſi minus ſit, id erit, quod ego præſtare poſſum. Primū itaq; id dico, linguam hanc noſtram quam vulgarem appellamus, etſi vſu jampridem confirmata ſit, nouam tamen eſſe & quaſi pullulantem. Cum enim Italia tota Barbarorum non tantū ſpoliis & rapinis expoſita fuerit, ſed iiſdem quaſi patria & commorandi jampridem locus, pura latinorū phraſis illorum hominum commercio, in corruptum & impurum ſermonem indies degenerauit: ex eaq; communi impuritate & corruptela, aliæ atq; aliæ linguæ quaſi nouellæ exortæ ſunt. Et quem-

*Barbarorū in Italiam incurſus latinam linguā in Italicam mutauit.*

admodum flumen, quod Appennini vertice descendit, hac atq; illac in varias pelagi partes distribuitur, ita linguarum nostrarū alia, latino idiomate paulum intermista, per alias regiones peragrauit: quæ verò Barbarie quadam præ cæteris inficitur, ea certam in Italia sedē retinuit: Eadem jam diu apud nos varia & incomposita restitit, quia eandem nemo, neq; verborum lumine, neq; alio quocunq; splēdore illustrauit. In Hetruria verò eidem paulatim reficiendæ, magis quam in cæteris Italiæ partib. diligentia est adhibita; proinde in ea regione illius florē ex illis temporibus remansisse verisimile est: Nam & vocum accentus suauior, & Grammatices obseruatio multo diligentior. Quæ quidem vtraq; trium authorum singulari industria, & in phrasis suauitate, & in verborū apta & genuina dispositione magnū incrementū habuerunt: quorū facile primum (in rebus præsertim amatoriis) Petrarcham existimare soleo. Progrediente deinde tempore, cum jam non in Hetruria solum, sed totius Italiæ finibus, nobiles promiscue & plebei elegantioris orationis studio incenderentur, restincta jam tandem nuperrime calamitatis flamma, pro rerum humanarum varietate, voces quoq; & in Florentia, & in reliqua Italia immutatæ; quam ego fatalem vicissitudinē non nostræ linguæ propriam, sed cæteris omnibus communem existimo. Quod si ad nostram vsque memoriam antiquissimorum scriptorū monumenta restitissent, plane perspiceremus, alio modo Turnum & Euandrum, & illius ætatis Latinos loqui solitos, alio verò vltimos Reges primosque Consules. Videmus enim, Saliorum versiculos à posteris vix aut ne vix quidem fuisse intellectos. Sed quoniam primis ita videbatur authoribus, is honos religioni est habitus, nihil prorsus vt sit innouatum aut imminutum. De Poëtis & Oratoribus idē affirmari poterit, qui multas voces antiquarunt à majorib. vsitatas: nam Antonius, Cras-

*Saliorum versus.*

Crassus, Hortensius, Cicero, multa Catonis verba repudiarunt, & idem de Ennio Virgilius factitauit. Antiquitatem siquidem etiamsi plurimi facerent, eidem tamen ita se constrictos esse noluerunt, quomodo tu nos esse desideras. Imò vero in eandē nonnunquam acerbius inuehi cōsueuerunt, vt Horatius, qui & Plautum sine justa aliqua ratione à majoribus laudatum asserit, & nobis etiam nouarū vocum effingendarum potestatē suo judicio attribuit. Idē in Cicerone variis in locis animaduerti potest, qui cum Galbam seuerius reprehendere molitur, inueteratam illius antiquitate orationē esse dicit; & Ennium quoq; ea in re à majoribus desciscere consueuisse: proinde si vetustati nimiū consecrati fuerimus, istos omnino non imitabimur viros præstantissimos. Virgilium vero illum, quem Homeri fuisse imitatorem fingis, illius in lingua esse æmulū nō concedo. Quocirca antiquatas istas voces quoad possem euitarē, nisi forte lectissimis quibusdā in locis, idq; perraro aut certe non sæpe. Nam iisdem nimis sollicite addici, non minus in se erroris habet, quā si quis (vt antiquorū similis videretur) in magna frumenti copia, glandibus vesci desideret. Cum vero verborum vetustatem, rei subjectæ, pondus atque majestatē dicas attribuere: ego non antiqua solum & inueterata, sed alia etiam quantumcunq; apposita & approbata tā nihili facio, vt sine sententiarū succo & sensu quodā solido, inutilē verborum sonitum existimem. Sententias enim à verbis diuidere, nihil aliud est quam animū à corpore sejungere: quorū quidem neutrum sine totius interitu potest fieri. Illud itaque quod Aulico nostro, & ad loquendum, & ad scribendum maximum momentū habet, cognitio & scientia est. Nam qui iisdem vacauerit, nec in se habet, quod intellectu dignum dijudicetur: mirum non erit, si hic nec dicere poterit, nec literarū beneficio vti. Sin verò sapiat, primum justo aptoq; ordine scite collocanda sunt

*Sententiarū non minor quam verborum apparatus esse debet.*

sunt omnia, deinde verbis ad rē appositis exprimenda, quæ (nisi fallor) selecta, aperta, conuenienterq; disposita esse debent: & (quod omnium maximum est) populo nota atque familiaria. Nam in eo splendor & majestas orationis potissimū consistunt, si is qui eadē vtitur, tantum judicio valeat, vt vocem vnamquamq; juxta propriā & genuinam significationē disponere, & tanquam ceram, quoquo volet, effingere possit, idq; ita argute & perspicue, vt vbi primū circumstantium aures perculerint, non minus ex illis splendorem & apparatum sermonis omnes percipere possint, quam in tabulis pictis expressas subtiliter imagines, cum in lucem clarissimā deferantur. Idem in scribendo dici potest: sed & in loquendo permulta præterea necessaria, vtpote vocis moderatio nec nimium mollis & effæminata, nec nimiū horrida aut rustica, sed dulcis, sonora, clara, pronunciatione facili temperata, gestu actioneq; decenti. Quæ vniuersi corporis non curioso motu, sed apto & accōmodato perficitur: cui accedant vultus, oculi, supercilia, ea conuenientia, atq; modo dispositā, vt ipsa actio si fieri possit loquentis affectionem exprimat. Verum nullius hæc omnia ponderis erunt; nisi sententiæ ex istis verbis cōpositæ, pulchræ, elegantes, argutæ & (si ita res ferat) graues & seueræ sunt. Hic Morellus: Non dubito (inquit) quin noster Curialis, si adeo grandis, pōderosus & exquisit⁹ fuerit, minime à nobis intellectus aliquando discedat. Imò facilis intellect⁹ erit (respondit Comes) nam facilitatē nusquam impediet aut excludet elegantia: neq; istam illi semper tam grauē personā imponimus: sale enim & lepore sæpenumero si tempus patietur, conditus erit, acute tamen & cum aliqua vrbanitatis varietate expedite, nō pueriliter, non insulse. Cum verò in rem aliquam obscuram & reconditam casu inciderit: verbis, sententiis, punctis, interuallis, respirationib. tam lucide ad viuum resecabit omnia, vt nihil dubij, nihil

*Grauis.*
*Facetus.*
*Florens.*

mole-

molesti sit, omnia aperta, clara, perspicua fiant. Sicubi vero cum dignitate & vehementia dicendum fuerit, si affectus nostri commouendi sint, si excitandi adeoq; inflammandi fuerint animi: tanto candore, tantaque orationis dulcedine demulcere oportet, vt suas ipsa natura partes agere, & mentes nostras suauitate quadam inebriare videatur: tanta nihilo secius facilitate, vt qui audiat, idem se posse putet dicendo consequi, cum vero pertentauerit, multis se gradib. ab eo abesse intelligat. Hic aulici nostri scribendi loquendiq; modus esto, non solũ vt verborum sonantiũ & splendidorum, per omnem Italiã delectum habeat, sed Gallicas etiam & Hispanicas rerũ appellationes amplectetur, si quas patria nostra vsu & consuetudine approbauerit, ita tamen semper vt perspicue intelligantur. Quod si aliquando vsu veniat, vt extra suum & propriũ sensum quicquam sumendum sit, quam fieri potest aptissime ad præsentẽ causam accommodetur, & tanquam sarmentũ feliciori arbori intersertum, pulchrius semper & vberius res agatur, vt audientes videntesque non oculis solum intueri, sed manibus etiam contrectare videantur. Neq; vero nouis effingendis non aliquam nauabit operam, nouisq; easdem figuris ornabit, & eo jure easdem à latinis hominib. mutuabitur, quo illi à Græcis antiquissimis. Quod si homines literati & ingenioſi (qui indies apud nos frequentissimi sunt) ad istam scribendi formulam curas suas cogitationesq; conuerterent, adeo copiosam & florentẽ linguam haberemus, vt cum alia quacunq; jure cõparari posset: & licet omni ex parte cum antiquissima Tuscana eadẽ non esset, Italica tamẽ esset, communis, varia, peruagata, & tanquã hortulus deliciosus, florũ & fructuum vbertate refertissimus. Neq; vero nouum ist hoc aut inauditũ est, nam è quadruplici idiomate Græci vnam linguam efformarunt, quam cõmunem appellabant: & non ita multo post vniuersas quæ numero quinq; fuc-

*Nouas voces licebit effingere.*

*Communis Graecorum lingua è quadruplici idiomate.*

fuerint Græci sermonis appellatione complectebantur: & quanquam reliquarum omnium Athenienſis maxime pura & facunda fuerat: tamen ſcriptores approbati, qui aliis regionibus nati erant, Atticam ita vehementer nõ affectabant, quin ex ipſo ſtylo præſagire & ſubodorari poſſes, quibus oriundi eſſent: neq; id illis vitio datum eſt, ſed aliis potius, qui nimium Attici eſſe voluerunt. Inter Latinos permagni pretij erant nõnulli hiſtorici, qui Romani ciues nõ fuerant, nec pure loquerentur: quod illis perraro contingit, qui aliunde prognati ſunt. Neque verò Titus Liuius apud ſeculũ prius proinde minoris fuerat, quia eundem mere Patauinum quidam aſſeruit, nec Vergilius quia totus in ſermone Romanus non videbatur. Imò multi oratione rudes, natione Barbari Romæ legebantur. Nos verò multo ſcilicet quam illi ſeueriores, inauditas nobis ipſis leges imponimus, & verum tramitem ante oculos poſitum habentes diuorticula & angiportus quærimus. Nam cum noſtræ linguæ plus quam cæterarũ omnium munus & officium ſit, animi ſenſum lucidè clarèq; exprimere, obſcuritate neſcio qua delectamur, eamq; linguam vulgarẽ appellamus, quæ nec vulgo hominũ, nec ipſis literatis & nobilibus ſatis cognita & perſpecta eſt: omnino immemores à grauiſſimis quibuſq; authoribus, obſoletas voces jam olim repudiatas & explosas eſſe. In quo tu mihi valde hallucinari & ipſe tecũ diſſentire videris: nam & conſuetudinẽ imperitorum inſcitia initã & confirmatam, nullius ponderis exiſtimas, & ſæpius tamen pro Capitolio *Campidolio*, pro Hieronymo *Girolamo*, pro Patrono *Padrone*, vtendum affirmaſti, quia nunc in Hetruria ille loquendi mos eſt, cum certo certius ſit, ab ignorante aliquo & inſipiente Hetruſco ita corrupte & inſcienter chartis mandata eſſe. Optimam itaq; loquendi formulam ab hominibus ingenioſis, quiq; vſu & literis inſtructiſſimi ſunt, propagari exiſtimo;

*Liuio Patauinitas attributa.*

quo-

quorum iudicio & consensu (perinde quasi instinctu quodam naturali) selectissima vocabula excernuntur, non regula aliqua, aut artificio. An nescis dictionis figuras, quæ sermoni tantum ornatū solent adferre, nihil esse aliud quā grammatices abusum, vsu tamen confirmatas esse, quia aliam earum rationem nemo reddere possit, nisi quod auribus nostris voluptate & delectatione quadam circumsonare solent? Et istam ego quidem consuetudinē omnium maxime laudabilē censeo, cuius Romani, Neapolitani, Longobardi non minus capaces sunt, quam ipsi Hetrusci. In omnī sane lingua quædam sunt omnium iudicio valde approbata, nimirum facilitas, apta elocutio, sententiæ numerosæ, iusta dispositio: affectatio verò & his contraria in vitio sunt. Verborum itidem quædam sunt, quæ per aliquantum temporis spatium, pulchra atq; vsitata sunt, nō ita multo post deformia, & inueterata fiunt, quædam vero paulatim in vsum veniunt, quæ nullius antea pretij fuerunt. Et quemadmodū annus in diuersas partes distributus, nunc fructib. & flosculis terrā vbiuis spoliat, nunc nouis eandē vicissim exornat: ita tempus rerum omnium edax, jam voces vsitatas antiquare solet, jam alias recentiores earum loco sufficere & substituere, donec easdem vicissim tempus corruperit, juxtā illud Poëtæ: Indies morimur nos, nostraq; morti debentur omnia. Intuemini linguam Oscam, cuius nullū hodie vestigium existit. Prouincialem etiam, quæ etiamsi clarissimorū virorum testimonio recentissime & quasi postridie celebretur: ab incolis tamē jam nūc minime intelligitur. Vnde illud mihi cū primis probabile videtur, quod à Iuliano dictum est: Petrarchā & Boccatium si nunc spiritū ducerent, permultis verbis non vsuros, quæ illorū scriptis cōmendantur, & proinde in illis infelix est & ridicula eorū imitatio. Qui v. laudabilia suis studiis insectantur, laude dignos esse assentior: & tamē in hac nostra lin-

*Verba suā ætatem habent & juventutem.*

lingua sine aliqua imitatione, vel ipsam consetudinẽ sufficere existimo: quod de latino sermone, dictũ nolim. Hic Fredericus, cur (inquit) majoris momenti in vulgari oratione consuetudo est, quam in latina? aut quid hic paradoxi latet? Imò consuetudinem (inquit Comes) in vtraq; magistram esse volo, sed quoniam in rerũ natura illi homines non existunt, quibus peræque familiaris latinus sermo fuit, atq; noster nobis est, id nos ex illorũ scriptis imitando haurire oportet, quod illi vsu atq; exercitatione didicerunt: neq; vero oratio antiqua aliud quicquam significat, nisi antiquam loquendi consuetudinem: quam quidẽ curiose appetere, potius vt illorum hominũ more loquaris, quam eorum qui nunc viuunt, omnino futile & inane videtur. Tum Frederic⁹: Num igitur antiqui illi antiquiores non sunt imitati? Multos credo imitatos (inquit Comes) sed non omni in re. Nam si Virgilius Hesiodum iisdẽ passib. nimium religiose insecutus esset, aut Cicero Crassum, aut Ennius suos majores, iisdem nunquam præstitissent. Homerum animaduertite, qui heroicorum Poëtarũ & tempore & excellentia primus putatur: quem tandẽ illum imitatum fuisse creditis? Alium quempiam (inquit Fredericus) eo priorẽ, cuius fama propter nimiam vetustatẽ ad aures nostras non pererebuit. Quos igitur Petrarcham & Boccatiũ imitatos opinaris (inquit Comes) qui quasi solo triduo à nobis abfuisse videntur? Exacte non scio (ait Fredericus) sed verisimile est aliquibus addictos & deuotos fuisse, etsi eos digito demonstrare nõ possimus. Tum Comes, si par est (inquit) credere, primæuos illos authores suis æmulis & sequacib. fuisse meliores: mirum certe est, adeo cito eorum gloriam penitus deletam & extinctam fuisse. Sed ego ingenij potius acumen horum magistrum reor extitisse, & naturæ instinctu atq; beneficio tam singulare judicium eisdẽ esse concessum. Quod eo minus admirari debemus, quodam ad illud

illud omne, quod in suo genere perfectũ & excellens est, liberalis & benefica natura multas easdemq; non difficiles vias rationesq; fundauit. Præterea nihil fere est, quod in se nõ habeat permultas res, genere easdẽ, specie diuersas, omnes tamen vnam eandemq; laudis mercedẽ promerentur. In Musicis (vt videtis) multiplex harmonia est: nam alia grauis & tarda, alia concitata & velox, vtraq; tamen delectat propter diuersam omnino rationem. Bidonẽ nostrum si quis cantantẽ audierit, eũ adeo artificiosum, promtũ, vehementem, celerem & variũ in cantu percipiet, vt omnino illi spiritus atq; animos nõ modo commouere & incendere crediderit, sed ad cœlum etiam efferre. Neque minus voluptatis in illa cantandi forma inest: qua vtitur Marchetus Cara, licet multo facilioris soni sit: nam mitiori quodã modo & quasi lugubri suauitate mẽtes nostras penetrando, jucundissimas nobis affectiones excitat. Diuersæ præterea res oculis nostris ex æquo placere solent, difficile vt sit decernere, qua potissimũ delecteris. In pingendi artificio Leonardus Vincius Mantegna, Raphael, Michaël Angelo, Georgi⁹ Castelfrancus, omnes peræque excellentes sunt, nõ sine aliquo in operando discrimine: ita tamẽ vt horũ nemini quicquã deesse putes, cum vnusquisq; perfectissimus habeatur. In arte poëtica permulti tum Græci tum Latini præstantes sunt, quorũ etsi in scribendo magna dissimilitudo erat, eadẽ tamen laus est attributa vniuersis. Oratorũ etiam tam diuersa semper fuit in perorando flamma atq; facultas, vt vnaquæq; fere ætas suos proprios & peculiares habuerit: non solum vt majoribus posteriores, sed ipsi etiam inter se contemporanei & æquales dissiderent: id quod apud Græcos de Isocrate, Lysia, Aeschine scribitur, multisq; aliis, qui sui tantũ similes fuerunt, præterea nullius. Eadem Latinorũ ratio fuit, nam Carbo, Lælius, Scipio Affricanus, Galba, Sulpitius, Cotta, Gracchus, Marcus Antonius,

*Bidonis Musica vehemens.*

*Marcheti Cara Musica lenior.*

*Ciceronem imitatur.*

nius Crassꝰ & innumerabiles alij, omnes gloriâ pares, facultate diuersi: adeò vt qui omnes in arte oratoriâ excellentes à primis rerum initiis enumerare posset, totidē orationis genera quot oratores egregios reperiret. Illud (nisi male memini) apud Ciceronem Antonius Sulpitio obiicit, pleroſq; esse, qui cum nullius sequaces essent, tamē ad magnæ cuiusdam excellentiæ fastigium euecti fuerunt: quosdam verò nouam quandā dicendi formulam, & a nemine in illo seculo vsitatam adinuenisse: quo in genere nullū nisi suam indolem ducem sequebantur: & proinde præceptoris probi officium esse, discipulorū ingenium plene pertentare, vt quo natura vnumquemq; vocat, eò omne suum studium & industriam conferat. Propter hanc ego rationē (mi Frederice) existimo, perperam illum & inique facere, qui adolescentem aliquem ad cuiusquam authoris imitationem adigat, nisi ita natura comparatus sit, vt eo propendere videatur. Instinctus enim in eo naturalis impenditur, & q. suffocatur, cum violeter ex suo cursu detrudatur: in quo si perstitisset, nonnihil (vt par est credere) proficere potuisset. Quocirca videre nequeo, quomodo ex eo lingua nostra locuples fiat, quomodoue majestatis quicquam ornamenti habeat: quin illud potius plane perspicio, inopem exulem, humilem, obscuram fore, si illis nos angustiis circumscribamus vt solis Petrarchæ & Boccatio nos ipsos addicamus, omnemq; fidem & authoritatem Laurentio de Medices, Francisco Diaceto, & aliis nonnullis detrahamus, qui Thuscani etiā sunt, illis fortasse hominib. nulla in re inferiores. Miserum hercule foret in primis scriptorū initiis semper consistere, planeq; sine argumento aliquo diffidere, inter præclarissima multorū ingenia, vnam tantummodo loquendi formulam inueniri posse, in ea etiam lingua, quæ eorum propria & naturalis est. Verum hodie nonnulli sunt, qui quasi religione quadā & Tuscanæ lin-

linguæ mysteriis hominum mentes sic imbuunt, ex eoq; tantum illis terrorem inferunt, vt etiam diserti & homines periti effari vix audeãt, ridiculè cõcedentes, in eo se esse sermone imperitos, quẽ à cunabulis & nutricibus didicerunt. Sed hac de re plus satis dixisse mihi videor, ad Curialẽ commode reuertamur. Tum Fredericus: hoc primũ vnicum liceat adjicere: nunquam hercule negaui varia esse hominum ingenia & dissidentes inter sese opiniones, neq; vnquam decorum putaui, vt qui natura præceps & concitatus est, res graues & seueras tractet, neq; qui austerus & tardus esse solet, in subtiles & acutas facetias incidat. Nam in eo necesse est genium quisq; suum (quantum potest) obnixe insequatur: atque id quidem est, quod innuere nobis Marcus Cicero videbatur, cum magistris præciperet, vt discipulorum naturam cognitam & perlustratam haberent, ne tanquam agricolæ imperiti, illi solo fruges committerent, quod inserendis vineis tantummodo aptum & ferax esset. Neq; mihi facile persuaderi potest, eam linguam, quæ vnius regionis propria est, quæq; ita late patère non solet, vti historiæ, sales, facetiæ, & alia eius generis nonnulla, sed certis potius limitib. & terminis circumscribitur, optimam imperandi formulã, magis quam fortuitam in loquendo rationẽ non admittere. Et vt apud Latinos Virgilium & Ciceronem vsitatius quam Silium & Cornelium Tacitum imitari solemus, ita in sermone vulgari cur Petrarcham & Boccatium inprimis sequi non liceat, omnino non video: quorum adjumenta, cum suis quisque inuentis adhibuerit, tum quocunq; propria Minerua incitauerit (vt ait Cicero) eodem animo atq; industria propendeat: eoq; modo discrepantia inter oratores à te modo constituta, non in verbis, sed in sensu apparebit. Tum Comes: Etsi verear (inquit) ne in immensum aliquod verborum flumen & tanquam pelag' prolabamur, & institutã de

*Tuscana lingua abusus.*

viro Curiali orationē prorsus relinquamus, id tamen à te scire nimium vellem, qua potissimum in re istius linguæ præstantia consistit. In illis diligenter observandis (inquit Fredericus) quæ illius sunt maxime propria: nam nec latū vnguem de stylo vsitato discedere debemus, nec aliam quampiam verborū significationē effingere & extorquere, quam quicunque in eadē scripserunt exactissime. Id igitur scisciteri libet (ait Comes) nū stylus ille justusq; numerus ex verbis an è sententiis oriatur? Ex verbis, respondit Fredericus. Num igitur (inquit Comes) Silij & Cornelij Taciti vocabula cum Virgilij & Ciceronis eadem non esse existimas? Prorsus eadem (ait Fredericus) sed quædam male obseruata, quædam futilissime expositā. Tum Comes: Quod si quis ex Cornelij & Silij libris omnia curiose vocabula seligeret & extricaret, quæ alio modo quam à Virgilio & Cicerone vsurpantur (quorum exilis numerus est) tu ne Cornelium cum Cicerone, Silium cum Virgilio conferendū putares? Hic Aemilia: Istius (inquit) disputationis seriem nimis mihi protraxisse videmini: satis hoc cum nostro fastidio saxum jam voluistis: in aliud tempus ista differantur. Pluribus Fredericus respōsurus erat, nisi ei orationis curriculum iterū atque iterum Aemilia amputasset. Tandem Comes: Multi (inquit) de stylo, de numero, de imitatione fabulantur, sed in quo ista præcipue consistant, nunquā ex illis ediscere potui: nec quamobrē illa quæ ex Homero, aut quouis alio desumta & delibata sunt, adeò scite & artificiose apud Virgilium sunt dispositā, vt ille augere potius & illustrare quam eadem imitari videatur: cuius rationem ego ipse fortasse cognitam & perfectam non habeo. Sed quoniam illud maxime cuiq; indicio & argumento est, nos tum demum quicquam probe intelligere, cum docere hoc ipsum & aliis demonstrare possimus: vereor ne ipsi qui ista inculcant, omnino non intelligant: sed propterea

*Silius & Tacitus in quo à Virgilio & Cicerone differant.*

pterea Virgilium & Ciceronem laudent, quia ab aliis laudatos animaduertunt, non quia aliquid inter eos cæteroſq; diſcriminis poſſunt ſtatuere: quod in vno atq; altero verbo non conſiſtit, ne in decem quidē vocabulis, alio modo in his, alio verò apud illos vſitatis. In Saluſtio, Cæſare, Varrone & aliis probatiſſimis authorib. phraſes aliquot fortaſſe ſunt, alia ratione apud Ciceronem applicatæ & diſpoſitæ, & bene tamen cum vniuerſis cōueniunt. Proinde in re tam friuola & inani pura atque elegans oratio non conſiſtit: vti Aeſchini ingenue reſpondit Demoſthenes. Qui cum voces quaſdam nimis antiquas proferret, reprehendit eum Aeſchines, quænam iſthæc monſtra & portenta eſſent ſciſcitatus: cui ille non ſine riſu reſpondit, non eſſe in eo poſitas Græciæ fortunas. Ita ego Tuſcanū aliquem vobis deridendū proponerem, qui me ideo reprehenderet, quod pro ſatisfacio *ſodúfacio*, pro honoreuole *horreuole*, pro cauſa *cagione*, pro populo *popolo*, & horum ſimilib. vterer. Inſurgit hic animoſe Fredericus, omneſq; valde precatur, vt eum non grauate audiant, dum pauca adjiciat. Verum ſubridens Aemilia de hoc negotio, vltra quicquā diſſerere, non huic ſolum, ſed omnib. etiam interdixit: hortando vt in aliam noctem different. Et tu (inquit) Comes, de tuo Curiali perge quoad voles dicere, memoriæ tuæ periculū faciemus. Nam vbi poſtremo interrupiſti, ſi telā poſſis retexere virum te preſtiteris. Præfractum vt ais (inquit Comes) orationis filum eſt: tamen, niſi fallor, affectionis turpitudinem male cum dignitate cohærere nouiſſime dixeram: incuriam verò ſimplicem illam, & minime ſpontaneā, homini libero & ingenuo dignam & conuenientem eſſe. De quibus vtriſque etſi multo plura dici poſſunt, vnum tantum adjiciam.

*Muti aliorū judicio freti laudāt atq; ſuperant.*

Mulieribus promiſcue omnib. hoc intime in votis eſt, formoſæ vt ſint: aut ſi reipſa non fuerint, videantur tamen eſſe: & ſi qua parte natura defuerit, artis

*Curiosus mulierum ornatus.*

ſuppetias & auxiliũ adjungunt. Vnde illæ tam crebræ faciei vnctiones, tantũ frontis depingendæ ſtudium, nonnunquam fortaſſe dolor & cruciatus, tanta in capillis & ſupercilijs ordinandis ſollicitudo, deniq; tot vnguenta, pharmaca, pigmenta, vt cum illis graue faſtidiũ ſemper adſit, horum tamen omniũ nouitiam & ſuſpicionem ab hominibus longe abeſſe ſperent. Arriſit hic Conſtantia Fregoſa, & humaniter (inquit) Ludouice feceris, ſi inſtitutam de viro Curiali eiuſq; dignitate diſputationem diligentius inſequaris: nec à propoſita meta temerè excurras, dum mulierculariũ errores nimium curioſe patefacias. Imò ad præſentem cauſam (inquit Comes) cõmode veſtra ſeſe vitia offerunt: nam iſtam vobis venuſtatem omnino præripiunt & imminuunt: nam dum nimium accuratam formæ datis operam, vnicuique palam facitis, quam præter modum formoſas vos eſſe deſideretis. An non plane animaduertitis, quam deceat fœminam ita modeſte ornatam eſſe, vt ornetur, nec ne, facilè non intelligatur? alij viciſſim quam indecorum ſit, tot vnguentis, oleis & emplaſtris oblitã eſſe, vt tegumento aliquo faciem obuelatam putares? quæ ridere non audet, ne ſulcus in vultu appareat, mutare colorem non poteſt, niſi ipſa noua mulier videri velit, mouere dubitat, quia ſtatuæ ſimilis eſt, diem vt glis odit, noctem & tedarum lucem (vt adulterini mercatorum panni) quã omnia mauult. Quanto quæſo magis delectamur, quæ cum nõ ſint deformes, nulla re tamen faciem oblinire ſolent? ipſæ interim nec valde rubicundæ, nec albæ, ſed naturali colore aliquantum pallidæ, verecundia accedente, ingenuo quodam rubore nonnunquam perfuſæ: capillis negligenter incompoſitis, ſimplice & naturali geſtu, nunquam cultui, nunquam formæ deſeruientes. Hæc eſt illa pura & ſyncera incuria, quæ oculis atque animis hominum maxime placet: qui ſemper timere ſolent, ne ſubitil

*Fucatus mulierum color ſuſpectus & exoſus.*

aliqua fallacia circumueniantur. Dentium (vti nostis) albedo fœminas magnopere decet, quia cum illi oculis nostris minus quam facies obiiciantur, verisimile est, minus in illis perpoliendis quam in facie laborari: quisquis tamen idcirco vehementius fideret, vt eosdem ostenderet, & occultum artificium propalaret, & omnium iudicio indecore vultuosus esset, vt Egnatius ille Catullianus. Idem de manibus dici potest, quæ cum pulchræ & delicatæ sint, si oblata occasione, non consulto, demonstrentur, magnum sui desiderium in nobis relinquunt, etiam tum cum Chirothecis coopertæ fuerint. Dum enim verecunde occultantur, illud apparet, nec de industria ostentatas esse, & natura potius tales, quam artificio aliquo fuisse. Quod si fœminæ cuiquam contigerit, tantum vestimenti sui eleuare, vt pedum aut tibiarum pars aliqua forte conspiciatur, dum vel templũ, vel alium quemcunq; locum adierit, vel ludis jociſq; se immiscuerit: si (inquam) fortuito id fecerit, nonne pulchrũ valdeq; decorum putatis? Eoq; magis si ad muliebrem modestiam & munditiem singularem, calceamentorum & caligarum ornatus accesserit? mihi quidem certe valde arridet, & vobis credo omnibus. Eam siquidem tam exquisitam venustatem in loco tam recondito, & ab omnium oculis remoto, vnusquisque naturalem potius, quam elaboratam existimat: nimirum ex qua nihil laudis speciari poterit. Ista omninò ratione affectatio vitanda est, quæ facile perspicitur, quantum distat, quantumque detrahit, tum corporis, tum etiam animi dignitati, de qua etiamsi adhuc pauca dixerim, omittenda tamen non est: nam vt corpore mens nostra multis gradibus excellentior est, ita cumulatius ornata & perfecta esse debet. Quod in Curiali nostro, quomodo fiat (vt de Philosophis taceam, qui de virtutibus animi præcepta tradunt, subtiliterq; disserunt) pauciſſimis absoluam. Satis enim

*Catullianus cultuosus.*

est(quod vulgo dicitur)honestum virum&omni in re bene affectū esse: in istis enim prudentia, integritas, fortitudo,temperantia & reliqua tam honorato conveniētia comprehenduntur. Morali sane Philosopho sufficere existimo bene velle: neque aliis præter voluntatem præceptis opus est. Præclare itaq; Socrates, qui se multum erudiendo profeciſſe putabat,si cuiusquam voluntatē ad virtutis cognitionem impellere potuisset. Nam qui eo cupiditatis & desiderij perducuntur, nihil vt malint, quam se esse bonos, eorum omnium, quæ eo deducunt,scientiam facillime consequuntur.Et de eo propterea nihil vltra adjiciemus. Proximum honestati in vnoquoq; locum meo judicio habent literæ: tametsi armorum splendor apud Gallos tanti æstimetur, non modo vt literis nihil tetrius existiment, sed literatorū etiam nomē inuisum &exosum sit.Vere tu quidē prędicas(inquit Iulianus) per omnes Galliæ oras iste jampridem error peruasit; verum si Regulus Engolismi(vti omnes sperant)feliciter in regno succesſerit, non erit armorum major, quam literarum gloria.Cum enim non ita pridem in Gallia peregrinatus, istum in aula Principē viderem, præter eximiam vultus corporisque habitudinem, tanta in eo magnificentia eminuit, vt Gallicum imperium vix tantæ spei atque expectationi sufficere putarem. Ex aliis deinde, tum Gallis, tum Italis, de illius nobili ingenio,de magnanimitate,liberalitate, certior factus sum, &(quod omnium primum est) de summo illius in bonas literas omnesque literatos candore & clementia: quibus tantum inter cæteros eminuit, vt ipsos Gallos sæpenumero increparet, quod tam alieno essent animo à Musis & scientiis,cum adeo propinquam haberent Parisiorum Academiam, omnium gentiū concursu nobilissimam.Mira narras (inquit Comes)in tam tenera & juuenili ætate,solius naturæ beneficio,contra communem illius regionis con-

*Socrates præter voluntatem nihil pene desiderabat.*

*Mōsigneur de Angulesme, id est, Franciscus primus.*

consuetudinē tam præclaram exortam esse indolem. Et quoniam Principis exemplo populus plerumq; in vtramq; partem flexilis est, fieri potest, vt literis Galli tantum breui tribuant, quantum eisdem jure optimo debetur. Quod quidē in promtu erit, si illis persuaderi possit, homini libero nihil esse cognitione melius, nihil vtilius. Quod si quisq; non agnoscat implicita mehercule cum imprudentiā, insciti a erit. De eo si mihi cum illis conuenire & colloqui liceret, aut cum alio quouis, qui alterius sententiæ est, darem operam, ex me vt intelligerent, literæ quam essent humanæ vitæ necessariæ, quas à Diis immortalibus hominum generi tributas esse æquum est existimare. Neq; mihi peruetera clarissimorum Imperatorum exempla deessent, qui ad bellicam virtutē literarum etiam subsidia adjunxerunt. Nam apud Alexandrū tanta semper Homeri venetatio fuit, vt dormientis capiti illius perpetuo Iliades subjacerent: philosophiæ vero tanto studio idem incendebatur, vt Aristotelē acutissimum aliquando legentem, nonnunquam disputantem audierit. Alcibiades etiam aliarū virtutum opinionem & literarū incremento, & Socratis præceptis adauxit. Cæsar vero quanto earundem desiderio exarserit, vel ex eo colligitur, quod ea, quæ interdiu gessit, noctu diuinissime scripserat. Scipio deniq; Africanus illos Xenophontis libros semper in manib. habuisse dicitur, in quibus Cyri appellatione atq; nomine perfectissimum Regis munus & officium describit. Possem equidē Lucullum, Syllam, Pompeium, Brutum, multosq; alios Romanos, & Græcos vobis cōmemorare, verum vno Hannibale erimus contenti. Qui etsi truci animo, labili fide, natura feroci, perfido diis hominibusq; ingenio esset, tamē vt dux belli egregius fieret, literarū Græcæq; linguæ imperitus esse noluit; adeo vt librum (ni fallor) sua manu Græcis characteribus conscriptum, post se moriens reliquerit. Verum in re

*Cæsaris scripta egregia.*

*Scipionis Xenophontis libri familiares.*

*Hannibal Græcè scripsit.*

minime dubia testibus vtor non necessariis. Nemo enim vestrum, opinor, est, qui non intelligat, quam valde in eo Galli cœcutiant, si literarū cognitionem armorum nobilitati obesse putent. In rebus magnis & scientia militari verum virtutis calcar & stimulus (vt probe nostis) gloria solet existere. Nam qui lucri cupiditate, aut cuiusvis præterea rei prætextu, ad eandem impellitur: is nec quicquam laude dignum efficiet, nec eum virum fortem & strenuum, sed mercatorem subturpem dicere solemus. Quod, quam sit verum, illi præcipue dijudicare possunt, qui in literarum cognitione tanquam in summo rerum omnium thesauro acquieuerunt, à quo illi sunt alienissimi, qui infeliciter nati, in summis insciticæ vmbraculis educati, tam incredibilem jucunditatem nunquam degustarunt. Quis animus adeò demissus, humilis, abjectus, vt cum Alexandri, Cæsaris, Scipionis, Hannibalis res gestas legerit, eorū similes forte vehementissime non desideret, eamque immoralitatem huic vitæ (quæ toto forttasse triduo vix permanebit) longe non anteponat, præsertim cum nec morte deleri possit, & multo post interitum clarior existat? Verum qui admirabilem literarum voluptatē nunquam persensit, laudis & gloriæ magnitudinē, quæ illarum ope atq; ministerio conseruatur, cognoscere non potest. Illam siquidem vnius atque alterius hominis ætate metiri solet, quia hebetem atque obtusam mentis aciem vlterius intendere non potest. Neque proinde momentaneo isto & adumbrato encomio tantum delectabitur, quantū justissimo illo delectaretur, si tanta caligine ingenium illi non esset offusum: neq; illis se periculis insciens obiiciet, quæ sciens prudensq; aliquis nihili æstimat. Nollem equidē propositi defensorem quempiam in hoc mihi occurrere, qui contrariam sententiam, quo probabilius defenderet, nimis verum Italorū exemplum proferat, qui per aliquantulum

tulum jam temporis, sepositis armorũ negotiis, literarum otio vehementer incubuerunt. Paucorũ sane hic potius error quam omniũ fuit, qui reliquos non minori damno quã ignominia affecerunt. Nam eorũ desidia, spreta & neglecta virtus in animis nostris aut prorsus interiit, aut prope excessit. Verum id publicè cõfiteri majori nobis dedecori futurum est; quã Gallicis hominibus literas nescire: proinde tacere magis juuat, quam cum dolore eloqui. Istis itaq; intermissis (in quæ inuitus incidi) ad Curialem nostrum reuertamur, quem plus quam mediocriter literis instructum esse volumus: in illis saltẽ scientiis, quas humaniores appellamus, non latine solũ, sed etiam græce, propter illarum rerum excellentiam, quæ in vtrisq; illis præclarissime scripta reperiuntur. Oratores legat, Poetas euoluat, historicos percurrat, deniq; carminibus & oratione prosa (præsertim in lingua vulgari) multum se exerceat. Nam præterquã quod ipse sibi mirum in modũ satisfaciet, cum mulieribus etiam (quæ istarum rerum voluptate capiuntur) jucundissime versabitur. Quod si vel ita magnis negotiis implicatus fuerit, vel ita parũ studendo profecerit, vt perfectam quandam & absolutam in scribendo rationẽ assequi non possit, prudentiam saltem in scriptis occultandis adhibeat, ne eisdem propalandis, aliis ludibrio fiat. Soli amico tali in re credendum est, eique cum primis fideli: ex quo hoc capiet commodi, vt de rebus alienis exactius dijudicare possit. Rarò enim euenire solet (etiamsi probe literatus quis fuerit) vt sine summa scribendi exercitatione, vel scriptorũ labores & lucubrationes cognoscat, vel styli suauitatem persentiat, vel subtilissimas antiquorum obseruationes discernat. Hæc enim illa sunt, quæ copiosum & luculentum faciunt, & (vt Tyranno Aristippus respondebat) de quouis themate, cum quocunque aduersario, in disputando promptum & audacem. Vnum tamen hoc præceptum

*Itali tantũ literis dediti, vt armorũ sint obliti.*

*Litera Curiali necessaria.*

Curia-

Curiali nostro alta mente repostum esse optamus; omni in re diligēter vt caueat, ne id, quod nescit, scire videatur: in eo enim timere præstat, quam confidere; quoniā natura laudis auidiores sumus, quam par est, & in illis aures nostræ plusquam Musico concentu delectentur facile vt sit, earum lenociniis immergi, nisi contra eas, tanquam contra Sirenum voces, aures vndique obturatas habuerimus. Quod cum antiquis scriptoribus obscurum & incognitum nō esset, libris quibusdā ea de re compositis instituerunt, quomodo ab assentatore verus amicus discerni possit? Verum quid illi ista profuerint? cum tam multi imò infiniti sint, qui cum auribus eorum aliquid dari manifeste intelligant, tamen & eos amant, qui crasse adulantur, & eos oderunt, qui simplicis veritatis cultores sunt, & eos parce prædicare putant, qui illos moderate laudant, & aliorum laudibus tanta nonnunquam de se accumulant, vt impudentissimum parasitum suæ in assentando parsimoniæ sæpenumero pœniteat? Occœcatos istos stupidosq; cum suis tenebricosissimis erroribus, omittamus, eoque judicio & perspicientia Curialem nostrū confirmemus, vt nec pro rebus albis nigra aliquādo intelligat, nec quicquā certo affirmet, quod exploratū non habeat: illis præsertim in rebus, quæ modò à Cæsare (si forte memineritis) in suo invento argute & subtiliter recitatæ sunt, quibus vsque ad insaniam quorundam stultitia abuti solemus.

*Suauis laudū nostrarum sonus.*

*O singularē philautia descriptionem.*

Ab isto erroris genere facili⁹ liber & immunis vt sit, vel justissimis laudib. apertè non consentiat, nec eas non cōtradicendo agnoscat, quin poti⁹ moderatione quadam adhibita prorsus inficietur. Arma verò vbicunque fuerit, plusquam omnia profiteatur, reliqua tanquā horū ornamenta excolat, præsertim inter milites vtrosq; strenuos: nec eorū similis esse velit, qui inter literatos bellicosi, inter bellicosos literatos esse volunt. Istarum rerum si diligentem rationē curamq; adhi-

adhibuerit, & affectationem illam curiosam summa industria declinauerit: quæ in eo mediocria existunt, videbũtur esse maxima. Hic Petr. Bembus, non video (inquit) Ludouice, quomodo Curialis tuus literis cæteris q; virtutib. ita instructus sit, vt arma potius literis ornamento nõ sint, quam armis literæ: quæ sine aliarum rerũ opeatq; adminiculo tantũ armis præstant, quantum mens corpori: huius enim sunt arma, illius verò scientiæ. Immò verò (ait Comes) arma tum ad corpus tum etiã ad animũ spectãt: sed ego te, Bembe, judicẽ hac in causa non admitto, nam in alterutram partem inique sat scio propenderes: & quoniam apud viros sapientes agitata jam pridem hæc quæstio est, eadẽ nobis de integro repetenda non erit. Verum pro armis stare meliores affirmare non dubito, eiusque sententiæ nostrũ Aulicum (quoniam arbitrio nostro fingendus est) omnino volumus existere. Quod si tu diuerso judicio fueris, illã expectato disceptationem in qua armis arma æque defendere liceat, atque in scientiarum controuersiis literas literis propugnare erit licitum. Hem, non ita pridem est (inquit Bembus) ex quo Gallis valde vitio verteris, quod bonas literas tam nihili facerent: easq; verum gloriæ lumẽ, verum immortalitatis trophęum nominaueris: & adeo nunc subito immutatæ voluntatis argumenta ostendis? Nonne illud Petrarchæ tibi venit in mentem?

*Cum prope relliquias immittũ staret Achillis*
*Magnus Alexander, suspirans talia fatur:*
*Fælix ô tanto fælix celebrate Poeta!*

Quod si Alexander non tam virtutis nomine Achilli inuideret, quam etiam fortunæ, quæ Homerum illi luculentissimũ rerum ab eo gestarum cõmentatorem præstitisset: in promptu illud est, pluris illum Homeri literas, quam Achillis arma æstimasse. Quem quæso alium judicem, quamue aliam sententiam expectatis præter illam, quæ à summo omnium Imperatore, de

vtrif-

vtrisq; & armis & literis æquabiliter lata est. Respondit Comes: Tantū abusum ab eo, vt Gallos vehementer non reprehendam, qui scientias virtuti militari inimicas existiment, vt nulli hominum magis putem necessarias quam militi: quæ vtraq quoniam vnita meliora sunt, curiali nostro simul inesse desideramus. Neque propterea de sententia discedere videri velim (nam de earum comparatione & præstantia disputare non institui) satis est, quod docti & eruditi homines nunquam nō egregios viros, & fortia eorū facta, suis monumentis decorandis existiment, quæ sua quisq; vi laude esse dignissima cōfitetur. Hæc nisi ita essent, nec tanta foret scriptorum gloria, nec tam perpetua historiarū series, nec tanta cum voluptate atq; desiderio legerentur, quippe quę nihil solidi in se haberent, nullo fundamento, nulla subiecta materia atq; pondere niterentur. Quod si æmulatione aliqua proinde commotus est Alexander, quod ab illo potissimum homine laudatus est Achilles, proinde non sequetur bellicam virtutem literis eundē postpositisse. In quo si ille tantum ab Achille abfuisset, quantum reliqui omnes ab Homero, qui de eo scripturi erant: non dubito, quin ipse præclarè facere maluisset, quam alios bene loqui. Verum in eo suiipsius tacita laus inerat, & occultū eius rei desiderium, quam ipse non videtur habuisse (nimirū admirandæ in scribēdo excellentiæ) non autem illius, qua se jām pridē abunde præditum persensit (id est virtutis militaris) in qua Achilli nusquam se putauit imparem aut inæqualem. Felicem itaque appellauit, quod cum antea subobscura illius gloria fuisset, diuino Poetæ ingenio multo clarissima est effecta. In quo non tantum suis meritis, quantum fortunæ bonitati tribuisse videtur: quæ illius famæ tam sonoram tubam insperato adinuenisset. Fieri etiam potest, vt præclarissima hominū igenia ad scribendu in eo excitare conatus fuerit, clanculum illis ver-

verbis significans, quam omnino gratum & acceptum esset (pro suo in bonas literas candore) si quis rerum à se gestarū historiam sempiternæ memoriæ commendaret. Verum de istis satis: imò satis superq; (inquit Ludouicus Pius) nam in toto terrarum orbe vas aliquod tantæ magnitudinis nō esse auguror, vt omnia in tuo curiali posita atq; inhærentia capiat & cōtineat. Expecta paululum, ait Comes: nam etiam adhuc alia nonnulla restant. Hoc si ita sit (inquit Petrus Neapolitanus) tum Crassus de Medices de Petro Bembo valde triumphare poterit. Arrisum est nō mediocriter, dum Comes quasi de integro repetitis altius initiis: Audite (inquit) audite viri optimi Curiæ nostrū perplacere mihi non posse, nisi etiam Musicus fuerit, & præter literatā musices artem, ædib. etiam, aliisq; instrumentis sciat. Nam nec vlla molestiarū & perturbati animi relaxatio melior aut honestior: nec vlla in aulis Principū exercitatio magis necessaria. Nam præterquam quod vulneratæ & exulceratæ mentis refrigerium & fastidiorū medicina est: mulieribus generosis mirum in modum satisfacit: quarum molles & tenerrimæ affectiones, vel harmoniæ impetu huc illuc impelluntur, vel eius suauitate jucundissime saturantur. Quo minus admiror, & hodie, & apud seculū prius tantam illius scientiæ veneratione fuisse, cum plane videam animorum nostrorum tanquam pabulum aliquod & fomentum esse. Hic Gasparus: credo (inquit) per deos Musicam cum aliis inanissimis exercitiis mulierculis congruam esse & conuenientem, aliisq; nonnullis qui facie tantū non re ipsa viri sunt: qui istis delitiis animos nimiū effœminatos ita emollire & eneruare non debent, vt ex iis mortē aliquando extimescant. Caue dicas, respondit Comes, nam mihi in isti⁹ artis laudes ampliſſimas, tanquā in Oceanum aliquē descendendum est, si quomodo antiquitus, tanquam sacrum & diuinū aliquid celebratū fuerit, fusius cōmemorem.

*Musica cuiuis curiali necessaria.*

Ipsi

Ipsi sane Philosophi, seueriſſimi rerum æſtimatores, totius mundi fabricam muſica proportione putant conſiſtere, cœlorũ motus concentũ efficere animam noſtram harmoniã eſſe, & proinde ſeſe erigere & vim ſuam recognoſcere, quoties muſicam tanquam naturam ſui ſimilem perſenſerit. Et proinde memoriæ proditum eſt, Alexandrũ iſtius ſcientiæ vehementia perculſum, & quaſi œſtris percitũ, è mediis epulis ad arma nonnunquã proruiſſe: non ita multo poſt molliori ſono, & mitiori cithararũ ictu delinitũ, ab armis ad epulas reuertiſſe. Socratem etiam cum in ſumma ſeueritate conſeneſceret, lyræ ediſcendę nauaſſe operam. Ab Ariſtotele & Platone (vti memini) præcipitur, vt vnuſquiſque liberaliter educatus Muſicam ab ipſa pueritia addiſcat: cui ſententiæ infinitas prope rationes adjungunt. Nam prętęr momentaneam quam ex ea percipiunt voluptatẽ, habitus etiam eorum animis ſenſim ad virtutes & felicitatẽ tendentes inſeruntur: non multo ſecus quam in corporis exercitiis fit: quæ non modo ciuilibus actionibus rebuſq; bellicis non officiunt, ſed multo nos in iis meliores & paratiores reddũt. Lycurg⁹ inter multa ab eo ſeueriſſime decreta & ſancita, Muſices vſum approbauit. Lacedæmonij & Cretenſes viri cumprimis bellicoſi citharas atq; alia inſtrumẽta mitioris ſoni ſuis pugnis immiſcuerunt. Idem factitarunt nonnulli Imperatores Clariſſimi, vt Epaminondas, multiq; alij: qui vero fidib. vti neſciebant (vt Themiſtocles) indoctiores & multo minoris momenti videbantur. An non illud de Chirone ſene legiſtis, qui Achillẽ cum erudiendum in tenera ætate accepiſſet, muſicis eũ ante omnia inſtruẽdũ curauit? Voluit magiſter diſertus, eas man⁹ quæ Troiano ſanguine multories imbuendæ erant, citharas pulſando nonnunquã detineri. Num igitur miles quiſpiam eſt (de reliquis belli ducib. illuſtriſſimis vt taceam) quem Achillẽ imitari pigeat? Nolite igitur ea Curialem noſtrum

*Alexander Muſica & incẽſus & placatus.*

*Muſica Lycurgi legibus approbata.*

*Epaminondas Muſicam adamauit.*

*Chiro Achilli muſicam permiſit.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778428311/phys_0084
DFG

ærum arte & peritia spoliare, quæ non solũ homines, sed feriſſimas etiã belluas solet manſuefacere. Huius qui nullum habẽt ſenſum, aut guſtum, cundẽ vel inſenſatum eſſe, vel ſpiritus diſcordes, & inuicẽ repugnãtes habere licebit affirmare. O incredibilẽ Muſicæ ſuauitatẽ, quæ piſcem natura ferum, ſenſu ſtupidum, & prope ſurdũ eo pellexit, vt hominem ſibi tanquam equo inſidentem, per mare turbulentum euexerit! In templis præterea & delubris diis honorem illius concentu tribuimus, quod & illis gratum eſſe, & nobis ad laborũ ſolatium concedi, nõ iniquum eſt exiſtimare. Nam (vt ad minora accedam⁹) agricolæ rudes & callo- *Muſices vſus omnib. jucundus.*
ſi, æſtiuo ſole intolerabiles alioqui labores agreſtiſſimis cantib. tranſigunt: & anus ruſtica (quæ anteluca-
nis temporib. nere, & lanas terere non deſinit) omnia cantillando jucundiora efficit. Hæc poſt imbres & turbulentiſſimas tempeſtates, miſerrimis nautis tanquam portus eſt, peregrinantibus & laſſatis quaſi viarum finis atq; meta, vinctis & carcerib. incluſis inſtar cuiuſdam libertatis. Verum quanta & quam incredibilis Muſicæ etiam minus artificioſæ delectatio ſit, vel ex eo colligi poteſt, quod illius vſum in pueris educandis ipſa natura nutricibus infuderit. Quæ (quoties in vagitum & clamorẽ infantes inciderint) ſilentium eiſdem atq; ſomnum cantando (tanquam Caduceo Mercuriali) inducunt: eiſq; lachrymis finẽ imponunt, quæ nobis in illa ætate tanquam ad certũ totius vitæ præſagium à natura tribuuntur. Reſpirauit hic paulum Comes. Tum Iulianus: Non ſum (inquit) eadem cum Gaſparo ſententia, quin potius juxta tecũ ſentio, Muſicamq; credo cuiuis Aulico non ſolũ ornamento, ſed etiam adjumento eſſe, quo tamen modo, qua ratione, quo etiam tempore, & illa & aliis virtutibus vti debeat, libẽter ex te audirem: multa enim, quæ per ſe laudabilia ſunt, cum intempeſtiua ſint, jure vituperantur. Quæ vero nullius momenti ducimus, ſi appo-

site & sapienter vtamur, permagni pretij nonnunquam videri possunt.

Priusquã istuc ingrediamur (inquit Comes) de alio quodam pauca adjiciemus: quod quoniam alicuius ponderis est, Curiali nostro minime deesse volumus: idque (ne diutius expectes) pingendi artificium est. Neq; tibi valde mirum videri debet, me eam illi arte attribuere, quæ hodie inter Mechanicas & obscuriores enumeratur. Memini enim jampridem legisse me apud majores nostros, Græcos præsertim, adolescentes nobiliores eandẽ accurate didicisse, tanquam rem honestã, & imprimis necessariam. Quæ vt aliquanto illustrior esset, in primum liberalium artiũ gradum cooptata est, non ita multo post seruis & mancipiis interdicta. Apud Romanos etiam summa illius veneratio fuit: cuius præstantia antiquissimæ Fabiorum familiæ cognomentum addidit: primus enim Fabius pictor appellatꝰ est. Cuius ea in pingendo peritia fuit, vt cum Salutis templum artificiose depinxisset, nomen suum propria manu inscripserit: & quanquam tam clara prosapia prognatus esset, tot Consulatus titulis, tot triumphis, & honorib. decorata, ipse etiam adeo doctus prudensque, vt nunc Orator, nunc Iureconsultus haberetur: omnia tamen clariora fore putauit, si istis facultatibus tam exquisitum picturæ trophæum accessisset. Nonnullæ præterea familiæ fuerunt, in ista arte præstantissimæ: quæ præter insitã quandam excellentiam, incredibilem habet in rebus bellicis vtilitatem. Nam regionũ situs, flumina, pontes, rupes, planitiem, arces, etsi quis memoria tenere possit (quod est difficile) alteri tamen sine hac quasi ad oculum demonstrare non potest. Et vt multum in pauca conferam, quisquis istius scientiæ amicus non est, à ratione valde alienꝰ est. Quid enim aliud totius mundi & vniuersitatis huius machina est? quid cœlum tot stellis atq; syderibus rutilans? quid in horum medio

*Pictura Curiali necessaria.*

*Fabius cognomento Pictor.*

medio terra, mari vndiq; circumsepta, mirificeque in partes distributa, montib⁹, fluuiis, vallib⁹, arboribus, herbis, floribus ornata? quid (inquam) hæc alia sunt, quam immensa aliqua & nobilis pictura, vel naturæ, vel Dei alicuius manu efformata? Ad quã quo quisq; propius admitandum accedit, eo mihi laude dignior videri solet: prope vero accedere nõ potest, sine summa aliarum rerum cognitione; vti illi norunt optime, qui ea in re periculum aliquanto fecerunt. Atq; id reor esse causæ, quod tanti jam olim & artem & artifices æstimarint, vti ad summũ dignitatis fastigium tandẽ peruenerint. Huic rei argumento esse possunt statuæ marmoreæ, & ænea toreumata in hunc vsque diem conspicienda. Et quamuis sculptura, id est, fingendi celandiq; artificium, aliquantulum à pingendo differat, tamen ex eodẽ fonte vtrunq; profluit, nimirum ex apta quadã descriptione. Et quemadmodum ipsæ antiquæ statuæ diuinum in se aliquid habere videtur: ita procul dubio Pictura diuina est, eoq; magis id verum est, quo illa est magis artificiosa. Hic Aemilia in Ioannem Christophorum Romanum conuersa, qui vnà cum cæteris assidebat, quid tibi (inquit) ista videtur sententia? tunc pingendi mai⁹ quam celandi sculpendique artificium arbitraris? Tum Romanus: Quin potius in arte statuaria plus laboris, plus scientiæ, plus dignitatis, quam in pictura, ego quidem existimare soleo. His Comes: Quoniam (inquit) statuæ permanentiores sunt, majoris fortasse pretij videri possunt. Cum enim ad memoriæ diuturnitatem vtræq; fiant, in eo finem propositum statuaria magis pertingit. Verum præter æternitatem cum ad ornatum etiam fiant picturæ, stautis multo sunt in eo superiores: & quantum temporis diuturnitate cedunt, tantum splendore & pulchritudine excellunt. Tum Romanus: Aliud credo tibi in oratione ista, aliud in animo esse; & hæc omnia in gratiam Raphaëlis tui, cuius

*Statuariam pictura sit excellẽtior.*

*Raphaël*

*pictor eximius.*

cuius eam fortasse præstantiam esse putas, vt marmoream sculpturam nullo modo cum ea sentias conferendam. Verū meminisse debes, istam non artis illius sed artificis potius esse laudem: mihi quidem certe vtraq; artificiosa naturæ imitatio videtur. Neq; vero satis perspicere possum, qua ratione id dicas, naturæ proprium verumque opificium, marmorea aut ænea materia min⁹ exprimi (in qua membrorū rotunditas, longitudo, crassities, exilitas, omnes denique dimensiones sunt) quam tabula picta, in qua tantummodo superficies, lineamenta, & subtilis colorū fucus atq; fallacia inest: nisi forte id dicas, apparere, quam esse, propius ad ipsam veritatem accedere. Deinde statuariam multo esse difficiliorē quiuis propterea judicare solet, quoniam in ea si forte erratum sit, reuocari aut corrigi nō potest: resarciri enim & conglutinari haud facile insculpta consueuerunt, sed omnia de integro reficienda sunt. Quod in picturis non contingit, quæ plus millies addendo, detrahendo, illinendo, tingendo, innouari, & in melius commutari possunt. Subridens hic Comes, in gratiam (inquit) Raphaelis mei non loquor, neq; me tam insciū & ignarum existimare debes: vt Michaelis Angeli, vt ipsius tui, vt aliorum in fingendo, cælandoque præstantiam non norim: verum de arte, non autem de artifice loquor: & in eo tu quidem probe, cum vtramq; naturæ æmulem & imitatricem dixeris: id tamen omnino non concedo, scilicet esse statuariam, videri picturam. Nam statuæ etiamsi rei viuentis effigiem, in hoc præ se ferant, quod rotundiores sint, picturæ vero tantum superficiariæ appareant: in illis tamen permulta desunt, quæ in istis insunt. Nam lumen, vmbra, serenū, spissum, rarum densumque pictor magis minusque (prout res ferat) naturaliter exprimit: quod statuario non conceditur. Et quanquā rotundæ figuræ pictura capax non sit, musculos tamen atque membra adeo curio-

*Michael Angel⁹ statuarius egregius.*

curioſe circumducit, vt cum reliquis partibus, quas non videmus, mirum in modũ conſentiant, pictorem in illis rebus valde peritũ iudicare liceat. Et vt majore artificio membra, vel magis conciſa, vel juſta proportione aliquanto longiora, cum velit, efficiat, alia quadam eaque grauiora ſcientia opus erit, nimirum proſpectiua: quæ lineis, menſuris, luminibus, vmbraculis, vel erectiſſimi muri planã ſuperficiem, diſtantiam, altitudinem veriſſime oſtendit. Num parui negotij putas colore viuidum carnem, pannum, veſtem cæteraq; omnia colorata ad viuum exprimere, & diſtinguere? Id ſtatuarius facere non poteſt: neq; enim aſpectũ gratioſum, nec oculos nigros, nec cœruleos cum amabili quodam ſplendore, & radiis ſcintillantibus poterit effingere: non flauos rubeoſue capillos, non armorum nitorem, non obſcuram noctem, non tempeſtatẽ marinam, non lampades aëreas, aut cœleſtes ſagittas, non ciuitatis incendium, non roſeam aut purpuream auroræ lucem, non denique cœlum, mare, tellurẽ, montes, ſyluas, flumina hortos, prata, domos, tuguria: quæ omnia, cum pictori videantur facillima, illius ego ſcientiam nobiliorẽ eſſe, & plura ſuo ambitu comprehendere exiſtimo. Cuius ſententiæ antiquos fuiſſe credo, idq; ex reliquiis quibuſdam ſubterraneis Romæ deprehendi poteſt, præcipue vero veterum authorum ſcriptis & annalibus, in quibus tam frequens, tamque honorifica & artis & artificum mentio incidit, vt quãti apud omnes gentes momenti fuerint, latiſſime cuiq; pateat. Vnde illud memoriæ proditum eſt, apud Alexandrum Magnum, Apellem Epheſium tanto in honore fuiſſe, vt cum mulierculæ cuiuſdam vehementer ab eo amatæ effigiem depinxiſſet, ipſeq; pictor eandẽ non ita multo poſt perdite amare occiperet, poſtquam eum Alexander deperire vidiſſet, eandem illi liberaliſſime conceſſit. Digna mehercule tanto viro munificentia: qui non ſolum

*Proſpectiuæ picturæ pediſſequa.*

*Alexander Apelli amicam conceſſit.*

diuitias & dignitates, sed suum etiam suauium & capitulum lepidissimum alij donauerit. In quo quanta charitate beneuolentiaq; Apellem complexus fuerit, liquido sane constat, cũ illi magis placere desideraverit, quam dilectæ jam diu fœminæ, quæ Regis delitias cum Pictoris squalore (procul dubio) nunquam commutasset. Nonnulla præterea illius in Apellẽ amoris certissima indicia recensere possem, verum hoc vnum satis erit, quod publico edicto vetuerit, ne illius effigiem quisquam nisi Apelles pingendo exprimeret. Liceret etiã insignes Pictorũ contentiones repetere, quas totus fere terrarum orbis in hodiernum vsque diem summa admiratione summisque laudibus prosequitur. Quibus multorũ Imperatorum triumphos adjicere possum⁹, picturis vndiq; propterea refertissimos, vt ex illis & solenniores essent, & multo etiam magnificentiores. Quid, quod nonnullorum Pictorum ea fuerit animi magnitudo, vt perinde opificium suum gratis semper donare consueuerint, quasi nullas pecunias, nullũ prẽmium, tantæ excellentiæ sufficere putarent? Protogenis tabula tanti pretij fuisse dicitur, vt cum Rhodum Demetrius obsideret, eamq; jamjam in potestatem redacturus videretur, si ferrum flammamq; eo loci admouisset, vbi posita hæc tabula fuerat: vincendæ potius ciuitatis occasionem amittebat, quam opus tam egregium inuitus incenderet. Metrodorus Philosophus, idemq; pictor eximius, ab Athenien sib. Lucio Paulo ad filios illius erudiendos, & triumphos exornandos magnifice fertur emissus: &, vt multum paucis perstringam, omnes omnium libri istius artis laudibus pleniſſimi sunt. Sed hæc hactenus. Satis est Curialem nostrum proinde ad pingendum animum adjicere, quoniam illis temporibus permagni ars ista fuerat, cum multo majoris virtutis (quã nunc sunt) homines fuerunt. Cuius si nulla alia vtilitas atq; voluptas esset, tamen de imaginib. anti-

*Pictura res inæstimabilis.*

*Protogenis tabulã Demetrio pepercit.*

*Metrodorus L. Paulo missus.*

quis

quis & hodiernis, de vasis, de ædificiis, de nummorum vetustate, de cælatis, & huiusmodi rebus infinitis, judiciis nostris opitulatur: & (quod multo maius est) de corporibus viuis & spirantibus, de vultus venustate, de membrorū compositione, tam in hominibus ipsis quam reliquis animantibus, melius cum ratione facit decernere. Cumulus hic mehercule voluptatum est: quod illi norunt optime, quos eousque fœminæ cuiusp. iam formam contemplari juuat, vt pari cum diis felicitate se frui credant. Qui si id quod tam serio atque aude intuentur, pingendo quoque efformare possent, geminata voluptas esset. Facilius enim perspicerent, quid illud tandem esset, quod tantas eorum animis flammas atq; faces inferret. Arrisit hic Cæsar: & quamuis pingere (inquit) non possim fœminam, tamen in quam cōmotus sum, tanta delectatione nonnunquam conspicio, quanta ipse (fat scio) non posset peritissimus Apelles, si nunc spiritū duceret. Voluptas hæc tua, (inquit Comes) non tam ex forma forsasse mulieris, quam ex tua in mulierē affectione profluit: & si vera fateri libeat, cum primum in eam oculos conjeceras, vix vllam (ausim dicere) illius jucunditatis partem sensisti, quam postea recognita & perspecta fide, percepisti. Vnde in tuo ipsius animo plus voluptatis inesse, quam illius venustate, facillime licet colligere. Illud equidem non nego (respondit Cæsar) verum quemadmodum ex affectionib. voluptas oritur, ita prorsus ex forma affectio: vnde ipsum fontem primamque causam soli formæ æquum est ascribere. Tum Comes: Multa præterea sunt, etiamsi pulchritudo absit, quæ mirum in modum animos ad se nostros soleant allicere, morum nimirum probitas, in gestu moderatio, in cōgressu verecundia, in sermone prudentia, & alia nonnulla (quæ quodammodo forsan cum venustate coincidunt) &, quod omnium maximum est, si nos amari persuasum habeamus:

*Amor sæpe sine forma.*

nam sine forma nonnunquam vehementer amare contingit. Illi tamen amores, qui ex pulchritudine quadam & quasi delicata vultus superficie oriuntur, multo majore sine dubio voluptate eos afficere solent, qui exactiore judicio decernunt, quam eos, qui cum minus artificiosi sint, facilius delirant & cæcutiunt. Quam quidē ob causam Apellem credo multo majore cum voluptate Campaspem intueri solitum, quam Alexandrum. Vtrjusq; credo amorem à forma dimanasse: Alexandrum tamen Pictori (suo quasi merito) propterea eandē concessisse, quod illam melius atq; exactius & (quod aiunt) intus & in cute, ille cognoscere videbatur. Nonne de quinq; illis Crotonis filiabus legistis, quas cum vna omnes imagine Zeuxes pingēdas delegisset, adeo cuius formosæ videbantur, vt à Poëtis & aliis egregiis formarum spectatoribus omni æternitate dignæ dijudicatæ sint? Hic Cæsar, quasi sibi abunde satisfactū non esset, negauit cuiquā mortalium eam posse voluptatem contingere, quam ille mulierculæ cuiusdam aspectu solebat persentiscere: atq; in hanc sententiam refutantis more plura dicturus videbatur: cum ecce, subito multarū vocum atq; pedū strepitus totam compleret domum. Vnde omnes retro in ostium atq; limen conuersi, ingentem tedarum lucē conspiciunt, cui præfectus à Pontifice maximo cum magna hominū multitudine reuersus, successit. Qui cum humaniter, quid ageret Ducissa nobilissima, percontaretur: omnia illius noctis oblectamēta repetita sunt, præcipue vero quomodo Ludouico Comiti imperatū erat, vt hominis aulici, atq; ipsius adeo curialitatis formam atq; effigiē exprimeret. Huius rei ille confestim tanto desiderio exarsit, vt properanti illi omnis mora longa videretur. Cum primū igitur Ducissam salutasset, ipse cum primariis Comitatus sui viris reliquisq; qui paulo ante sese in pedes erexerunt, in procinctu cōsedit. Inter eos erant

*Præfectus ingreditur*

Mar-

Marchio Phœbus, & illius frater Girardinus Ceua, Hector Romanus, Vincentius Calmeta, Horatius Floridus, & alij nonnulli, qui cum aliquandiu conticuissent, Præfectus in hunc modũ præfari cœpit. Magnum mehercule malum pulcherrimæ huic societati aduentu meo attulisse mihi videbor (viri nobilissimi) si illi sermoni, qui modo vobis interceſſit, impedimento essem. Quare nolite & mihi & vobis eam facere injuriam, vt quod ego vehementer desidero, eo nos promiscue omnes careamus. Credo equidem, inquit Comes (illustrissime vir) tacere quam loqui, multo vniuersis acceptius atque optabilius fore. Nam cum mihi id muneris hac nocte casu delegatũ sit, ego sane loquẽdo mihi molestus fui, illi audiendo sunt defessi. Cum enim oratio nostra nec isto hominũ consortio, nec ipsius rei dignitati respondeat, cæteris me non satisfeciſſe valde dubito: mihi quidem minime satisfeci. Tibi proinde bene res cessit, quod exacta re redieris, aut si quid restat, optime feceris, si tanto oneri alium quempiã subſtitueris, qui multo melius quod reliquum est pertexet, quam ego, qui exantlatis vix laboribus fessus & fatigatus, jampridem anhelo. Non ita me patiar (inquit Iulianus) promissis tuis circumveniri, neq; dubito, quin profecto clarissimo incœpta controuersia satis placuerit. Quænam isthæc (si diis placet) promissa sunt (inquit Comes?) Pollicitus tu quidẽ es (ait Iulianus) Curialem nostrum perfecte instituere, quibus potissimum modis iis virtutibus & scientiis vti debeat, quib. est à te modo cumulate instructus. Præfectus, etsi ætate juuenis esset, sapere tamen non mediocriter videbatur, & in omni illius actione ingenij acumen cum incredibili animi magnitudine conjunctum, tanquã veriſſimũ virtutis & honoris argumentũ ostendit. Quocirca in hæc verba irrupit. Quod si ista adhuc dicenda superſint, satis mihi cito veniſſe videor; nam si illud intelligam, qua

ratione aulico viro virtutis officia exercenda sunt, quænam illæ virtutes sint, facillime assequar: ita illud omne, quod jam ante dictum erat, cogitatione comprehendam. Quocirca noli (honorate Comes) quod reliquū est æris alieni grauate præstare, cum tantum jamdudū humanissime præstiteris. Tantum profecto obæratus non essem (inquit Comes) si ex æquo negotium istud distributū esset, verum iste error Dominæ cuiusdam est, quæ in me judex iniqua fuit. Hæc cum diceret, subridens, oculos in Aemiliam contorsit. Illa continuo: Nihil est (inquit) cur me iniquam appelles: sed quoniam nulla ratione fretus, id facis, iste honos, quem tu onus appellas, in alterum aliquē transferetur. Tu itaq; Frederice Fregose, quoniā istam de viro Curiali facetam disceptationem primus proposuisti, personam in ea aliquā te sustinere consentaneū videtur: quod optime tu quidē feceris, si Iuliani quæstiunculis satisfacies: nimirum si qua ratione, quoue tempore officiū suum Curialis præstare debeat, nos edoceris. Tum Fredericus: Si tempus, locū, occasiones, modum, ab illius virtutibus actionibusq; sejungas, id conaris distrahere, quod diuelli nō poterit; hac enim sunt, quæ suum nomen atq; essentiā virtuti tribuunt. Proinde cum tanta tam bene jampridē Comes disseruerit, de circumstantiis etiam aliquantū adjecerit, & ad reliqua mentem composuerit, æquum est, eundem ad extremum absoluere, quod est ingressus libere & ingenue. Ad hæc Aemilia: Finge (inquit) te esse Comitem, & quæcunq; voles, tanquam Comes dicere. Nos multum tibi debebimus, tu nobis satisfacies. Tum Calmeta, quoniam (inquit) viri optimi, in multam noctem sermonem protraxistis, metuendum est, ne ea excusationis oportunitate Fredericus vtatur. Rectius itaque meo judicio fuerit, sine omni ambage, quod reliquum est temporis, alij cuiquam ludo impartire. Huic sententiæ, cum à nemine reclamatum esset, Mar-

*Frederico de circumstantiis dicendum.*

*Calmeta.*

Margaretam & Constantiam Fregosam Dominas lectissimas ad musicam saltationem Ducissa hortabatur. Quo facto, Barletta quidam, egregius Musicus, idemque saltator peritus (qui omnium in illa Regia jamdiu animos delectauerat) instrumenta musica suauiter pulsare cœpit: multique junctis simul manibus decenti numero passuque, non sine magna astantium voluptate, saltabant. Quod cum solenniter exegissent, quia jam intempesta nox erat, erexit se Ducissa, cui omnes honorifice valedixissent, quieti sese sine mora dederunt.

# DE CVRIALI SIVE AVLICO

## Liber II.

NOn sine summa admiratione altius apud me agere soleo, vnde hæc tam crassa senum hallucinatio: quæ quoniam per omniũ animos ingravescẽte tam ætate propagatur: propria & illorum hominum fere naturalis videri potest. Nam cum illis vbi primũ sermonẽ inieris, elapsa jam olim tẽpora summis laudib. prosequuntur, præsentia vero omnib. diris deuouent. Nihil nostrarũ actionum aut morũ, nihil quod ipsi juuenes nõ egerint, alicuius momenti æstimant: deniq; omnes omniũ consuetudines, omnes viuendi rationes, nunc demũ inclinare, & in deterius vergere. Res mehercule non indigna admiratione, prouectam jam ætatem, quæ reliquis in rebus vsu atq; experientia animi judiciũ confirmare solet, hac vna in re adeo sibi ludificari, plane vt non perspiciat, in peius homines quotidie nec ne labãtur. Quod si ea nunc esset rerum conditio, si patres filiis melio-

*Senũ error res de præteritis temporibus.*

*Experientia judicij mater.*

meliores semper extitissent, adeo in extremo jam tandem res sita esset, vt deterius ne cogitare quidem posset. Verum hoc quasi peculiare quoddam in senio vitium, nō nostra solum ætas, sed antiquissimi etiam authores apud seculum prius deprehenderunt: Comici præsertim illi, qui humanam vitam cæteris omnibus aptius & acutius expressérunt. Istius igitur tam inanis sententiæ, hanc ego causam existimo: Annos nimirū sensim, & pedetentim labentes vitales secum spiritus, & naturalem sanguinis calorem verisimile est subducere: quod cum vniuersam corporis constitutionem paulatim immutauerit, arteriæ, nerui, reliquaque animi organa atque instrumenta, fatali hoc morbo languent atq; debilitantur. Vnde in illis demum temporibus suauissimi delitiarum nostrarum flosculi haud aliter quam arboribus autumno folia decidunt: & dulcissimarū cogitationum vice, frontis rugæ, ac nubeculæ, mentis tristitia, ac mœrores, vitæ calamitates & miseriæ subeunt: adeo vt non corpus solum, verum etiam animus (qui fere sequitur dispositionē corporis (male ac moleste se habeat: nec quicquam præteritarū voluptarum retinet: præter vnam eamq; tenacē iuuentutis memoriam. Quæ quamdiu supersuit, cœlestia terrenaq; omnia iuuenilibus oculis arridere videbantur, jucundissimæ quæq; affectiones ex animis nostris, tanquam ex hortulo amœnissimo vere jam tum existente indies excreuerunt. Quocirca cum vitæ nostræ sol atq; lumen versus occasum voluere occœperit, operæ precium fortasse fuerit, nihil eorū, quæ præterita sunt, reminisci: quin potius (vt inquit Themistocles) obliuionis artē ediscere. Ita enim sensus nostri fallaces sunt, vt animi quoq; judicium nonnunquam fallant. Senes itaque illis hominibus persimiles mihi videri solent, qui cum è portu in altum soluerint, retro in terram oculos contorquent: quam dū serio intuentur, littus illis secedere,

*Themistocles ars.*

nauis

Nauis vero consistere videtur: cum reipsa, nec portus, nec terra, nedũ anteriores nostræ voluptates aut deliciæ moueantur, sed nos huc mortalitatis puppi insidentes, alij aliòs per mare turbulentũ eousq; insequimur, dum vel scopulis iisdem illisi naufragiũ patiamur, vel vndarũ gurgitibus oppressi, ad portũ denuo redire frustra & incassum contendamus. Animus proinde senilis, cũ nulla subjecti proportione, nulla apta harmonia voluptates haurire ac percipere possit, sebricitantiũ similis fit, quibus cum palatũ, gustandiq; organa, crassissimis vaporib. obstipentur: suauissima quæq; acerba, atq; insipida existimare solent. Ità hominibus senio confectis, cum voluptatum desiderio aliquo teneantur, ad easdem tamen malè dispositi & penitus inepti sint, omnes jucunditates superiorum temporũ deliciis pejores multo & frigidiores putant: cum isti tamen eædem sint, ipsi vero à seipsis longe alieniissimi. Quib. oblectamẽtis, cum jam sese orbatos intelligant: præsentia tempora tanquam omniũ iniquissima detestantur, nullam in seipsis rerũ vicissitudinẽ agnoscentes. Cum vero præteritas jam pridem voluptates in memoriã reuocent, illius quoq; ætatis meminerunt, in qua illæ contigerant: eamq; propterea summis laudibus afficiunt, quia illarum delectationum quasi quendam odorem illius recordatio vna adferre solet. Deniq; sic sunt affectiões nostræ, vt illa omnia quæ dolores nostros comitantur, cum odio quodam repetamus: quæ vero simul cum voluptatib. nostris cõmunicata sunt, eade summa benevolentia complectamur. Vnde illud euenire solet, vt amantiũ oculis fenestra sæpenumero aliqua (etiãsi occlusa fuerit) mirum in modũ grata sit, quoniã in illa amatã mulierculam jam antea conspexerint. Nonnunquam etiam annulum, epistolam, hortos, cæteroſq; locos, tanquam amœnissimarum delectationum conscios amplexamur. Contra vero cubiculũ omnibus ornamen-

*Similitudo aptissima.*

mentis refertissimũ, exosum semper esse solet, sicubi in eo vel vincti & religati fuerimus, vel cuiusvis præterea doloris acerbitatẽ perpessi. Nostra certe memoria, nonnullos ipsi vidimus, qui non solum ab iis scyphis, sed eorum etiam similib. abhorrebant, in quibus ægroti medicamentum imbiberant. Quemadmodum enim superioribus illis fenestra, annulus atq; literæ grata quadam recordatione in voluptatis parte habebantur: ita omnino istis posterioribus cubiculum altera custodia, cyathus v. nouus morbus videbatur.

*Senes ægrotantium similes.*

Idem est in hominibus ætate prouectis, dum elapsa vel laudant, vel instãtia vituperant. Et quemadmodũ de reliquis vere rebus, ita etiam de Principum Aulis fabulantur. Quascunq; enim illi meminisse poterunt, eas, hodiernis, multis gradib. anteponunt, & propter loci amplitudinem, & propter hominum in iis agentium singularẽ in omni re præstantiam. In eo sermone si forte longius expatiẽtur, ducis Philippi aut Borsi Regias (plusquam credibile est) efferunt.

*Philippi & Borsi Regie Nicolai Piccini apophthegmata.*

Nicolai Piccini apophthegmata & argute dicta cõmemorant: eam illorum temporum virtutem fuisse venditant, vt nec aperta pugna, nec occultum homicidium, non dol⁹, nõ insidiæ, sed apud omnes summa fides, summa æquitas, summa beneuolẽtia vbiuis extiterint: deniq; eam fuisse vniuersorum integritatem, vt Curiales singuli, tanquam viri religiosi haberentur: neminem alteri sine summo discrimine detrahere, nulli mulieri vocem inhonestam, nulli impuræ libidinis signum dare, ausum aliquãdo fuisse. Nostris cõtra temporib. omnia sic esse conuersa, non solum vt amor ille fraternus fundit⁹ deperiret, omnesq; bene viuendi consuetudines: sed eorum loco inuidiã, dissimulationẽ, scõmata, scurrilitatẽ, libidinosam vitam, vitia prope incredibilia successisse: postremo fœminas audacia

*Vestitũ fœminarum hodierni.*

inuerecundas, viros turpitudine effœminatos. De vestibus quoq; omnino non silent, quas nouitas, inhonestas,

festas molles, meretricias appellant: & vt vno verbo dicam, in nobis infinita reprehendunt, quæ reipsa reprehensiõe dignissima videntur. Negari n. non potest, quin homines inter nos scelerati & flagitiosi existant, quin ætas nostra multo plures vitiorum sentinas habeat, quã ea, quã illi tantopere admirantur, Inique tamen & futiliter istius dissimilitudinis rationẽ rimãtur & exquirunt: in coq; grauiter delirãt, quod nihil mali in toto terrarum orbe (quod fieri non potest) extitisse fateantur. Cum n. bonum malo ex aduerso repugnet, necessum est ex ista oppositione, & contrarietatis statera atq; libramento, alterũ alteri quodammodo adsit atq; suffragetur, vt vno vel deficiente vel exuperante, alterũ continuo justa proportione deficiat aut redundet, juxta illud Dialecticorũ axioma: Posito vno contrariorum, ponitur & alterum. Quis ab omni ratione adeo est alienus, vt illud non intelligat, justitiam esse non posse, nisi etiam esset injuria? quæ vero fortitudo nisi foret ignauia & timiditas? quæ continentia nisi plurimi incontinentes & intemperati? quæ salus sine ægritudine? quæ veritas sine vanitate? quæ deniq; felicitas sine infortunio & miseriis? Socrates itaq; apud Platonẽ (nec injuria) videtur admirare Aesopũ fabulam non finxisse aliquã, in qua Deus siue natura (quoniam venire & cõmiscere non potuit) contrarietates extremis saltem punctis atq; terminis non colligarit: ex qua illud manifeste ostendisset, vnius corruptionẽ generationẽ esse alterius. Vix enim voluptas aliqua nostris sensib. jucunda videri solet, nisi dolor aut ægritudo aliqua præcesserit. Cui enim nostrũ quies grata est, nisi tædium & defatigationem jam antea senserit? Quis esculentis, poculentis, aut somno delectaretur, nisi inediam, sitim atq; vigilias perpessus esset? Credo equidem animi passiones & impotentias hominum generi à natura tributas, non in eum finẽ vt iis omnino tanquã furiis excruciaretur (inique n. cõparatum esset,

*num reprehendant.*

*Vnius contrarij corruptio alterius generatio.*

esset vt omnis bonitatis parens, in hoc vno noueret esset) quin potius, cum illius beneficio sanitas, valetudo, voluptas, cæteraque bona omnia concedantur, ægritudines, morbi, calamitates, videntur quoq; permissa, vt iis quandoq; intervenientibus, alia illa clariora existerent. Cum itaque virtutes omnes naturæ liberalitate atq; beneficentia contingant, si cubi eadē minus benefica fuerit, necesse est continuo vitia tanquam catena aliqua connexa succedant. Ita alterum alterius siue incrementū, siue diminutionē fataliter insequitur. Quoties itaq; senes superiorū temporum Aulas proinde laudant, quod in illis homines adeo improbi & flagitiosi nō fuerint, vt nostro seculo sunt: illud interim obliuiscuntur, viros adeo probos & in omni re prestantes jam tum non fuisse, vti nunc sunt. Nihil enim tam in extremo malum est, quam id quod ex corrupto atq; putrescente bonitatis semine exoritur. Quocirca cum ingenia multo hodie quam olim acutiora natura procreauerit: & illi, qui dulcissimos virtutū fontes insectantur, vberius eosdē imbibunt, & illi, qui sese vitiis tradunt, in illorum voraginē procliuius irruunt. Neq; vero propterea laudē aliquam promerentur majores nostri, quod malū non fecerint cū id nescirent: nam etsi minus egerint fortasse quā nos, id tamen cōmiserunt, quod illis teterrimū videbatur. Eorum vero ingenia nostrorū hominū acumine lōge inferiora fuisse, ex literis, picturis, statuis, ædificiis, reliquisq; eorū monumentis facillime perspicitur. Multa preterea in nobis senes reprehēdunt, quæ in seipsis nec bona sunt nec mala, nulla alia ratione freti, nisi quod illi eadē ipsa in more non habuerint. Iuuenis (inquiunt illi) per vrbem non equitato, multos in plateis non ascendito, pellibus non induitor, togis talarib. longisue in hyeme non vtitor, pileū ceu galerum (donec annum vicesimū octauum attigerit, capite nō gestato. Deniq; alias leges innumeras istis non

*Senum regula.*

dissi-

dissimiles nobis imponunt, in quibus valde profecto hallucinantur. Nam præterquam quod isti ritus atq; habitus magnam in se vtilitatē habeant, cōsuetudine etiam, & communi quadā delectione confirmantur. Non secus ac in illis temporibus more approbatum fuit, cum iter facerent, tunicis concisis & manicatis, cum domi essent, crepidis patulis & fibulis coriaceis vti: & (vt magis delicati viderētur) Nisum compresso pugno nulli vsui deseruientē indies gestare. Quoties vero vna cum fœminis saltarent, earū manus contingere piaculū putabant. Quæ quidē omnia vti nostris temporibus inueterata atq; absurda, ita in illa ætate præclara videbantur. Nobis itaq; pari ratione nostræ memoriæ consuetudinis sequi liceat, corumq; hominum calumnias prorsus contemnamus, qui dum se laudare moliuntur, ad vicesimum vsq; ætatis annum cum matre & sororibus se concubuisse venditant, nec multis post annis fœminarū vsum & congressus muliebres pertentatos habuisse. Nunc v. pueros ab ouo vix dum emersos, plus sceleris & flagitij cognoscere, quam olim confirmatæ ætatis viros. Quod dum illi incaute confitentur, illud non meminerunt, plus eos nostris infantibus ingenij, quam illorum senibus attribuere. Desinant igitur aliquando tandē in nostra tempora ita acerbe inuehi tanquā vitiorum omnium fœce & colluuie contaminata, quæ si è medio sustulerint (quod fieri nō potest) virtutū etiā riuulos necesse est exhaurire. Meminerint etiam inter antiquos illos Heroes (quorū virtutes atq; ingenia plusquā humana fuerunt) infandos quosdā & sceleratissimos homunciones fuisse. Qui si etiamnū viuere potuissent, tantū istius ætatis homines impurissimos flagitiis anteuerterent, quantū illi alij bonos huius seculi viros probitate præstarent: quod omniū vere historicorum testimonio probari existimo. Verum hominibus senio confectis satis superq; responsum opinor. Huic itaq;

sermoni finē imponam, qui etsi longior videri possit, à proposito tamen alienus non est. Nam cum aulas hodie nostras non minore gloria atque æstimatione dignas, quam antiquas illas ostenderim, & apte ad propositam de viro Curiali disputationē reuertemur, & qualis Vrbinatium aula fuerit, facile colligetur: & quam eximia princeps illa extiterit, quæ tot indies præclarissimis ingeniis circumstipata erat: postremo quam vere felix faustumq; illorum hominum commercium & societas appellari posset.

Cum igitur viri fœminæq; nobiliores insequente die cōuenissent, permulta de superioris noctis disputatione vltro citroq; agitata sunt. Istas commentandi & quasi ruminandi occasiones Præfectus dabat: qui dum auide ab omnibus scisciteretur, eidem summa varietate (vti tali in re fieri solet) responsum erat. Nam homines (vt sunt multiplici ingenio) alij alia magnopere laudabant, jamque eo ratiocinando peruentum erat, vt quid ipse Comes sentiret, valde dubitaretur. Alios intellectus, alios memoria fefellit: totus itaq; in eo fere dies consumptus est. Cum vero aduesperascere, Præfectus generosis comitatus, ocyus adferri, & mensæ imponi dapes jussit: exacta cœna, ne tempus intercideret, Ducissam adiit, quæ cum tantam cohortem citius, quam fieri solet, aduenisse videret: magnū (inquit) onus, vt mihi videtur (Frederice) humeris tuis impendet, grauis tibi aduersaria cōstituta est, scilicet expectatio. Hic subito Aretinus: Quodnam (inquit) istud onus est? An quemquā existimas adeo hebetē & insulsum esse, vt cum optime possit, differre id malit, quam oportune & mature facere? Tum Fredericus in Aretinū conuersus: Num non iniquo me pondere grauatū existimas, cum mihi modus, ratio, tempus, Curiali nostro præscribenda sint, quibus omnia jam antea eidē attributa quodāmodo condire atque temperare debeat? Hæccine parua sunt? Non

sunt

sunt hercule magna (inquit Aretinus:) nam ad ista vniuersa (vt heri Comes ingenue) satis est rationis & iudicij stateram adhibuisse: quod si tempestiue & decore fecerit, aliis præceptis non erit opus. Quis enim tam mentis expers est, vt cum alij Musicis incubuerint, arma ferrumque capiat? aut per plateas (etiamsi optime sciat) saltare delectet? aut matri cuipiam filiorum funera & exequias flebiliter obeunti, argutiis & ridiculis obstrepat? Hic Fredericus, nimis (inquit) Aretine in extremis versaris: nam nec semper ad decorū æquabiliter dispositi sumus, nec quid sit, plane perspicimus, nec omnia peccata paria existimo. Fieri sane potest, vt qui communes errores declinauerit (vt est illud in foro mimice saltare) vix tamē se cōtineat, quin inepte se laudet, & ridiculum aliquod tam imprudenter effutiat, vt cum minus oportunū sit, frigere videatur. Ista quasi velo aliquo perite cooperta esse debent, nusquam vt homines obliuiscātur, quis istorum author fuerit: & quanquam permulta sint, quæ oculis nostris tenebras offundunt, præcipue tamen ambitionis caligine occœcantur. Nam quod quisq; nostrū profiteri solet, in eo se putat esse peritissimū: sed vere, nec ne, id cogitet, nihil credit interesse. Probe itaq; in istis rebus versari (vti mihi videtur) in electionis judicio consistit, id est, si quid magis minusue deceat, quid tempori, locoq; congruum sit, animadvertat. Quæ quidem prudentia, etsi Curiali nostro abunde insit, in rerum differentiis inuestigandis melius tamen hoc fiet, si destinatis præceptis quibusdam & quasi fundatis principiis innitatur, quam si generalibus & incertis metis collimauerit. Cum itaque superiori nocte Comes tam luculentam & copiosam de Curialitate oratione habuerit, magnopere vereor, ne ego huic nobilissimæ societati, in eo, quod mihi impositum est, peræque non satisfaciam. Tamen vt illius meæ aliqua ex parte laudes communicentur,

*Quisq; sibi placet in eo, quod scit.*

& vt errori nihil loci relinquatur, nusquam illi oc̃currã aut contradicam. Nam quod ad generis nobilitatẽ attinet, ad corporis cõstitutionem, ad indolem eximiam, ad honestam faciẽ, omnino mihi cum illo conuenit: illud etiam adjicio, eo modo vitam atque actiones omnes componere Curialem oportere, vt siue alij inseruiat, ab eo non immerito diligatur, siue cum suis viuat, odiũ atq; inuidiã virtute anteuertat. Quod quidẽ, quam in se difficile sit, quiuis colligere potest, si quam pauci eo peruenerint, considerauerit: quia natura sic propensi sumus, potiꝰ vt reprehendamus si quid erratum sit, quam laudemus si quid bene factum videatur. Quorundam vero ea nequitia atq; inuidia est, vt etiamsi cum probe quid fiat, ignorare non possint, id tamen sollicite agunt, vt in nobis vel reprehendant vitiosa, vel aliquid vitiorũ simile effingant. Diligens itaq; cautio Curiali nostro adhibenda est in omni tum dicto, tum facto, non solum, vt parte aliqua excellat, verũ etiam vt totius vitæ curriculum huic parti respondeat, ne quando ipse sibi dissidere videatur, sed vna eademque quasi fabrica, omnium illius consuetudinum sit, omnesque illius actiones (quod Stoici in sapiente requirunt) ab omnium simul virtutũ fontib. deriuentur. In quibus etsi vna fortasse aliqua reliquis præstat & emineat: ita tamen connexæ & vnitæ sunt, vt ad vnum omnino finem tendant & inseruiant. Quocirca in eo diligenter elaborandum est, vt istas corporis animiq; dotes diserte cum ratione ostendat, nunc comparatione adhibita, nunc contrariorum adjunctione, id quod à pictoribus peritis fieri solet, qui rerum sublimium vertices lucidiores faciunt, vt valles obscuriores appareant & ima quæq; loca vmbris spissioribus obducunt, vt altiora magis eluceant: deniq; & colores contrarios confundunt, & figuras diuersissimas ex aduerso collocant, vt quod sæpius variare desiderant, facilius ex animi sententia con-

*Qui vnam habet virtutem, is omnes habet.*

conficiant. Hinc in hominibus strenuis & bellicosis manſuetudinem admirari ſolemus: & in illis vti fortitudo cum morum ſuauitate conjuncta, illuſtrior ſolet exiſtere: ita modeſtia fortitudinis acceſſu atque ſplendore mirifice augetur. Proinde pauca demiſſe loqui, multa magnifice agere, nuſquā de ſe prędicare, diſſimulire prudenter, quod ſuo jure vendicare quis poſſit, omnes animi virtutes, omnes corporis actiōes illuſtrat. Noſter itaq; Curialis regulis quibuſdam vniverſalibus addictus eſto, quæ ſi à me breuiter pertractetur, huic muneri ſatisfeciſſe mihi videbor. Harum prima eſt (vti præclare Comes heſterno die) vt omni in re curioſam affectationē tanquam ſaxa & ſcopulos effugiat. Deinde accurate viderit, quid ſit quod vel dicere vel facere moliatur, quo loco, quo tempore, quibus aſtantibus, quæ cauſa, cuius ætatis ipſe fuerit, quid profiteatur, quo propendeat, quis finis erit, quæ media, quæ deſtinata. Quod cum attente fecerit, ſuo hæc omnia ordine, cum vel dicere vel facere quid velit, obſeruet. Hic cum paulum Fredericus conſiſteret, parum (inquit Morellus Hortanenſis) iſtis tuis regulis profeciſſe mihi videor, tantundē jam ſapere me ſentio, quantum antea quam vocem aliquam emiſeras: eaſdem tamen ſępius mihi à fratribus religioſis inter confitendum inculcatas memini, quas, niſi fallor, circūſtantias appellant. Arriſit hic Fredericus, & ſi bene (inquit) memineris, iſtam legē ſuperiori veſpere Curiali noſtro Comes impoſuit, vt ſummam armorum curam haberet. De quibus quoniā eſt ab eo ampliſſime dictum, nihil eſt cur ego iſtis valde immorer. Hoc vnum tamen non tam diſerti præceptoris quā monitoris non improbi præceptū teneat, vt ſicubi vel leui certamine, vel aperto prelio cum hoſte congrediendū ſit, prudenter ſibi proſpiciat, vt & loco à multitudine diſjuncto, & quam minimo ſtipatus comitatu, vel coram ipſo principe vel ſpectantibus totius exercitus

*In viro fortitudinem manſuetudinem admiramur.*

præcipuis & primariis ducib. res magnas aggrediatur. Iniquum enim esset egregia facinora non propalari, & quasi in lucē clarissimam non deferri. Nam & leues auras, & inanes rumusculos consectari futilissimum est: & veram tamen gloriā, tanquam justissimam virtutis mercedē renuere, longe est iniquissimum. Illud sane sæpius animaduerti, quosdam cum fortes robustiq; essent, adeo quandoq; delirasse, vt majoribus se periculis objicerent, dū prædam pecuariā abigerent, quam cum vrbis nobilissimæ muros conscenderent. Quod noster Aulicus nusquam faciet, si propositum bellorū finem ante oculos retineat, nimirū victoriam & immortalitatem. Præterea si publicis spectaculis se immiscuerit, dum vel hastis concurritur, vel gladiis decertetur, vel ludus arundineus exerceatur, meminerit, vbinam gentium sit, quibus spectatoribus res agatur, vt eorum oculos armorū splendore, equorum phaleris, ephippiis diuersicoloribus, symbolis vocalibus, tanquam adamas ferrum ad se alliciat. Neq; vero cum istæc aggredienda sunt, inter vltimos in publicū prodierit. Sic enim vulgus, præcipuè mulieres affectæ sunt: vt primis multo magis quā postremis moueantur. Nam natura hominis nouitatis auida, in rerum initiis, vel minima quæque notare, atq; altius animo infigere solet, cum vero paulo diutius in vna re aliqua immorati fuerint, non satietate solum, sed etiam tædio afficiuntur. Vnde egregius apud Romanos jam olim histrio fuit: qui illud curiosè obseruabat, vt primus semper in scenam atque theatrum se proriperet. Quod si igitur noster Aulicus de armis forte disseruerit, eorum vitæ morumq; rationem habebit, quibuscum agit, vt alio modo cum viris, alio cum fœminis colloquatur: & si propriæ laudes casu aliquo sibi se offerant, dissimulet prudenter, quod valde desiderat, & (quasi forte fortuna, & per transitum in eum sermonem inciderit) illam cautionem & sapientiam adhi-

*Symbola vocalia sunt sententiæ inscriptæ.*

adhibeat, quæ à Ludouico Comite heri ingenue descripta est. Tune nunc nostras leges atque normas (optime Morelle) nihil proficere existimas? Num non familiarem illum nostrum, de quo postridie sermonem habuimus, oblitũ prorsus confitebere, quocum illi res esset, & quorsum illa tenderet oratio? Qui vbi cum fœmina quadam ignota gratiam inire vellet, in ipso congressus exordio & quasi vestibulo, pugnas narrauit, quot homines sua manu occidisset, recitat, quam semper impauidus atque audax fuisset, fulminat: nec hic desistit, quin eam Rompheis ludere, securibus armatam atque inermem se defendere, pugionum ictus declinare (si diis placet) edocere vellet. Quibus cum eam obtunderet, ita obstupefacta est, vt se libentissime ab eo subduceret, ne eam quoq; sicuti superiores illos trucidaret. In istos omnino errores facile illi incident, qui eas circumstantias diligenter non animaduertunt, quas tu te ab hominibus religiosis audisse confiteris. In corporis igitur exercitiis, quædam ad publica tantummodo spectacula pertinent, vt hastis concurrere, gladijs ludere, arundinibus jocari, reliqua omnia armorũ propria sunt: quæ sicubi inciderint, adeo equis, armamentis, reliquisque vtensilibus instructum esse oportet, nihil vt illi deesse, nihil incongruum videatur. Sin vero aliquid in eo inchoatum, aut minus egregiũ appareat, prorsus desistere præstat, quam se turpiter interponere. Nam si minus strenue quid fecerit, excusari non potest, cum hoc illius sententiæ atq; artis fuerit, bene instructum esse, & res præclaras gerere. Huic proxima deliberatio est, accurate vt viderit: non modo in quo procinctu & corona res magnas suscipiat, sed etiam cum quo hominũ genere contendat. Minime enim conuenit, vt qui generoso animo esse debeat, rusticis certaminibus, aduersariis aggrestibus, sociis squallidis & pannosis se committat. Tum Gasparus

*Nihil in Curialis dissonum.*

Pallauicinus, in nostra (inquit) Longobardorũ patria nulla est istarum rerum cura. Nam adolescentes fere generosiores profestis diebus rapidissimo sole cum rusticis, vel saltando, vel currendo, vel luctando, vel pessulis & vectibus projiciendis gnauiter contendunt: & in eo quidẽ minime mihi reprehendendi videntur. Nam in illis nulla est de nobilitate controuersia, sed fortitudinis cuiusdam & quasi dexteritatis, in quibus nonnunquam vulgaris quispiam nobilissimis viris nusquam est inferior. Atque hæc quidem popularis consuetudo & affabilitas ingenuam in se quandam & amabilem liberalitatem continet. Isthæc in summa æstate saltatio (inquit Fredericus) minime mihi arripet, neq; satis perspicere possum, quid in se vtilitatis aut emolumenti habeat. Qui v. cum rusticis saltare, cõcurrere, luctari volet, ea omnino aget, potius vt sui ipsius periculum faciat, & (ut dici solet) humanitatis magis impulsu, quam contentionis desiderio. Inter quos, nisi certam habeat quasi in manu victoriam, nunquam se casus incertitudini committat. Turpe enim valdeq; indecorum est, hominẽ libere natum, à terræ filio (nescio quo) præsertim luctando superari. Præstat itaq; (mea sententia) nihil cũ illis contendere, circumfusa presertim multitudine: nam & parui momenti lucrũ est, si vicerit (quod est incertũ) & magnæ infelicitatis dispendium, si victus fuerit, quod est fortuitum. Et quoniam pila palmaria spectante populo plerunq; luditur, in ea (vti cæteris omnibus) Curialem nostrũ scite & decore suas partes agere volumus: non ita tamen, quasi eam profiteretur, aut quicquam ex ea laudis aucupetur. Nam arma solummodo tanquam facultatis suæ propria, eidem permittimus. Eorum itaque similis non erit, qui ita Musicæ studio trahuntur, vt sicubi cum alio colloquantur, si paulum respirauerint, statim cantillare incipiunt. Alij, cum in templis atq; plateis sint, nunquam saltare desistunt.

*Curiali cũ terræ filiis non est certandum.*

sistunt. Nonnulli, si amicis in foro aut vbiuis præterea obuiam dederint, vel ludum gladiatoriũ simulant, vel palæstram imitantur, vel aliud quippiam aperte ostentant, in quo illi insigniter debacchantur. Tum Cæsar: Multo mehercule melius Cardinalis quidam noster Romæ facere solitus est, qui cum valde iuuenis sit, seque viribus & corpore valere sentiat, si qui ad eum interdiu accesserint, etiamsi antea nunquam eos viderit, in hortum tamen secretiorem deducere solet, & serio eisdẽ persuadere, vt exutis vestibus vna cum eo prosiliendo decertent. Risit hic Fredericus. Deinde progreditur. Alia quædam exercitia sunt, quibus & publice & priuate vti licebit, vt tripudia & choreæ, in quib. Curiali nostro magna animadversio adhibenda est. Nam si aspiciente populo saltandum fuerit, dignitatem conseruare meminerit, motu decoro, gestuq; suauitate temperatam. Et quanquam membrorum agilitate præstiterit, tamen in illam pedum velocitatem, numerumque geminatum non incurrat, qui Barlettam nostrum etsi deceat, generoso tamen minime conueniet, nisi forte in cubiculo priuatim (vt nos jam sumus, id fecerit, in quo Tlymelicos, mimicos & moriscos saltando imitari licet: in locis publicis non item, nisi personatus fuerit. Tum enim haud magni intererit, etsi omnes, quis ille fuerit, conjecturis consequantur. Neque enim vlla est honestior ratio, qua se ostendat, qui vir siet, siue armatus, siue inermis sit. Illud ipsum enim personatum esse, mirificam quandam licentiam vnà secũ adferre solet: qua adeo libere jam tum vti quis poterit, vt eam ipsam personam, quam affectat maxime, facillime possit induere: reliqua vero, quæ minoris momenti sunt, cum contemptu rejicere. Quæ actionis varietas actus nostros nõ mediocriter illustrat. Nam & adolescentem senili vestitu ita ornari, vt illius agilitati nihil obstet, & militem strenuum, agresti pasto-

*Saltatio curiosa curialem non decet.*

ris habitu sic vestiri, vt equo tamen eximio insideat, nescio quid habet in se reconditum & excellens. Nam vbi primum aspicientium in eos oculi conjiciuntur, illud animo concipiunt, quod sensus primū detulit: cum verò majora præstari vident, quam vestitu pollicebantur, vix dici potest, quam cumulatam voluptatē persentiant. In istis itaq; oblectamentis, in quibus noua oris figura effingitur, laruatus vnusquisq; à seipso dissentiat. Principi enim consentaneum non est, Principis personam induere. Nam & spectatores, qui nouitatis ea in re auidissimi sunt, nil noui percipient, & qui tum serio, tum simulate, Princeps esse intelligitur, earum rerū gerendarum libertatem amittit, quæ Principi minus conuenientes videbantur. In quibus exercitiis, si forte armorum exercitatio inciderit, opinionē afferet populo, magis id ab eo fieri, vt aliorum vires effugiat, quàm vt regium se virum præstet: & regalem majestatē sæpius joco ementitus, vix eandem retinebit, cum serio res illud ipsum efflagitet. Verum si ita vsu venerit, vt regia dignitate sepositā, inferioribus sui copiā faciat, ita se ad tempus tantillo honore exuat, vt major illi ab vnoquoq; suo merito attribuatur, planeq; perspiciatur, eundē non tam authoritate quam virtute Principem esse. Eadem omnino Curiali nostro in publicis armorum exercitiis diligenter obseruanda sunt: ita tamen, vt suæ conditionis atque sortis prudenter semper meminerit. Verum in luctatione, in arte insultoria, in cursu, in prosiliendo, vel plebis aspectū effugiat, vel eidē se rarissime objiciat. Nihil enim in rerū natura adeo egregium & excellens est, quo vulgus iners citissime non satietur: eoq; minus æstimet, quo sæpius videat. In Musicis idem præceptum teneatur, in quibus nostrum Curialem nolumus eorum esse similem, qui vbicunq; fuerint (etiam clarissimis viris præsentibus, quos antea nunquam conspexerint) nec ab aliis exorati, nec ipsi valde periti

*Sua persona larvato non est tenenda.*

quic-

quicquid sciunt (aut multo etiã magis) inuerecunde profundunt. Vnde & consulto videntur accessisse, vt id faciant, & nihil præterea profiteri existimantur. Ad Musicam itaq; tanquam inuitus & coactus accedat, magisque vt tempus fallere, quam peritiam suam ostentare videatur: nec astantibus primariis viris, nec multitudine circumfusa. Et quanquam summum in ea illius artificium sit, studium tamen & industriam dissimulet: ita illud ipsum, quod in se nihili pendere videtur, in aliis efficiet egregiũ atq; admirabile. Tum Gasparus Pallauicinus: Quoniam Musicæ (inquit) multa sunt genera (aliud enim viua voce, aliud instrumentis exprimitur) illud libenter intelligerem, & quod istorum præstantissimum sit, & quæ tempora huic tanquam maxime oportuna inseruiant. Præclarũ musicæ genus (inquit Fredericus) mihi videtur, cum juxta proportionẽ notarum libris inscriptarum scite & eleganter canimus: sed illud meo judicio longe præstantissimum est, flexiones molliores & falsas voculas vnà cum violarũ ictu exprimere. Nam & tota suauitatis ratio in vno aliquo consistit, & sensus nulla diuersarum partium varietate distracti, vberius voluptatẽ percipiunt, errores etiam leuissimi facilius & percipiuntur, & nõnunquam etiam euitantur. Verum omnium multo suauissimũ illud est, rhythmo aliquo fidibus succinere, illam siquidem vim atq; emphasim harmoniæ proportione vnumquodq; verbum sortitur, vt mirificas nobis passiones nonnunquam admirationem excitet. Nonnulla præterea Musicæ genera sunt, quæ suam delectationem atque suauitatem habent. Nam & illa instrumenta, quæ neruis fibulisque tanquam repagulis distincta sunt, perfectam in se consonantiam elicere solent, & multipliçi facilique dulcedine audientium animos afficiunt. Et ille quadruplex violarum concentus, vix dici potest, quam jucundam artificiosamq; harmoniã in se contineat.

*Musicæ varietas.*

*Quadruplex violarum concentus.*

Iste

*Vox humana.*

Istis omnib. humana vox non adjumento solum, sed etiam ornamento est. Quo in genere Curiali nostro satis erit mediocriter instructū esse, quo tamen peritior erit, eo meliori numero apud omnes fuerit: dum illis tamen instrumentis nimium se non immisceat, quæ quoniam à Minerua & Alcibiade repudiata sunt, fastidiosa & indigna homine libero videri debent. Verum ad istarū relaxationum tempus maxime idoneum veniamus. Quod meo judicio tum semper peroportunū est, cum nec quicquā aliud occurrat, quod agi debeat, & domestici nostri atq; familiares vndiq; circumfusi sunt, assidente præsertim mulierc ularum corona: quarū aspectu, astantium affectiones facilius excitantur, & musicæ voluptate suauius deliniuntur, & ipsi etiam actores, viuidi magis atq; animosi fiunt.

*Saltatio & Musica senem non decet.*

Multitudine tamē (ignobiliū saltē virorum) tanquam monstro aliquo aut piaculo abstinendum est. In quo quemadmodū in reliquis, ratio atq; judicium actionum omnium gubernaculum atq; clauum tenere debent. Nam de rebus singulis dari præcepta nō possunt. Aequum itaq; judicem in seipsum Curialem nostrum oportet esse: quod si sapienter præstiterit, & tempori sagaciter inseruiet, & in quam partē astantium animi propēdeant, nullo negotio persentiet. In primis vero ætatis suæ rationē habebit, Indecorū enim (ne dicam ridiculum) esset, hominē videre ætate confectum, capillis niueis, dentib. aut putridis, aut omnino nullis, plenum rugis & sulcis, citharā in magna fœminarum frequentia pulsare, fidibus occinere, cantare vsq; ad lachrymas, saltare ad insaniam. Imo ne tum quidem ista decerent, si hæc mediocriter facere posset. Nam ista cantandi consuetudo, nescio quid in se amabile habet: cum amor in illa ætate plane ridiculus existat.

*Id est, Cupidini.*

Nonnunquā tamē prepostero illi deo operæ precium esse solet, tanquā ad odium & ludibriū senilis ætatis, inueteratos animos & corda senū prorsus congelata,

suis

ſuis flammis ſero tepefacere. Tum Iulianus: Noli (inquit) miſeros ſenes iſta voluptate priuare. Nam mea memoria nonnullos confirmata jam ætate, vocē magis ſonorā & digitos agiliores, quam multos juuenes habuiſſe recordor. Nolo (inquit Fredericus) ſenibus interdiceee, ſed tibi iſtiſq; muliercul is interdicendum cenſeo, ne iſtas illorum ineptias derideatis. Sin vero ſenex quiſpiam fuerit, qui vel fidicinis deſiderio, vel cantādi voluptate capiatur, id caute faciat & occulte, tum cum grauib. moleſtiis, ſeriiſq; rebus ſatisfecerit, quibus vita noſtra, animiq; omnium ſunt expoſiti: in quo eam Muſicæ ſuauitatē deguſtabit, quam Socrates atq; Pythagoras jam olim perſenſerunt. Verū etiamſi nihil illi in ea ætate cum muſica commercij concedamus, tamen cum illius animo habitus vſu jam antea confirmatus inſideat, vberiorem multo plenioremq; voluptatē percipiet, quam illi, in quibus nihil cognitionis aut artis ineſt. Quemadmodū enim faber ferrarius alioqui debilis & invalidus lacertis tamē robuſto homine fortior eſt, quoniam in illis eſt exercitatior: ita muſicorū aures, citius atq; jucundius vel minima ſentiunt, quam hominum imperitorum, qui in illa ſcientia parum ſunt verſati. Nam nec ſubtilis ſoni varietas, eorū animos penetrat, nec veſtigium aliquod poſt ſe relinquit: ſed præſentē tantummodo voluptatem hauriunt: quod illis cum brutis quibuſdam animantibus commune eſt. Hæc itaq; illa ſenum animi relaxatio ſit, quam illi ætati, nō tam ad actionē, quam potius ad contemplationem permittimus. Idem de chorea dicendum opinor. Iſta n. prius nobis exuenda ſunt oblectamenta, quam id nobis ætas & neceſſitas imponat. Hic pene cōmotus iracundia Morellus, quin poti⁹ (inquit) ſenes omnes ex aulico cōmercio exterminandos eſſe, & ſolos juuenes Curiales inſtituendos dicendū erat. Tum ridens Fredericus, vide, inquit, obſecro diligenter, nū non illi, qui iſtis rebus profuſius

dele-

delectantur, iuuenes semper videri velint, nũ capillos adulterino colore non inficiant, num quouis triduo barbas iuueniliter non effingant. In quo quid aliud innuunt, quam id, quod illis tacite natura suadet, istã nimirũ vultus viuendi rationẽ solis adolescentibus esse conuenientem? Addebant hic libere mulieres vniuersæ, quoniam isthæc mordere clanculũ Morellum putabãt, qui istis paulũ dicteriis subirasci videbatur. Verũ nihil loci relinquens iracundiæ Fredericus, aliæ (inquit) sunt nonnullæ senum cum fœminis delectationes, illi ætati multo conuenientiores. Et quæ istæ sunt (si diis placet) inquit Morellus? num commentitia dicere? num fabulas aniles fingere? Id ipsum etiam placet (inquit Fredericus.) Verum vnaquæq; ætas (vt scitis) suas habet proprias & peculiares animi cogitationes, suas virtutes, sua etiam vitia. Et senes vti sunt fere iuuenibus magis prudentes, temperati & sagaces, (quod illis dies dedit) ita quoq; sunt magis loquaces, auari, difficiles, morosi, timidi, intra tecta sẽper rixosi, extra suspicioſi, liberis duri, consanguineis austeri, nemini permittentes, quod ipsi aut non amant, aut non agunt. Adolescentes contra animosi sunt, liberales, ingenui, exorabiles; ad discordiã fortasse præcipites, in amore flexiles, volubiles, inconstantes, eodem spiritu & amant & oderunt, libidinib. profusi, luxuria diffluẽtes, bene monẽtib. asperi, amicis inimicissimi.

*Senũ cum adolescentibus comparatio.*

*Virilis ætas id est, status, longe optima.*

Reliquarũ vero ætatum omnium status virilis, id est, constans & media ætas perfectissima est: quippe quæ & iuuenili furore præteructa est, & seniles impotentias nondũ contigit. Quæ vtraq; cum in extremo sita sint, necesse sane est huc curas cogitationesq; cõferre, vt eos errores diligẽtia reuocemus, quos natura vnicuiq; liberalius profudit. Senes itaq; omniũ diligentissime excubent, ne quando in suas laudes incidant, aut aliud quodcunq; illius ætatis vitiũ: tantumq; prudentiæ & cognitioni tribuant, vt eos quicunq; consu-

lent,

lent, oracula audire se putent, tanta verborũ sententiarumq; grauitate temperata, tam apte cũ proposito cohærentia, vt nec majestas humanitatem, nec vultus vocisq; seueritas vrbanam festiuitatẽ excludat. Quod si accurate fecerint, Cũriales probi habebuntur, viris grati, fœminis jucundi, nusquã intempestiui, semper acceptiores, quam si vel saltent mimice, vel cantent ridicule. Illorũ enim virtus in rebus magni momenti non in ludicris ostentanda est. In juuenili equidem ætate judicij rationẽ desidero, non vt senum ritus & consuetudines infeliciter imitentur (adeo enim ista male cohærent vt vulgo reprehendi solet nimia adolescẽtiæ seueritas) sed vt naturalibus illorũ annorum impotentiis gnauiter obsistant. Vnde perplacere mihi solet juuenis ille (militaris præsertim vir) qui moderatam quandam cum taciturnitate grauitatẽ retinet, qui nec gestus illos glorioſos, nec actionẽ illam turbulentam & fastidiosam habet, quam illa ætas solet affectare. Majus enim aliquid (nescio quo modo) & divinius reliquis adolescentib. spirari mihi videri solet. Ista præterea modestia occultam quandã & heroicam in se magnanimitatẽ habet, quæ non ira elicitur, sed judicio, nec appetitũ aliquando sed rationẽ admittit. Quod vt cuiq; fortissimo viro propriũ est, ita in brutis animantib. illis, quæ reliquis natura nobiliores sunt, perspici potest, vt in leone atq; aquila. Neq; sane à ratione alienũ videri debet. Impetus enim repentinus ille qui sine vocis aut alteri⁹ cujuscunq; passionis argumento, subito tanquã tonitrus aut tormenti ictus erumpit, multo violentior illo est, qui sensim & quasi gradib. quibusdã incalescit. Hi igitur qui cũ aliquid moliantur, adeo multis verbis vtuntur, adeo seorsum deorsũ saltant ac resultant, vt nec cõsistere possint, & in ecstasin quandã incidisse videãtur (vt præclare Petr. Montan⁹ noster solit⁹ est dicere) puerorũ similes sunt, qui dum noctu circũvagantur præ timore vociferari

& can-

& cantari solet, vt vel ille cantus animos addat, vel alij eosdem animosos esse credant. Quemadmodum itaq; modesta atq; matura iuuentutis ratio, in iuuene laudatur, quoniã in ea morum leuitas & ferocia (peculiaria illius ætatis vitia) constantia temperantur & corriguntur: ita in sene vegetiores & virentes adhuc artus, permagni æstimare solemus: quoniam illa vis virtusq; animi videtur, vt frigescẽti jam nunc natura corpori, vegetantẽ quendam & admirabilem vigorem attribuat, in eaq; mediocritate vitam conseruet, quæ ab vtrisq; extremis disjuncta, omniũ longe optima & præstantissima judicatur. Verum nihil hæc Curiali nostro ad magnatum, generosorum, fœminarumque nobiliũ beneuolentiam conciliandã proficient, nisi dulcis illius natura, & amicabiles, humanæq; omnes vitæ consuetudines fuerint. Harum rerũ definitas aliquas regulas præscribere operosum esset: cũ & interse diuersæ & numero infinitæ sint. Vix n. in toto terrarũ orbe duos reperire poteris, qui omni in re similiter sint affecti. Quocirca qui cũ tanta hominũ varietate vitã acturus est, & (quod magis est) qui se vt vniuscuiusq; moribus accommodare solet, singulari & exquisito judicio esse debet, omnium differentias studiose exquiret, suas indies actiones pro illorum affectionibus quibuscum versatur, mutabit. De quibus alia de me præcepta non expectabitis, quã quæ jam pridẽ tradita sunt: quæque jam olim à puero Morellus noster (dum religiose confessus esset) didicisse se dicit. Subridens hic Aemilia: Siccine (inquit) Frederice, putas euadere? siccine istos jucundissimos labores effugere sperasti? Non fiet, mihi credo: tibi siquidẽ eousq; dicendũ est, dum somnus oculos nostros, nos ipsos lectul⁹ habeat. Itane vero (inquit Fredericus) quid si nihil habuero, quod dicam? quid tum demum fiet? Ingenij certe tui (inquit Aemilia) periculum faciemus. Audiui hercule viros adeo ingeniosos fuisse quosdam & eloquentes,

justum

justū volumen de musca vt scriberent, de Febris quartanæ encomio, de laude caluitiei, & tibi nihil restat, quo vnam noctem de Curialitate dicendo conteras? Iam dudum (inquit Fredericus) tantum à me dictum est, quantū duobus voluminibus opinor sufficere. Sed quoniam excusatione vti non licet, eousq; disseram, dum tu me judices, si non officiū præstitisse, at saltem quantum possum, absoluisse. Illa itaq; viuendi ratio atq; communio, cui se potissimū accōmodare debet Curialis noster ad animos omnium conciliandos, eadē ipsa est, quam illi cum suo Principe intercedere oportet: quæ quidem communionis appellatio, etsi illam vitæ æqualitatē præ se ferat, quæ domino cum seruis vix potest contingere: ita tamē in hoc tempore nominare liceat. Curialis itaq; cum illud fortis magniq; animi specimen omnib. horis præbuerit (quod in eo jam antea necessario desiderauimus) huc curas deniq; cogitationesq; omnes conuertat, vt Principem non minus amore quàm honore prosequatur: eiusq; voluntati, moribus, desideriis vniuersam industriam omnesq; spiritus deuoueat. Hic Petrus Neapolitanus ex improuiso inquit: Istorum hodie Curialium (vt nouum neminē fingas) satis magna copia est. Egregium enim parasitum verbis quam paucissimis expressisse mihi videre. Vide, ne tute te decipias (inquit Fredericus) assentatores enim nec dominos amant, nec amicos: id quod ego Curiali nostro præcipue tribuendum putaui. Placere siquidem Principi, eidem obtemperare, omnes illius actiōes sedulo obseruare, fieri quidem omnia sine assentatione possunt. Illam enim in eo voluntatem, illas actiones intelligo, quæ cum honestate rationeq; conueniunt, aut saltem quæ in se nec bona sunt nec mala: cuius generis sunt illa exercitia atq; oblectamenta, quibus magis quam cæteris Princeps delectari solet. Iis Curialis noster (etsi natura propensus non sit) sæpe tamen se componet &

*Curialis cum Principe cōmunio.*

effinget sic, vt quoties in eum oculos Princeps conjecerit, de grata re aliqua atq; vtili, sermonem cum eo habiturus videatur. Quod facile quidē fiet, primum si ea sagacitate sit, vt subolere & præsagire possit, quo Princeps animo propendeat: deinde si eo judicio, vt ipse eodem se accommodet & insinuet: deniq; si ea industria atq; sollicitudine, vt si quid injucundi⁹ forte interciderit, illud ipsum arte atq; diligentia jucundū possit efficere. Istis principiis mediocriter fundatis, videat ne præsente Principe, subtristis aliquando, multo minus proteruus aut melancholicus appareat: ne eorū similis sit, qui eas fronti nubeculas inducunt, vt jurgia rixasq; (quod valde odiosum est) cū dominis exercere videantur. Neminem linguæ virulentia aut verborum aculeis configet, in magnates præsertim nusquam contumeliosus erit. Illud n. in aulis regum perpetuum & prope fatale malū est, vt quicunq; summis beneficiis affectus, ex humillima conditione ad summū dignitatis fastigiū euectus fuerit, idem semper querelis & couitiis plenissimus sit. Indecora istæc & exosa seruilis natura est, etiā in illis, qui aliquanto injuriosius sunt tractati. Non erit igitur Curialis noster, inuerecunde audax, inanes rumusculos in vulgus non effundet, non id inconsultius effutiet, quod animos audientiū exulcerare possit, cum eosdem delinire & placare putauerat: non erit in gestu procax, non in verbis cōtentiosus, vt illi homines turbulenti, quibus nihil magis cordi est, quam apum & œstrorum more, verborum aculeis quoscunque exagitare. Nec multa loqui desideret: nec mentiri aliquādo sine scelere se posse putabit: non erit ostentator impudens, non assentator ineptus, sed modestus, temperatus, rationis limitibus semper circumscriptus, nec priuate nec publice illius officij atq; humanitatis immemor quæ majoribus jure optimo debetur, ne illis hominibus prope accedere videatur, qui si Principi forte aut ma-

*Maledicus non erit Curialis.*

magnati cuipiã dent obuiam (qui cum vix semel jam antea sermonẽ habuerint) ridicule illis obganniunt, tanquam cum æqualibus aut potius inferiorib. congressuri. Rarissime verò aliquid à Principe rogare aut emendicare meminerit, ne ille justissimis de causis aut prorsus neget, aut (quod est multo deterius) cum indignitate & odio concedat. Quod si ipse pro aliis interceſserit, diligentissimã semper temporis rationẽ habebit: tum vt id quod petitur, sit honestum. Si v. aliquid in eo sit, in quo offendi possit, idem ea prudentia anteuertet, vt Princeps nunquam non consentiat, aut si non consenserit, minime irritatus aut commotus videatur. Hoc enim viris illustribus sæpenumero in more positũ est, vt eũ qui contentiose & serio petierit (si repulsam patiatur) valde offensum & exacerbatum discedere suspicentur. Vnde ipsi quoq; in odium paulatim sublapsi, nec aliquando illi in posterũ fauent, nec æquis eundem oculis aspiciunt. In locum itaq; solitarium quempiam, in quem sese Princeps solus recipere consueuit, nusquam se ingerat, etiamsi magnæ authoritatis fuerit: magnis siquidem viris cum seorsim priuati esse velint, libertas quædam in dictis factisq; placere solet: & proinde jam tum nec audiri se, nec videri libenter volunt, ab his præsertim, quorum leue judiciũ, & inanes opiniones extimescunt. Valde idcirco errare mihi videtur, qui clarissimis hominibus id vitio vertunt, qui secretiori cubiculo eos tantummodo viros solent asciscere, in quibus præter vnum ministerium nihil inest. Cur enim eadem illis animi relaxatio, quæ nobis non conceditur? Sin verò Curialis ille, qui de granib. seriisq; rebus cum Principe semper ferè conuenire solet, solus jam tandẽ cum eo in conclaui interiore fuerit, in quã ille animi causã secedere consueuit: personã è vestigio commutet, serias disceptationes in aliũ diẽ differat, sales & facetias eas excogitet, quibus libentissime Princeps auscultet,

ne & illum oblectationis cursum interpellat, & eidem fastidiosus fiat. Quod si beneficiū aut honores expectet, eadem potius cum oblata sint, non respuat, quam sollicite aucupetur: nec illos imiterur, qui adeo aude ambitioni inhiant, vt nō obtinere, ipsa morte acerbi videatur. Hi cū se vel remissius præteritos videant, vel alios sibi prælatos persenserint, in eos animi dolores incidunt, vt inuidiā tumidi dissimulare non possint: ex quo & ipsi cum omnium irrisione se produnt, & magnates eo nonnunquam impellunt, vt alios non ita magni momenti homunculos ad eorū ludibrium permagni faciant. Iidem si forte fortuna in gratiam deinde cū Principe redierint, perinde quasi temulenti sic gestiunt, vt quid faciant, quid cogitēt, ipsi prorsus ignorent: ita neq; manus, neq; pedes suum officium faciunt, vt parum absit, quin omnes ad se spectandos alliciant: deniq; istis rebus minus assueti, sibiipsis admirandi, aliis ridiculi videntur. In istam insaniam Curialem nostrum incidere nolumus, gratiæ quidem atq; honoris existimationem illi permittimus, non vt illa ita perdite amet, vt sine eisdem deperire credatur. Quæ si quando consecutus fuerit, nec sibiipsi alienus, nec aliis nouus videatur: si inexpectato eueniant, immoderate nō admiretur: si ab aliis oblata sint, insulse non respuat: quod illi facere solent, qui cum rustice talia repudiauerint, facile cuiq; persuadent, & esse se & videri sibi ipsis indignissimos. Præstat tamen in humaniorem partem peccare, nec oblatis dignitatibus nimia facilitate consentire: sed ea vultus modestia renuere, vt & satis magnificare videatur, & eidem semel atq; iterum, majore cum contentione & gloria deferantur. Nam qui isto modo cum prudentia recusat, & majorem Principi de se opinionem affert, & beneficium eo excellentius efficit, quod & propter magnitudinē antea renuere, & nunc cum illis honore accipere videatur. Hæc est illa vera dignitatis & gra-

*Sollicita ambitio est inquit Socrates.*

*Honores non repudiandi.*

eio

sic formula, quæ quoniam contentiose non emendicantur, vnusquisq; à virtute profectas arbitratur, eoq; magis quoniam cum modestia sunt conjunctæ. Hic Cæsar, ex sacris (inquit) literis istuc consiliū mutuatus aut suffuratus potius videris: in quibus præcipitur: ve ad nuptias inuitatus, infimum capessas locum. Quod si facies, cum ille venerit, qui te inuitauerit, orabit, ve altius ascendas, quod omnes qui adsunt conuiuæ, magno tibi honori esse putabunt. Arrisit hic vehementer Fredericus. Et magnum (inquit) sacrilegium esset ex Euangelio sacro quicquā subducere: verum tu in verbo diuino multo hercule es quam suspicabar, peritior. Sed ad nos quamprimū vt redeamus, videte obsecro, in quam multa pericula prolabuntur, qui minime desiderati, cum magnis viris vel sermonem ineunt, vel inconsultius ratiocinantur. Nam magnates illi aut augrso vultu omnino tacebunt, ad eorum opprobrium; aut cum indignitate respondebunt, ad eorum reprehensionem. Quisquis igitur nobilium virorum benevolentiam aucupetur, ad eandem nulla ratione facilius accedet, quam bene meritis rebusq; præclare gestis. Et si in quempiam Principis animum aliquanto propensiorem deprehenderit, non erit necesse in eundem quoque ita animatum esse, etiamsi eisdem vestigiis alterum illum insequatur. Omnia enim (vt dici solet) omnibus non conueniunt. Alios enim videmus ad facetias & lepôrē ita procliues esse, vt quoties loqui velint, toties risum commoueant: fere vt liceat dicere ad jocum & sales, à natura in lucem fuisse æditos. Quos si alius quispiam grauitate naturali imbutus, imitari conetur, etiamsi magno ingenio sit, frigescet illius sine succo & sanguine vrbanitas, audientibus fastidiosa erit, denique ipse asino simillimus fiet, qui vt canē imitari videretur, obdurie calcibus in herum insultabat. Illud itaque sapientiæ primum est, quod præcepit Apollo Pythius, Teipsum

*Nō omnia possumus omnes.*

noscere : quæ conuenientia sunt, omni studio consectari, contraria verò declinare. Priusquam longius expatiare (inquit Vincentius Calmeta) nisi me fefellerit memoria, illud modo à te positum est, optimam scilicet gratiæ atq; beneuolentiæ inundæ rationem esse, bene mereri : beneficia v. & honores, non emendicanda esse audacius, sed dū offerantur, expectanda. Vereor equidem, ne inane hoc præceptum manifesta nimis experiētia excludatur. Pauci enim hodiè Principibus grati & familiares sunt, nisi iidem in summa audacia inuerecundi fuerint. Teipsum testē appello, si multos nō cognoueris, qui cū vel minimi momenti apud proceres fuerint, sola impudentia per multos honorū gradus conscenderint. Neminem vero comminisci possum, cui aliquando suffragata est verecundia : nec tute (credo) aliquem recensere poteris, etiamsi tibi permagnum commentandi spatium tribuerem. Ponito ante oculos Aulam Gallicam, totius Christianæ Reipublicæ prope florentissimam : vide, num primarij in ea viri longe non absint à modestia; non solum tum, cum secum vnà versantur (quod esset tolerabilius) sed cum ipso etiam Rege. Caue dicas, inquit Fredericus. Nam in Galliis modesti & humani generosi sunt: nec inficior tamē, quin libera quadam familiaritate sine ceremoniis vtantur : quæ cum eorum hominum propria fuerit, inuerecundia dici non debet. Nam etsi cum illis liberè jocari, ridere, colludere solent, qui reliquis paulo audaciores sunt, eos tamen majoris faciunt, in quibus conjuncta est cum virtute modestia. Tum Calmeta : Hispanos etiam intuere, qui veræ Curialitatis magistri videri volunt. Quotusquisq; ex illis cum viris fœminisq; nobilibus, audacius non versatur? In quo Galli eo pejores sunt, quod aspectu primo admirabilem præ se ferunt seueritatem. Ne illi tamen in eo sapiunt, quoniam huius ætatis Dynastæ eos solos amplectūtur, qui ista natura atq;

*Galli minime ceremoniales.*

atq; ingenio sunt. Tum Fredericus : Aegre hercule (Vincenti) patior, vt nostri seculi nobilibus istam turpitudinis notam inuras. Quoniam etiamnū permulti sunt, qui ingenua quadā modestia delectantur: quam tamē non concedo istam ex seipsa vim habere, quenquam vt gratum & acceptū faciat: verum aliis comitata virtutibus, mirificū quendam splendorē pulchritudinemq; afferre solet. Nam illa etiamsi conticuerit, egregiæ tamen animi dotes apertissime loquuntur, multoq; majorem admirationem sui excitant, quam si cum inuerecundia conjunctæ essent Negare sane non possum, Hispanos nonnullos, aliquanto quam par est, audaciores esse : eos tamen plurimi fieri sat scio, qui plurimum habent verecundiæ. Alij contra sunt adeò frigidi sterilisq; ingenij, vt humanam societatē plus æquo fugiant : ex quo vel nimis timidi, vel nimis superbi videri solent. Ne id quidē laudare licet : non enim adeo jejuna atq; arida modestia esse debet, vt cum rusticitate coincidat. Sit itaq; Curialis noster, cum ita res ferat, facundus atque luculentus, in rerum publicarum monumentis, in diuersarum nationum ritibus cum primis peritus : denique vbicunq; spiritum duxerit, omne illi solū patria existat. In illis verò rebus, quæ minoris ponderis sunt, facetus sit & florens, probabiliter de omni re in omnes partes disserat, ita tamen, vt honestum propositum bonus finis consequatur. Inuidiam tanquam angusti animi labem declinet : cuiquam maledicere minus honorificū putet, nihil versute ambiat, nihil iniquis rationibus aggrediatur. Tum Calmeta : O difficilem lubricamq; Curialitatis rationē! cæteræ omnes longe faciliores sunt, vnica illa à te laudata ardua & scopulosa est: quoniā (vt ante dixim⁹) illi soli nobilib. grati sunt, quos tu modo repudiare videbaris. Noli id dicere (inquit Frederic⁹) : id n. argumento esset, omnes nostræ memoriæ viros primarios vitiosos esse: quod est

à veritate absonum. Absit enim, quin aliqui boni viri sint. Verum si ita res ceciderit, vt flagitioso cuipiam Curialis iste noster inseruiat, illam quam citissime seruitutem excutiat, ne illis pœnis excrutietur, quas quisq; prob⁹ solet persentiscere, dum iniquis obtemperet. Immò Deus exorandus est (inquit Calmeta) vt bonos nobis Principes non grauate concedat: quisi non fuerint, vtcunq; sunt, nobis tolerandi sunt, adeò vt magis seruire pœniteat, quam liceat desistere. Tota enim istius infortunij ratio in ipsis principiis posita est. Sunt enim istiusmodi Curiales infelicissimis illis auibus non absimiles, quæ in vallibus parum saustis, & aucupio semper obnoxiis procreatæ sunt. At mihi quidem videtur (inquit Fredericus) boni viri officium (quoscunq; casus fortuna inuexerit) maximi momenti esse debere: & proinde si nec dominos ad justum bellum profecturos, nec reflante fortuna eosdē quis deserat, nullisue in eo ambitionis, aut vtilitatis illecebris pelliciatur: quid ni illud seruitutis jugū exuat, quod bonorum hominum sententia, plus in se dedecoris & ignominiæ, quam laudis aut commoditatis habeat? Sic enim vulgo existimari solet, bonos plerunq; bonis, malos malis inseruire. Vellem hercule (inquit Ludouicus Pius) hunc vnum mihi ex animo scrupulū ejicias, num scilicet generosus iste Principi inhonesta & turpia imperanti obtemperare debeat? In rebus inhonestis (respondit Fredericus) nemini deuincti aut obligati sumus. Quid igitur faciam (inquit Ludouicus) si illi Regi inseruiam, cui adeò jam diu charus fuerim, nihil vt illi denegandū putet? Si idem me hominem occidere jusserit, aut quiduis eius generis: num inficias ibo? num fas erit renuere? In honestis & licitis (inquit Fredericus) Dominis obtemperandū, non in illis, quæ cum eorum dispendio & turpitudine fiunt. Quod si tibi præcipiant, vt congressus tacitos & conjurationes flagitiosas ineas, non modo non

esse.

assentiendum, sed totis viribus contra reluctandum, ne & tute scelere te obstringas, & alienæ libidinis minister existas. Multa profecto sunt, quæ primo aspectu boni speciem præ se ferunt, cum tamen mala sint: & contrà. Possunt itaq; tempora incidere, cum domino præcipiente, non vnũ tantummodo virum, sed decies mille licet interficere, & alia nonnulla his similia facere. Quæ si justa statera examinentur, mala non sunt, cum esse videantur. Tum Gaspar. Palauicinus; Planius, obsecro, nos hac in re fac erudias: nimirum, quomodo ea, quæ re ipsa sunt bona, ab his secernamus, quæ facie tantum atq; effigie talia sunt. Dabis mihi veniam (inquit Fredericus) si in eam disputationem non incidero, quæ nimis late patet, eadem prudentiæ vestræ penitus relinquenda est. At vnum hoc saltem (inquit Gasparus) ne graueris explicare. Si determinatis quibusdam & certis mandatis, fidei meæ Princeps quicquam commiserit, quod ego multo feliciore ratione me posse putem conficere: num præscriptis ab eo limitib. excedere licebit? num mandati fines relinquere? Hac equidem in re (inquit Fredericus) seueriſſimum illud Manlij Torquati exemplum tibi objicerem, qui tali in causa (nimia scilicet pietate vsus) filium occidit, si eum (id quod ego nunquam sensi) magnopere laudandũ putarem. Eundem tamen vix audeo reprehendere: ne confirmatæ tot annorum opinioni reclamare viderer. Periculosum enim est, præscriptas à magistratib. formulas relinquere, majoremq; in nostris actionibus fiduciam habere, quam eorum inuentis, quibus est diuino humanoque jure obtemperandum. Nam si mandatarium opinio fefellerit, si consilium (quod fere ex euentu ponderamus) male succesſerit, nec excusatio justa erit, nec expectatio misericordiæ: sin ex voto atq; sententia res cedat, soli fortunæ referenda gratia, nihil sperandũ vlterius. Eo siquidem alioqui res tandem redit, vt superiorum

*Num mandati fines liceat excedere.*

præcepta nullius momenti haberentur. Illius enim exemplo, qui negotiũ grauiter confecit, qui rationis atque fortunæ subsidiis suffultus erat, nonnulli alij non minus imprudentes, quã temerarij & præcipites, res magnas & periculosas confidentius aggrediuntur, & mandati fines prætergressi, vt sapientia & authoritate insignes videantur, mille pertentant rerum discrimina, varias difficultates exorbent, denique alium ex alio errorem accumulant. Istis profecto hominibus deliberandum potius fuit, & quasi diligenti trutina considerandum, commoda atq; incommoda omnia cuiusmodi sint, quid futurũ esset, si res teterrime ceciderit: & si mali euentus majora momenta fuerint, quam felicis & successus boni: præscriptam mandati formulam religiosissime obseruent. Et contra, si rebus ex animi nostri sententia compositis, vberiorem Respublica vtilitatem persentiat, quam detrimentum, si constitutæ à Magistratibus rationi insisteremus, non dubito, quin reclamanti judicio parêre liceat, & stricti juris frænos paululũ relaxare: vt mercatores illi sagaces, qui parum periclitantur, vt multum lucrentur, nunquam libere profundunt, vt exiguus quæstus oriatur. Illud equidem non inficior, singularẽ quandam illius naturæ atq; indolis rationem habendam, cui quisq; inseruit. Huic enim totum se effingat & componat. Qui, si paulo seuerior sit (vt sunt nonnulli) amicis (si me consulerent) persuaderem, ne latum vnguem ab expresso mandato discederent, ne id illis vsuueniret, quod Athenis cuidam machinarũ fabro contigerat. Cum enim Crassus Mutianus vrbem in Asia qnandam oppugnaret, nuntios quosdam ad istum fabrum misit, qui juberent, vt è duobus malis nauicularibus, quos ille Athenæ habebat, majorem Mutiano mitteret, vt arietem ex eo ad muros deficiendos conficeret. Ille satis peritus artifex, qui minorem & illis vsibus melius deseruire, & faci-

*Crassi Mutiani sauitia.*

facilius vehi posse cognouerat, eundē Mutiano præmittit. Quod cum is intelligeret, fabrum continuo miserum accersit, rogat cur illi morem non gesserit, deniq; nec rationes aliquas audit, nec excusationibus commouetur: sed hominē infelicem, vestibus miserè spoliatum, virgis cōsq; cædit, dum cruciatus acerbitates mortē inferrent. Hoc ille tulit insciti præmiū, dum consilium potius dare, quam obtemperare maluerit. Ex eo tamen hoc cōmodi licet capere, vt cum hominibus tam seueri & atrocis ingenij, quam caute agenda sint omnia, non ignoremus. Verum istuc paulum omittamus cum superioribus commercium, ad eamq; societatē accedamus, quæ nobis cum æqualibus aut inferioribus intercedit: quoniam illius in cōmuni omniū vita vsus est frequentior. Multorum sane adeò mobile est ingeniū, vt etiamsi cum amicis intimis vna versentur, si quisquā forte vestitu splendidiore occurrat, eidē protinus adhæreſcunt, si alius, deinde etiā alius elegantiore cultu appareat, in eundem quoq; præcipites ruunt. Sin ipse Princeps per forum, per aliquod templū, aut locū quemcunq; publicum præterierit, quemuis obtrudunt, cuiq; se anteponunt, imprudēterq; ingerunt, donec vel ei ad latus sint, vel illi calcib. insistant: & quamuis nihil dignum sit, quod dicant, alloquuntur tamen, & dum eundem futilissimis vocib. detinent, inepte rident, manus collidunt, capite gestiunt, spectatores vt credāt rem esse seriam, & Getam aut Dauum aliquē Agamemnoni in consiliis capiendis tanquam Nestorem esse. Sed isti homunciones, quoniā nisi cum regibus non loquuntur, de illis itidem nihil hic loqui operæ pretium est. Tum Iulianus: Quoniā, inquit, de eorum cōtubernio mentio jam incidit, qui vestib. adeo lauti sunt & delicati, narra obsecro, quis habitus, quodue genus vestimenti Curialē nostrum inprimis deceat. Immensam siquidē in eo varietatē cernimus. Alios enim Gallice, alios

*Quod genus vestitus Curialem deceat.*

alios Hiſpanice, alios Teutonice, ornatos videmus? denique ſic trahit ſua quemque voluptas, vt aliquos barbatos, aliquos imberbes, Turcarum ritu delectet incedere. Quocirca in tam diuerſis iſtis tantarũ gentium conſuetudinibus exquiſitam quandam, & perfectiſſimam formulam excogitare præclarum mehercule foret, & tua prudentia nõ indignum. De veſtibus equidem (inquit Fredericus) normas aliquas curioſas & præcepta alia tradere non poſſum, niſi vt majori hominum multitudini non diſſentiant. Et quoniam (vti dicis) adeo variæ & multiplices ſunt, quoniam Italos ipſos omnium hominum æmulos videmus: quod cuiq; ea in re libuerit, id per me licebit. Italia enim (neſcio quo fato) illam veſtitus formam penitus amiſit, qua ſemper inter cæteras natiões inſignis jam antea, ſatiſq; cognita eminuit. Iſtæ nouitiæ, etiamſi antiquas illas quaſi craſſiores apparere faciant, illæ tamen libertatis fortaſſe trophæa extiterunt, iſtæ ſunt ſeruitutis indicia. Quæ quam nimis vera diuinatio fuerit, plus ſatis jampridem videmur experti. Darius Perſarum Rex vno aut altero anno, priuſquam cum Alexandro confligeret, gladiũ (quem indies geſtabat) Perſicum, in Macedonici enſis formam commutauit: quod cum ad augures relatum eſſet, illi eos Perſiæ rectores fore dicebant, quorũ mores Darius in gladio imitatus eſſet. Eadẽ omnino ratione, cum antiquiſſimos Italiæ ritus in exterarum nationũ conſuetudines tranſtulerimus: tab his omnibus, quorũ mores imitati ſumus, peſtis belli & cõmune malũ aliquod portendi videtur. Quod quam certũ ſit augurium, omnes prope totius orbis nationes teſtantur, quorũ jampridem ſpoliis expoſiti fuimus: & quamuis nihil fere ſuperſit, quod eis prædæ eſſe poſſit, depopulari tamen non deſiſtunt. Verũ in hanc funeſtã & luctuoſam orationem non deſcendemus. Curiali quidem noſtro (quod ad veſtes cultumq; attinet) ſatis erit, ſi nec obſoleta ſint,

Darij exẽ.

nec

nec illius conditioni dissidentia, & ipse sibi in illis satisfaciat. Mihi quidem certe, nihil in illis extremum affectare, magnopere placet. Nam & Galli distentis & copiosioribus vtuntur: Teutones strigosis & exilibus: ab Italis mediocritate quadam vtrumq; temperatur. Quod si grauitatis potius speciē, quam leuitatis præ se ferant, majores etiā in eo laudes promereri videntur. Vnde nigros ego quidē colores maximi facere soleo, aut saltē fuscos & subobscuros. Sed ista de quotidianis & vsitatis vestibus dicta sint. Armatum enim non dubium est, quin illustriores deceant colores: cum vestis aut ad voluptatē conscissa est, aut ad ostentationem ornata: vt in triumphis, ludis, spectaculis, in quibus expressa quædam alacritas istorū exercitiorum quasi vita quædam & lumē aliquod est. In reliquis verò rebus eam velim grauitatis speciē ostendant, quæ fere est Hispanorū propria. Ita enim fit, vt rerum externarum comparatione, interiores nonnunquam affectus haud absurde dijudicemus. Tū Cæsar: In hoc (inquit) magnopere tibi non dissentio. Dum enim de viri generosi virtute constiterit, vestitus existimationi nec prosunt multum, nec valde obsunt. Vere tu quidem (inquit Fredericus) quis tamē nostrum, si quenquam viderit tunicis diuersicoloribus, fibulis variis colligatum, serico multiplici contextum, eundē aut stultum aut scurram non judicet? Nec morionē (inquit Bembus) nec gan ionem existimarent, qui in Longobardia pauliſper vixissent. ibi n. id in more posiū est vniuersis. Suauiter hic subridens Ducissa, si omnium (inquit) ea consuetudo est, non magis id illis vitio erit, quam Venetianis longas amplasq; habere manicas, aut Florentinis Capuciis suis vti. De Longobardis (inquit Fredericus) magis quam aliis quibuscunq; hominibus non loquor. Nam vnaquæq; regio suos & stultos alit, & sapientes. Sed vt de Curialis nostri vestitu plane dicam, quod sentio: politum eundē & concinne ornatum

*Colorum splendor triumphis aptior.*

tum esse volo, curiositatem illi modestam permitto, non leuem tamen aut effœminatam. In vna re aliqua immoderate exquisitus non sit, in aliis crassus & supinus, vt multi, qui capillis plusquam muliebrē dant operam: cætera omnia præter modū negligunt. Alij dentib. fricandis insudant, alij barbas molliter disponunt quosdā cothurni sollicitos tenent, alios galeri, nōnullos fascia seu peplū nocturnum. In quibus dum sese nimis exquisitos ostentant, facile fides fit aliunde mutuata esse: reliqua omnia (quæ vtiliora sūt) sua esse atq; propria. Istas tam absonas & discordes in victu cultuq; consuetudines curiales effugiat, & quicunq; vir aliis videri volet, ita vestiēdo se comparet, vt talis videatur etiā illis hominib. qui eundē nec loquentem audierint, nec quicquā jam antea factitantē conspexerint. Tū Pallauicinus: Nec honestū decet, nec solet quisquam ingeniū cuiusquam ex veste judicare, non verbis factisq; discernere. Facile n. esset labi & errare, vt illud est tritū sermone proverbiū: Cucullus nō facit monachū. Non sum equidē isti⁹ sententiæ (inquit Fredericus) exactū aliquod & determinatū judicium in vestitu esse, aut potius multo certi⁹ ex reb. gestis, & cuiusq; viri oratione nō colligi: id dico, nō minimum vniuscuiusq; animi argumentū ex vestib. deprehendi, quantūvis aliquādo leui⁹ cōjiciendo circūleniamur. Nec in his solum cōjectura verisimilis est, verumetiā in gestu, in obtutu, in moribus, & aliis nonnullis. Et quæ tandem sunt illa (inquit Gaspar.) si nec dicta sint nec facta? In Sophistā me video incidisse (inquit Frederic⁹) verum ne minus intelligere videaris, reuocato in memoriam, operationes quasdā esse, quæ exacto opere etiamnū persistunt, vt ædificia, scripta & illius generis infinita: alia cum ipso statim actu intereunt, cuiusmodi sunt illa, de quibus jam loquimur. Neque enim gressum, incessum, risum, aspectū operationes appello, & tamen cum exterius emineant, illius quod intra

*Vestis virū indicat.*

satra nos est, nonnunquã sunt indicia. Num tu familiarẽ illum nostrum (de quo hodie collocuti sumus) leuitatis & ineptiarũ tacite nõ insimulasti, cum eundẽ videres caput cõtorquere, corpus stultius demittere, q. omnes ad se salutandum, & pileos exuendos inuitaret? cum alios videris intentis oculis tanquã stupidos & insensatos circũspectare, cum eosdẽ etiam profusius ridere, tanquam Montanos Bergamascos (vt nihil dicant prẽterea aut faciant) nonne stultos & ridiculos putabis? Facillime itaq; prospici potest, habitus illos, mores, actus, consuetudines (quæ ego in hoc tempore operationes non appellarem) permagni interesse, ad cuiusq; naturam & ingenium cognoscendum. Sed & aliud quiddam est quod aulici nostri existimationem vel magnopere augere, vel multum minuere posset: electio nimirum amicorum quibuscum intime familiariterq; versatur. Id n. rationis leges efflagitant, vt qui firmissimis amicitiæ vinculis indiuidua vitæ consuetudine deuinciuntur, eiusdẽ animi, ingenij, judicij deniq; voluntatis & spiritus existant. Adeò vt qui cum insciis & improbis viuat, eundẽ malum & ignorantẽ existimemus: & contrà qui cũ bonis viris & sapientib. versetur, talis ipse quoq; habeatur. Ita n. natura comparatũ est, vt pares cum paribus facillime cõgregentur. Diligens itaq; cautio in ipsis amicitiarũ initiis adhibenda est. Quisquis enim alterum amicorũ cognouerit, alterum continuo ex eodẽ dijudicat. Tum Petrus Bembus: Exquisita mehercule ratio vt dicis in amicitiis cõglutinandis habenda est: non solũ quoniam in eo famæ atq; existimationis vis magna posita est, sed quoniã perpauci hodie verè amici nominandi sunt. Neq; enim plures Pylades & Orestes, Theseos & Peritheos, Scipiones & Lælios puto supereſſe. Sed nescio quo malo fato, etiã illi homines, qui per multos annos amicitiam beneuolentiamq; inter se sanctissime coluerunt, tandẽ aut æmulatione aut cupiditate, aut leuitate permoti, ad fraudẽ sese & insidias recipiunt,

*Aulicorũ electio Auleo considerãda.*

& quisq; id socio imponit, in quo vterq; fortassis, reus existit. Mihi verò cum id semel atq; iterum infelicitet contigerit, vt ab eo circumvenirer, quem vnice diligebam, & à quo me plurimi fieri putabam, in eam sepenumero cogitationē incidi, nunquam me totum cuiquam sic tradere, aut omnia mea consilia in cuiusquam sinū sic prorsus effundere, vt illi prædæ loco expositus esse possem: quoniam in animis nostris adeò multi sunt recessus & Mæandri, impossibile vt sit, latentes & occultas dissimulationes perspicere. Et proindè vnūquemq; credo eo majore beneuolētia afficiendū, quo majora illius in nos benemerita existunt. Ex quo illud sequitur, amicitiæ specie ita nos circūscribi non posse, sero vt pœniteat. Certe quidē (inquit Frederic⁹) multo plus in eo dispendij, quam lucri esset, si summus ille perfectæ amicitiæ grad⁹ è medio tolleretur, quæ omnes totius humanæ vitæ commoditates mea sentētia adferre solet. Ea si abfuerit, sol mihi è mundo videtur cecidisse, & humanū genus reliquis omnibus animantibus multo infelicius existere. Et quanquam sacro illo amicitiæ nomine nōnulli homines nefarij abutantur, tamē ex animis nostris rādicitus eruenda non est illius opinio, nec sceleratorū impietati tantū tribuendū, vt ea felicitate viri quoq; boni priuentur. Neq; verò dubitare mihi videor, quin etiam hic apud nos plura sint amicorū paria, quorū sine fuco & fraude voluntates adeò certis amoris vinculis colligātur, vt sola morte distrahi aut diuelli possint: nec minori animorū consensione viuant, quam illi antiquissimæ memoriæ amici, à te modo recitati. Quod tū semper euenit, cum præter cœlestē illam superiorum corporum inclinationē, similitudo quoq; morum amicitias conjungat. De bonis & studiosis hominibus loquor: quoniam in iquorū nulla sancta societas aut fides est. Nec bonis tamē viris ita laxas eiusdem habenas concedimus, vt plures, aliquādo quam duos in istue tam reli-

*Ciceronem imitatur.*

*De cœlesti amicitias cōglutinante*

religiosum fœdus adsciscant. In Musicis enim duo facilius, quam tres aut plures consentiunt. Curialem itaq; nostrum in diligendis amicis cauti & accuratum esse volumus, nullos nisi fideles & sinceros admittat, & (si fieri possit) omnino tales habeat, quales à nobis modo sunt descripti. Reliquos omnes vt quisq; optime meritus fuerit, amore atque adeo honore prosequatur. Cum optimis semper versetur, ita tamen, vt suam cum infimo hominum genere dignitatem conseruet. Quod facile quidē fiet, si humanus, liberalis, affabilis, cum æqualibus suauis & jucundus, cum superioribus gratus atque officiosus fuerit, si præsentis absentisque amici vtilitati non defuerit, si illius erroribus, quos natura dedit, humaniter ignoscat, si propriis vitiis non indulgeat, si nec cæteris se ambitiose prætulerit, nec eos homines vultus vociferq; acerbitate imitetur, qui istam quasi vitam exosi, in aliorum mores tanta virulentia inuehuntur, vt minimis in rebus cōtentiosi, in verbis semper intempestiui, in amicitia querelis atque odio plenissimi videantur. Hic cum paulum respiraret Fredericus, vellem hercule (inquit Gasparus) particularem magis istius societatis rationem à te nobis demonstrari. Nimirum tu quidem generalibus insistis: & dum obiter multa percurris, nos vix te intelligimus. Num obiter & concise, tibi videor dicere, inquit Fredericus? Num ipsa me eorum verba recitare vis? Num minus sufficere putas, quæ jam dudum dixerim? Assentior equidem sufficere (inquit Gasparus) vehementer tamen cupio ad propiora te, & minus vniuersalia descendere: nimirum qua quisque humanitate excipiendus, quomodo cum viris fœminisq; ineunda familiaritas. Cum n. in aulis principum omnes fere diei partes in ea cōsumātur, si vniusmodi semper esset hominū excipiendorū ratio, non dubito, quin breui spatio satietas illius aut potius fastidium foret. Ad hæc Fredericus: Curiali, inquit (nisi fallor)

tantam diuersarum rerum varietatē jam antea attri-
buimus, vt prō hominū ingeniis & studiis ipse quoq;
se quam citissime essingat, nisi judiciū illi (quod nolu-
mus) defuerit. Nunc n. grauibus seriisq; rebus satisfa-
cier, nūc vicissim ludis jocisq; incumbet. Quod quęso
illi ludos permittis, inquit Gasparus? A fratre Sera-
phino (inquit Fredericus) id scisciteмur, qui nouitios
indies excogitat. A serio, inquit Gaspar⁹, dicito. Num
in Curiali nostro tesseris & chartis pictis ludere vitio-
sum non existimas? Non existimo (inquit Fredericus)
nisi forte illis tantū temporis atq; operæ impendat, vt
*Quibus lu-* maiora negligat, aut sordidū ex illis quæstum sperer,
*dis vti li-* aut contubernales dolo malo fallat, aut ita pecunias
*ceat.* profundat vt os iracundia distorqueat, & execrationib,
perjuriisque omnia diris deuoueat. Ex quo facillime
colligitur, eum non tam societate delinitum ludere,
quam auaritia occœcatū, furere & insanire. Quid igi-
tur tibi de Schacchio ludo videtur, inquit Gasparus?
Honesta mehercule (ait Frederic⁹) & ingeniosa ludēdi
ratio est. In qua hoc vnum fugiendū est, ne nimium
in ea scire videamur. Quisquis enim in illa reliquis
præstare studet, tantum in eadem studij atq; temporis
necesse est imponere, quantū scientiæ cuiquā eximiæ
sufficeret: & cum omnia curiose cognouerit, ludere
*Mediocri-* tantummodo didicit. In eo itaque id vsuvenit, quod
*tas optima* rarissime perspicitur: nimirū mediocriter scire melius
esse, quam valde præstare. Tum Gasparus: Permulti
certe Hispani sunt in isto, & in aliis ludis peritissimi:
multū tamē in iis operæ non imponunt, nec grauiora
prætermittunt. Noli putare (inquit Frederic⁹) multum
illos temporis istis rebus non tribuere. Perire enim id
faciunt artificiose dissimulantes. Alios v. ludos, quos
cōmemoras, præter Schacchium non video, quem in
finem accurate insectemur (nisi forte vt plebi admira-
tionē cōmoueamus) cum iis nulla neq; alia laus, neq;
præmium aliud debetur, quam quod ab Alexandro
Magno

Magno cuidam tributum est, qui procul consistens, minutissima pisa acu filoq; transfixit. Verum fortuna humanæ vitæ domina, vt in reliquis rebus, ita quoq; in opinionibus nostris permagni momenti est. Hominem siquidem liberum & ingenuum sæpenumero videmus, omnib. tum animi tū corporis ornamentis perpolitum: Principi tamen aut domino nunquā gratum, nunquam acceptum esse: nec vllam tamen istius rei vel probabilē causam reddi posse. Quod si igitur nunc primum in Principis aspectum curialis prodeat, nec cuiquā nobiliū se prius insinuauerit, etsi ingenio acuto, actione decēti, morib. suauissimis fuerit, deniq; etsi omnia in eo laudabilia sint, Princeps tamen vel eūnde parui pendet, vel cum indignitate intuebitur. Ex quo alij nonnulli, vt principem imitari videantur, eundē contemnendū putabunt, facetias illius & sales insulsas dicent, dicteriis eundē configent, ipsi deniq; assectæ & scutigeruli in eundē intolerabili petulantia ita insultabunt, vt homini cuiq; optimo & humanissimo pudorem, & pene mentē discutiant. Contra verò si aliqua animi permotione Princeps in alium propendeat, qui in summa ignorantia inuerecundus est, qui nihil neq; facere neq; dicere potest, cuius omnes vitæ consuetudines aut ridendæ aut miserandæ sunt, easdem tamē summa omnes laude prosequuntur, in hunc solum omnium oculi sunt conjecti, hunc suspiciunt, hunc admirantur vnum. Si loquatur profusius, pulchre dictū ajunt, & si illis jocis vtatur, quæ curiam potius quam curiam decent, quæq; fomitum citius quam risum moueant, summus tamen omnium consensus & applausus erit. Ita semper nobiliū judicium reliquis præjudicium esse solet. Curialis itaq; noster suas virtutes (quantum poterit) arte atq; ingenio juvabit: & si cubi in locis ignotis peregrinandum fuerit, famam atq; opinionem aliquam, tanquam nuncios, præmittat, quanti apud viros fæminasque nobiliores

*Apud nobiles insinuatio.*

*Quanti interest prima opinio.*

alibi fiat, artificiose significet. Ea siquidē gloria quæ multorum iudicio nititur, certam quandam iustamq; existimationem indicat. Quæ etiamsi in animis hominum iam antea resederit, facile tamen confirmatur atq; augetur. Illis enim molestiis immunis erit, quibus ego nonnunquam impedior, cum me obtundant atque eneccent rogando qui sim, vnde veniam, quo nomine appeller. Non video hercule (inquit Bernardus Bibiena) quid istue proderit. Mihi siquidē & multis credo aliis) id sæpe vsuvenit, vt cum aliis referentibus de eo, quod ipse nunquā videram, magnum aliquod animo concepissem, posteaquā forte fortuna in illud ipsum incidissem, multū certe de ipsius magnitudine diminutum putarem: meque ipsum mente & cogitatione iam diu lapsum arbitraret. Cuius nullam aliam rationē effingere poteram, nisi quod famæ nimium credidissem: quæ cū tantas animo faces admouisset, res ipsa etsi grandissima fuerat, parua tamen prorsus est visa, quia multo maxima fuerat illius iampridem opinio. Quod ne nostro Curiali contingat, valde extimesco. Quocirca non video, quid tandē profuerit, tantam in animis hominum expectationem commouere, tantamq; famam præmittere, præsertim cum eo pleruṇq; ingenio simus, vt res nobis rumoribus oblatas, sic cogitatione efformemus, vt easdē adæquare sit plane impossibile: vnde plus sæpenumero dispendij quam lucri proficiscitur. Tum Fredericus: Res illa (inquit) quæ & tibi & aliis nōnullis opinione minores videntur, huiusmodi fere sunt, quæ oculorū iudicio subiiciuntur. Vtpote si Romæ aut Neapoli nunquam fueris, cum de eisdē homines inter se disputantes audieris, major fortasse vtriusq; majestas animo primū occurret, quam oculis postea discerni possit. Verum in hominum ingeniis discriminandis idem nō interveniet. Minimū enim in vnoquoq; est, quod aspectui obiicitur. Vnde cum generosum forte aliquem de re ali-

aliqua differentē audieris, etsi primo fortasse cōgressu conceptæ iamdudum opinioni vix satisfaciat, euncē tamen è vestigio sic non reijcies, quemadmodū illa, in quibus oculi iudicū iamprimum sufficiet. Verum indies potius expectanda putabis, dum latens aliqua virtus se proripiat, impreſaq; iam antea tot hominū vocib. opinionē mordicus tenebis. Quam ille, cum ea prudentia sit, qua nostrum Curiale esse volumus, sic confirmabit, de rumuſculis etiam leuissimis, non modo vt nō dubites, verum maiora semper in eo aut speres aut certe suspicere. Negari hercule non potest, illud permagni momenti esse, quod mentes nostras affectione aliqua primum perculerit: in eoq; cautio diligens adhibēda erit. Huius rei quāta vis sit, facilius vt intelligatis, illud vobis cōfirmare audeo, nobilem me quendam cognouisse, qui etiamsi a pectu dulci & modesto ingenio esset, armis & scientia militari valeret: in istis tamen haud ita præstitit, multos vt pares non haberet, aut potius superiores. Huius ita fortuna ferebat, vt in eundē fœmina quædam illustris vehementer deperiret, eaq; cum altius quotidie affectio in mulierculę animo radices ageret (quoniā quibusdam quasi mutui cōsensus indicijs à viro fouebatur) nihil magis in votis habuit, quam cum eodem colloqui & conuenire. Cui desiderio cū omnes aditus intercluſos videret, pertubationis magnitudine occęcata, istum tam grauem animi morbum & cruciatum in alterius fœminæ sinum effudit, aliquam ex ea opem sperans, aut saltē oportunitatem. Hæc neq; nobilitate alteri, nec forma inferior, cum & illam orationis vehementiā de iuuene ignoto audiret, eumq; à domina (quam sapienti & singulari iudicio cognouerat) tam vehementer amari intelligeret: eundē protinus omnium pulcherrimum, sagacissimum, ornatissimum, denique omni amore dignissimum putauit. Neq; hic restitit, quin eundē, quem nondum viderat, amore occiperet,

*Mulierū in amando facilitas.*

omnesq; ratiões iniret, quib. eo frui aut potiri posset non tam amicæ gratia, cuius erat oblita, quã suipsius causa, cuius nimis meminerat. Minime sane difficile negotium susceptit: quippe quæ digna potius exoratu videbatur, quam quæ alij exorando operã daret. Sed rem festiuam & dignã animaduertite. Non ita multo post vsuvenit, vt posterior isthæc muliercula, cum literas amoris & suauitatis plenissimas adolescenti illi conscriberet, in tertiæ cuiusdã dominæ manus literæ inciderent: quæ vti venustate, ingenio, prudẽtia cum reliquis comparari posset, ita in eo vere mulier, quod in aliorum omnium (præsertim fæminarũ) secretis & consiliis inuestigandis nimium curiosa erat. Literas n. aperuit, quas cum sedulo perlegeret, animadvenit sinceriss imũ amoris affectũ, suauissima verborũ lenocinia, incredibiles amoris flammas, mirificis animi passionibus conjunctas. Quæ cum omnia diligenter euoluerer, primum miserrimæ fæminæ cœpit commiserari; deinde secum etiam atque etiam cogitans, qualẽ virum esse oporteat, qui tam egregiã mulierem ad amandũ allicere poterat, ipsa quoq; subito illius amore exarsit: adeo vt majores illi hęc ipsa litera facer admouere videretur, quam si consulto ad eande conscripta esset. Et vt venenum cibis insidiose immistum in eum finẽ, vt magnos viros è medio tollat, eum, qui primo degustarit, plerunq; enecat: ita infelix muliercula, alienarũ rerum auida, dum philtrum alij instructum appetenti⁹ hauriret, nescia & incõsulta deperit. Quid plura adjiciam? vsq; adeo breui cognita & peruagata res est, vt aliæ nõnullæ mulieres, vel tanquã istarum riuales, vel tanquã istarum imitatrices omnem huc industriã cõtulerint, vt isto juuene potiri possent, nõ sec⁹ quã pueri dum cerasis ludunt, aperto ore certatim inhiantes. Atq; hæc quidẽ omnia ex prima illa opinione, quæ illi⁹ fæminæ animo insedit, quæ illum ab alia tam vehementer laudari audiuerat. Subridens hic

hic Gasparus, tu (inquit) vt sententiam nobis tuam ratione confirmes, mulierum actiones & exempla adducis, quæ ab omni ratione iunt loge alieniſſima: & si vera fateri velles, hunc iuuenē à tam multis amatum mulieribus, ſtultum aliquē & ineptum credo fuiſſe: vel quia earum ingenia ad deteriores ſunt propenſa; vel quia pecudū more aliæ aliàs in omni re ſine ſenſu inſequuntur; vel quia adeo ſunt natura inuidioſæ, vt altera alteri beneuolentiā, amorē atq; conſilium præripere deſideraret, etiāſi valde monſtroſus homo fuiſſet. Hic omnes fere qui adſuerunt, in Gaſparū inuehi cœperunt. Verū vniuerſis Ducilla ſilentiū impoſuit, & ſubridēs in hæc verba fatur: Si ritue tuū in mulieres conuitiū nō eſſet adeò à veritate alienū, vt tibi potius ipſi quā fœminis obeſſe videretur, facile tibi reſpondere paterer: nunc vero iſta maledicendi conſuetudo tua, non rationibus, ſed malà audientium opinione plectetur. Tum Fredericus: Noli, Gaſpare, grauius de mulieribus ſtatuere, quod aliorū in amando iudicio magis nonnunquā moueantur, quam ſuo. Hoc idem magnis ſæpenumero viris ſapientib. cōtigit, & (ſi vere licear dicere) tute & nos qui adſumus omnes aliorum magis iudiciis quā noſtris inſiſtimus. Non ita pridem hoc ipſo in loco carmina quædam prolata ſunt. Sanazari nomine, eaq; tam diu preſtantiſſima ſunt habita, quam illius eſſe putabātur. Poſteà verò quàm ab alio cōpoſita eſſe perſpectū eſt, nullius omnino momenti habebantur. Ad hæc corā Duciſſa ſeueriſſima rhythmus quidam nuperrime decantatus eſt, qui nemini nunquā placuerat, donec à Ioquino Priſio cōpoſitus dicebatur. Adeo ne cito oblitus es, cum ipſe vnum idemq; vini genus ſæpiꝰ ebiberes, & tamē alias laudares, alias inſipidū diceres: quoniā fuco tibi perſuaſum eſt, duas vini ſpecies fuiſſe, vnā Genuenſem, alteram noſtratē? Quam adeo mordicus ſententiā ex alienis verbis tenebas, vt eandē ne comperto quidem errore

*Opinio quantimo menti.*

postea desereres. Curialis itaq; noster in hoc potissimũ incumbat, vt prima existimationis suæ fundamenta bene prudenterq; sint posita, valdeq; animaduertat, quantum in contrario discriminis atq; incommodi existat. Istis præcipue periculis illi sunt obnoxij, qui se facetos homines lepidosq; profitẽtur: quiq; suis facetiis & lepore id sunt assecuti, vt libere sine premeditatione, quicquid occurrit, effutire se posse arbitrentur. Facile enim nonnullis in rebus eo prolabuntur, vt incaute illaqueati, cum honeste se expedire nõ possint, rem omnẽ risu conficere putent: quod adeò indecore nonnunquam faciunt, vt summo audientiũ fastidio excluſi, ipsi interim in tota causa frigescere videãtur. Alij, dum se acutos & florentes esse velint, in magna nobilium fœminarũ corona, voces adeò turpes & inhonestas emittunt, quales earũ verecundia nõ possit audire, quantoq; illis magis offundunt pudorẽ verborũ obscœnitate, tanto se curiales meliores esse existimant: nec hic desistunt, quin profuse rideant, valdeq; se venditent, tanquam perfectũ moralis cuiusdã virtutis habitũ consecuti: eaq; omnia huc demum referunt, vt facundi comites & festiui habeantur. Vnicum hoc nomẽ illi nepotes laude dignũ arbitrantur: quod vt quoquo modo obtineãt, à terrimis cõuitiis & vocib. impurissimis nusquã desistunt. Nunc alius alium de gradu præcipitat, nunc lignis & lapidibus se inuicẽ feriunt, nunc pulueres oculis præterẽuntiũ injiciunt, nunc equos homineſq; vel collibus detrudunt, vel in foueas immittunt. Cum v. mensæ discubuerint, ius, condimẽta, dapes, cęteraq; omnia alter in alteri⁹ faciẽ conjicit, istaſq; ineptias profuso risu perinde prosequuntur, q. optimus ille demũ Curialis sit & maxime glorioſus, qui ista petulantia inuerecundius vtatur. Quod si quem forte nacti fuerint, qui in istã illorum insaniam pariter incidere noluerit, eundem protinus sapientis nomine & cõsiliarij ludificantur. Istis tamen

*Scurrarum moues.*

aliud

aliud hominum genus est multo tetrius & dementius. Nonnulli n. sunt, qui de pretio decertare solent, quis eorum magis impuris & fœtidis rebus vescatur, & ab humana natura adeo abhorrentibus, vt sine summo fastidio atque Nausea recensere non liceat. Quæ obsecro, sunt illa, inquit Ludouicus Pius? Respondeat Marchio Phœbus (inquit Fredericus) ille hæc omnia in Galliis sæpenumero vidit, fortasse etiam persensit. Nunquam equidem (inquit Phœbus) id in Galliis fieri perspexi, quod etiam in Italia non fiat. Imò vero quæcunq; apud Italos laudabilia sunt, siue in vestitu, siue epulis, siue armis, siue aliis quibuscunq; rebus ad Aulicum virū spectantibus, eadem à Gallicis hominibus mutuati sunt omnia. Non nego (inquit Fredericus) humanos modestosq; viros apud Gallos reperiri (ipse certe omni laude dignissimos comperi) multi tamen sunt parū ciuiles, & vt plane dicam quod sentio, Italorum credo mores & ingenia magis cū Hispanis quam cum Gallis conuenire. Naturalis n. illa grauitas quæ fere Hispanis propria est, nobiscū melius coincidere, quam viuida illa & prompta agilitas, quam in omni corporis motu gestuq; ostendunt Galli. Neq; id tamē in illis dissonū aut indecorum est. Suam enim dignitatem habet: quippe quæ & natura ipsa adjuuatur, & sine affectatione quacunque vbiuis ostenditur. Istam illorum consuetudinē permulti Itali inuita Minerua imitantur. Nam cum loquuntur, caput ineptissime agitant & concutiunt: cum genu demittere conantur, tibiam male contorquent: cum in publicū prodeunt, adeo gressu veloces sunt, vt ab ipsis cursorib. anteuerti non possint. Hac tamē infelici imitatione peritos se Gallos existimant, eamq; libertatem assecutos, quæ ratio cuiquam solet contingere, nisi homini ab ipsis primis vagitibus in Galliis educato. Eadem omnino ratio est, in diuersarum linguarum cognitione, in quibus si cuiuis noster forte excellat, laude dignus

*Itali Hispanis quam Gallis similiores.*

arbitramur: in Hiſpanica præſertim atq; Gallica, & propter frequentiſſimum illarū nationum cum Italis cōmercium, & quia ſumma earū cum noſtro idiomate conſenſio eſt, & quia vtriuſq; gentis Principes pace belloq; potentiſſimi, aulas ſemper habent fortiſſimis viris pleniſſimas. Qui cum per vniuerſum terrarum orbem longe lateq; peruagentur, neceſſe eſt cum illis ſæpenumero cōuenire & colloqui. Non erit opus hoc in loco ad minora & particularia præcepta deſcēdere. Quid enim attinet edendi, illi, bibendiq; voluptatem immodicam, tanquam Helluoni interdicere? quid turpes & impudicas libidines? quid ruſticas & agreſtes conſuetudines, quæ currū & aratrum ſolent? In quas ſi quis ineiderit, nō modo Aulicū egregium aliquando fore deſperandum eſt, ſed dignus etiam videtur, qui pecudibus armentiſq; præficiatur. Verum vt multum in pauca conferam, Curialē oportet in illis omnibus, quæ ralē virum decent, perfectam quandā ſcientiam retinere: vt & illi facilia videātur, quæ cæteris videntur difficillima, & illum omnes valde ſuſpiciant, ille neminē admiretur. Quod ita tamē intelligi volumus vt in eo inhumana quædā ſuperbia non inſideat: quæ eorum propria eſt, qui alios admirari nō ſōlent, quia melius ipſe ſe putant rem omnem conficere potuiſſe: ſummoq; ſilentio aliorum acta inuoluunt, geſtuq; faſtidio id innuunt, non modo eorum æqualem quemquam omnium non eſſe, ſed nec ſuæ cognitionis myſteria quoquo modo intelligi poſſe. Odioſas iſtas in vita cōſuetudines tanquam ſcopulos Curialis noſter effugiat, aliorū res geſtas ſumma humanitate efferat, & quanquā reliquis omnib. multo ſuperior fuerit, ita tamen eundē de ſe ipſo judicare nemo deprehendat. Sed quoniā in reb. humanis vix aut ne vix quidē tam perfecta ratio eſt, non debet proinde cui aliquid abeſt, de reliquis diffidere aut deſperare de mediis, qui longe deſciſcit à ſupremis. Nam in omni arte, laudabilia

bilia sunt ea quæ sunt optimis proxima & ad summũ quisquis cõtenderit, haud fere fit, quin medium præterierit. Curialis itaq; noster, præter illam armorum virtutẽ, si aliis quoq; in rebus præster & excellat, in his laudi atq; gloriæ modeste inseruiat, tanta moderatione tantoq judicio, facile vt ad se omnium aures atq; oculos alliciat in his agendis, in quibus se putat excellere: neq; illa tame consulto ad ostentationẽ, sed aut fortuito aut oratus facere videatur. Quoties verò aliquid dicendum agendumue meminerit, præmeditatione aliqua (si fieri possit) vtatur: ita tamen vt ex tempore dictũ factumq; appareat. Quod si res aliqua occurrat, in qua vix mediocriter instructꝰ fuerit: in ea diutius nõ insistat, sed ita quasi per transitum per eandẽ discurrat, vt multo plus scire quã eloqui videatur: vti Poetæ nõnulli, qui Philosophiæ mysteria subtiliter nonnunquã explicaturi putantur, cum interim nihil fortasse illoru intelligant. Deniq; si quicquam fuerit in quo parũ versatus sit, in eo nihil profiteatur, nihil laudis aut existimatiõis speret: verum si ita res ferat, inscitiã suã libere & ingenue recognoscat. Tum Calmeta: istuc Nicholettus egregiꝰ Philosophus nunquã fecisset: cui cũ magistratꝰ Patauinus publicã juris civilis lectionẽ obtulisset, etsi leges interpretari magis quam velare non poterat, nunquã tamen illi ab Academicis hominib. persuaderi potuit, vel cedendũ esse cuiquam, vel magistratus de se opinionem quoquo modo imminuendam: imò tantum aberat a Socratis sententia, vt homini Philosopho indecorum putaret, quicquã se nescire confiteri. Non sum equidẽ eo animo (ait Frederic⁹) vt Curialem velim nemine impellente, sua spõte edicere, se aliquid nescire, nisi hoc ab illo tanquã sciente & professo requiratur. Satis enim ineptũ esset, vt se quisquã vel accuset, vel (quod tetrius est) cõdemnet. Vnde nõ sine risu illos recordari soleo, qui illas res vltro commemorare solent, quæ etiamsi

*Cõtendendũ aã summa cum tamẽ mediocria sunt laudabilia.*

*Nicholetti philautia.*

*Socratis modestia.*

abs

abrq; illorū vitio euenerint, tamē ignominiam quaſi vmbram quandā vna adferunt: vt eques quidam nemini veſtrum incognitus, qui quoties interū contra regē Carolum Parmæ geſtarum mentionē incidiſſet; ita è veſtigio ſollicite quomodo ipſe profligat⁹ eſſet, oſtendit, vtilij⁹ itineris nihil aliud recordari crederetur. Deinde cum de viris quibuſdā egregiis meminerat, qui non ita pridē haſtis honorificè concurrerunt, illud ſemper inculcabat, quomodo de equo dejectus erat: nec hic deſtitit, quin curioſe demonſtraret, quoties vna nocte baculo vapularit, dum mulierculā convenire feſtinaret. Futiles iſtas & inanes ſine ratione orationes Curialē noſtrū aucupari nolumus. Si detur occaſio de re ignota diſſerendi, eandē prudentia declinet. Si neceſſitas aliqua ad dicendū vrgeat, fateatur potius verecunde imperitiā, quā incurrat temeritatis periculum arq; notam. Vnde ab illis malis immunis erit, quib. hodie multi ſūt obnoxij, qui inſania neſcio qua exagitati, id ſemper in ſe ſuſcipiunt ſcire, quod neſciunt: ea v. poſtponunt, in quibus aliquo numero putantur eſſe. De Muſico quodā perito jam nunc mihi venit in mentē, qui omiſſis muſicis totū ſe carminib⁹ cōponendis dicauit, in eoq; adeo mirifice ſibi placuit, vt dum omnib. ludibrio fieret, muſicæ quoq; penitus obliuiſceretur. Idem de pictore eximio fertur, qui illa tā egregia arte ſpreta & depoſita, infelicē Philoſophiæ nāuauit operam: in qua adeo ſibi nouas & monſtruoſas concluſiōes effinxit, vt eas toto pingendi artificio exprimere non potuerit. Iſtius generis alij ſunt infiniti. Quidā tamen cum in vno aliquo ſe præſtare animadvertant, aliud plane profitentur: in quo fortaſſe ſunt etiā aliqui: & cum ita res ceciderit, vt id oſtendant, in quo maxime excellunt, id adeo exacte & gnauiter faciunt, vt aſtātes cū eos viderint tam perfecte id agere, quod nuſquā profitentur, minime dubitēt, quin in eo quod ex profeſſo ſuſcipiunt, ſint longe perfectiſſimi.

Iſtue

Illue herele artificium, si cum recto judicio sit conjunctum, sapienti displicere non potest. Tum Gaspar. Pallauicinus: ista mihi non ars, sed versutia potius videtur, neq; hominis probi existimo aliquando dissimulare. Imo v. (inquit Fredericus) nō tam laus istæc, quam illi⁹ quod agitur ornamentū aliquod putandū est. Etsi fallacia esset, minimè tamē in hoc genere vituperanda. Nisi forte eam fallaciā reprehensione dignā dixeris, cū quis in arte gladiatoria periti⁹ ludens, aduersariū sæpius feriendo circumueniat: quod artis potius quam fraudis est. Quod si gemmā quis habeat quæ priusquā annulo infixa sit, perpulchra existimetur: eadem ipsa, cum postea aurificis opera, pulchrior appareat, nū non oculis fallacias struxisse gemmariū dices? Et eundē tamen laudandum putabis, quia recta ratione fretus, nunc ebori, nunc argento, nunc etiam lapidib. splendorē atq; ornamentū addit, dum eisdem aurum artificiose circumducit. Istam itaq; artem aut etiam (si ita vultis) fallaciā minime reprehendendam ducimus. Non erit itaq; à ratione alienū, si is, qui se in re aliqua præstare cognouit, justas occasiones inuestiget, quibus eandē explicet & ostendat, cæteraq; omnia honeste occultet, si quæ min⁹ laudanda existimentur. Ferdinandi prudentia.

Reuocate in memoriam peracutū illud Regis Ferdinandi, qui cum sibi conscius esset, quam pulchrā corporis fabricam natura illi tribuisset, nō tam sollicite rationes iniuit, quā occasiōes poti⁹ arripuit, togæ aut tunicæ sæpenumero exuendæ, chirothecis v. nusquā propterea carere voluit, quia manus parum formosas habuit. Quam illius tam diligentē cautionem pauci animaduerterunt. Illud etiam (nisi male memini) iam pridem legi, Iulium illum Cæsarē laurea de industria capite redimitū fuisse, facilius caluitiē vt occultaret. Verū istis in reb. prudēter versari oportet, ne quando rationis limitibus egrediamur. Ita enim nōnunquam fieri solet, vt dum vnum errorem vitare conemur, in

alium

alium incidamus: & dum laudi studiosius seruire putemus, in ignominiã cæci prolabamur. Quocirca ea demũ maxime secura viuendi ratio est omni in re mediocritatẽ conseruare, in qua firmissimũ ineſt præsidiũ contra inuidiã, quam sapientissim⁹ quisq; quantũ poterit, declinabit. Quod cum ita sit, diligẽter noster aulicus animaduertat, ne mendacis aut hominis vani nomine designetur: quod etiam illis aliquando contigit, qui tale nihil sunt commeriti. In sermone igitur & cõgressu accurate viderit, ne probabilitatis vestigia relinquat. Imò illi nonnunquã veritati consulto parcat, quæ aliquam vanitatis effigiem habet: nec eorum imprudentiã imiterur, qui semper mira narrant, atq; prodigiosa: tantamq; sibiipsis authoritatẽ vendicant, vt omnia etiã incredibilia affirmantes, cõtinuò credi velint. Alij in ipsius amicitiæ initio, & quasi vestibulo nouitio amiculo iuramentis confirmant, neminẽ se omnium charioré habere, vitã sese fortunasq; omnes illius causa paratos profundere, multaq; præter fidem alia. Cum v. ab eodẽ recessuri sint, lachrymas fingunt & mœrorẽ metiuntur sic, quasi vocem emittere non possent. Hi dum nimiũ amãtes esse volunt, mendaces atq; assentatores fiunt. Nimis esset longum, ea omnia cõmemorare, quæ in vitæ nostræ cõsuetudine vitiosa existũt. Curiali itaq; nostro satis erit, si præter ea, quæ jam dicta sunt, illam orationis suppellectilẽ habeat, nunquã vt illi desit quod dicat, quodq; sit eorum quibuscum versatur aurib. accommodatum, quos nunc facetiarũ suauitate, nunc sententiarũ subtilitate adeò deliniet, vt & risum moueat sine scurrilitate, & eosdem delectet sine satietate. Iam tandẽ Aemiliam lectissimã spero mihi veniã daturam, si hic orationi finẽ imposuero: quam si mihi forte denegauerit, ego meis me verbis turpiter plane dabo, non illũ me esse curialem de quo sermonẽ instituerim: non tantũ enim exculta oratio (quã in me nec esse, nec vnquã fuisse agnosco)

*Ficta cum Sanitate amicitia.*

sed

sed istæc etiã, qualiscunq; est, hoc ipso temporis articulo deficit. Interposuit hic se Præfectus: Et nõ patiar (inquit) istum errorẽ cuiusquam animo alĩ insidere, sc. non esse te egregiũ Curialem. Nam vt vere dicam quod sentio, istuc tantũ silendi desiderium, nõ aliqua sermonis inopia, sed exiguo pori laboris fastidio profluxit. In tanto igitur nobilium virorũ atq; fœminarũ cõcursu, & in causa tam excelleti, ne quicquam defuisse videatur, noli istuc tam gratum opus subterfugere, quin nos obsecro instituas, quomodo iis facetiis vti oporteat, quarũ non ita pridẽ cõmemineris. Illa siquidẽ ars, quæ istam, vrbanitatẽ suo ambitu complectitur, magnum habere momentũ in omni aulico videtur. Facetiæ profecto atq; apophthegmata (vir illustrissime) naturæ potius quã artis, videri mihi solẽt. *Hetrusci & Hispani facetissimi* ad eaq; ipsa, aliæ gentes sunt aliis longe propẽsiores: vtpote Hetrusci, quorũ ingenij acies est longe subtilissima. Idẽ de Hispanis licebit affirmare. Verum & in ista, & aliis nonnullis regionib. permulti reperiuntur, qui dum nimiũ loquaces esse cõtendunt, mediocritatẽ deserunt, prorsusq; inepti & insulsi fiunt: nec enim hominũ, nec temporũ, nec locorũ, nec grauitatis, nec modestiæ, deniq; nec sui ipsius rationẽ habent. Tum Præfectus: In sese & lepore artẽ esse vllã negas, & tamen cum eos reprehendas, qui nulli neq; grauitatis, neq; modestiæ, neq; tẽporis, neq; personæ decorum obseruant, tantundem mihi videris concedere, ac si disciplinam aliquã eisdem attribuisses. Adeo hercle sunt ista vniuersalia & peruagata (inquit Fredericus) vt de quacunq; prærerea re affirmari possint. Verum facetiarũ proinde artẽ non esse cõfirmaui, quia duob. generibus continẽtur omnes: vnũ genus in oratione continua positũ est. Nonnulli enim tanta dignitate, tantaque voluptate rem explicant, ea gestus & vocis consonantia, vt non solũ ante oculos positam videre, sed manibus etiã contrectare videamur: quod festiuitatem aut vrbanitatẽ licet appellare. Alterum genus

breue & conciſum in verborũ tantummodo acumine & ſubtilitate conſiſtit: cuius vſus apud nos frequentiſſimus eſt, in quo nihil dignitatis apparet, niſi verbi aculeus, & (vt ita dicam) morſus aliquis accedat. Hæc apud antiquos dicta; hodie argutiæ, aut ſcommata occultiora nominantur. In ſuperiori itaq; jocandi genere, quod in jucunda quadã & feſtiua narratione conſiſtit, nihil opus eſt arte: quoniã ipſa natura orationis ſuauitatẽ hominib. ingenerãt, vultus preterea, geſtus, voces & vocabula ſic conueniẽtia indidit, vt quicquid velint, nullo negotio effingere poſſint. In altero verò argutiarum genere quid profuerit; artem aliquã adhibere, cũ verbi aculeo antea confingendus ſit aduerſarius, quam tale aliquid cogitaſſe videamur? Quod niſi fiat, frigide & incõcinne nobis cecidiſſe putabitur. Et proinde totũ illud naturæ atq; ingenio ſoleo attribuere. Interpoſuit hic ſe Petr. Bembus: Et non negat (inquit) Præfectus, quod dicis, primas eſſe in eo naturæ atq; ingenij partes, præſertim in re aliqua excogitanda & inuenienda. Verum in vniuſcuiuſq; animo quantumcunq; perſpicax & acutus fuerit, multa ſimul occurrunt, quæ & bona ſunt, & mala, in aliis plura, in aliis pauciora: eadẽ recte diſponere, limare, corrigere, judicij atq; artis eſt, quæ meliora ſeligere, deteriora verò refutare cõſueuerunt. Illis itaq; intermiſſis, quæ ingenij ſunt atque acuminis, id tantum quod in arte conſiſtit explicato, earum ſcil. facetiarum, quæ riſum commouere, quæq; homini Curiali atq; libero non indigna exiſtimantur. Iiſdẽ etiam quo tempore, qua ratione vti liceat: illud n. eſt quod Præfectus videtur efflagitare. Subridens hic Fredericus: Nemo (inquit) veſtrũ eſt, cui ego omni in re facillime non conceſſerim: preſertim in iſto jocãdi genere, niſi forte ineptiæ (quæ riſum magis nonnunquã mouent, quam argutiæ) pro facetiis ſumantur. Deinde in Ludouicum Comitẽ, & Bernardum Bibienam conuerſus: Iſti (inquit) iſtius

*Cicero dicta, Eraſmus dicteria appellat.*

istius facultatis magistri sunt: in ea si mihi quicquam dicendum fuerit, ab illis prius ediscendum erit. Tum Comes: Eam profecto artem exercere mihi videris, in qua adeo te rudē & imperitum dissimulas: dum me & Bibienam istis omnib. deridendos proponas, cum illi non nesciant, id in te cumulatū esse, quod tu in nobis per ludibrium laudasti. Quocirca si istius negotij pertæsū fuerit, præstat serenissime Ducissam aperte exorare, vt te isto dicendi onere in crastinum subleuet, quam tecte & simulate munus impositū subterfugere. Cepit respondere Fredericus: verum illi orationē interrupit Aemilia. Et fas non est (ait) in vestris laudib. id quod restat temporis insumi, satis jampridem peruagata est fama vestra. Sed quoniam id mihi hesterna nocte te ipsum Ludouice objeciisse memini, nō esse ex æquo distributos labores istos: non iniquum fuerit, istā de facetiis disserendi prouinciā Bernardo Bibienæ delegare. Quem in isto cōtinuo dicendi genere non solū florentem & luculentum cognouimus, sed de eodem etiā scripturum se aliquādo promisisse meminimus. In eo nobis facili⁹ satisfaciet, quoniam idem diu multumq; animo euoluerit. Cum verò de sale & facetiis abunde dictū cuiq; videbitur, Fredericus ea vicissim omnia prosequetur, quæ de viro curiali dicēda restiterint. Tum Fred. Nescio equidē lectissima, quid reliquū esse. possit: Et proinde peregrinantiū more fessus & fatigatus, media luce in Bernardi sermone, ipsoq; adeò verborū illius sonitu cōquiescam tanquam sub arboris alicuiꝰ vmbraculo, fontis cuiuspiā amœnitate & leui murmure delectatus. Postea v. cum me recollegero, aliud fortasse quippiam mihi in mentem venire poterit. Ridens hic Bernard. Si tibi (inquit) arboris nostræ tā exilis supremas partes ostēdero, facile senties ex aridis illius foliis, quā nihil vmbræ sperari poterit. Quod v. de fonticuli præterlabētis suauitate tibi polliceris, id fortasse tibi juxta mecū poterit contingere.

Non enim ita pridem est, ex quo in fontem precipitatus sum, non ab aliquo deorum, de quibus fabulatur antiquitas, sed à fratre Marriano, cuius tanta vis erat, vt ex eo tempore, aquæ copia nusquã mihi defuerit. Ridebant promiscue omnes, quoniã festiua res istæc Romæ gesta, nemini horum incognita, præsentia Galeotti Cardinalis S. Petri ad vincula multo celebrior est effecta. Postquam satis esset arrisum noli (inquit Aemil.) falsè jocãdo risum nobis amplius cõmouere, quin potiꝰ nos instituc, quo pacto id fieri debeat, vnde ducantur facetiæ: deniq; ea omnia nobis ante oculos proponito, quæ tali in causa præcipienda putaueris. Et ne tempus se velocius subducat, jam nunc incipito. Vereor mehercule (inquit Bibiena) ne sero incipiam: neue de rebus jucundissimis instituta oratio, proinde fiat injucunda, quoniam sera est, præstat fortasse in alium diem differre. Respondebant confertim multi, nondum instare illam horam, quæ istiusmodi disputationibus finem imponere consueuit.

Tum Bibiena in Duciſſam Aemiliamq; cõuersus: Non recusabo (inquit) istuc quicquid est laboris, etsi eorũ persæpe audaciam admirari soleam, qui astante Iacobo Sansecundo fidibus canere non reformidant. Horum exemplo id à me cõmittendum non erat, vt dum viri doctiores adessent, ego de toto jocandi artificio disserere cõfidentius in me susciperem. Tamen ne quisquam istorũ nobilium à me videatur didicisse onus post hac impositũ renuere, dicam quam potero breuissime, quicquid occurrerit de illis rebus, quæ risum cõmouere solẽt: qui adeo nobis propriꝰ & naturalis videtur, vt cum hominẽ describendo velimus exprimere, animal cõfestim risibile nuncupemus. Risus enim solius hominis est, qui quotiescunq; nobis eruperit, voluptatis cuiusdã recõditæ animiq; tranquilli & quieti argumentum est. Cui ne quando diutius justa relaxatio deesset, ludi, spectacula & alia eius generis infini-

Infinita antiquit⁹ excogitata videntur. Et quoniã eos permagni solemus facere, qui istis voluptatibus animos nostros deliniunt antiquissimi Romanorũ atq; Athenienſium reges, multique alij, facilius vt populi beneuolentiam conciliarent, theatra ingentia, aliaq; ædificia publica extruxerunt, in quibus nunc equis concurrebant, nunc currib. dimicabant, nunc pedibus congrediebãtur, nunc bellua inusitatas ostentabant, nunc comedias tragœdiasq; egerunt: denique nec choreis mimicis, nec vlli præterea voluptati peperterunt, vt eorũ oculos mentesq; delectatione aliqua afficerent. Neq; vero adeo fuerunt morosi & difficiles, grauissimi illi⁹ ætatis philosophi, vt istas voluptates refugerent. quin istis potiꝰ epulis & spectaculis religatos suauissima contemplatione animos paululum relaxarunt. Eadem in omni hominũ conditione voluntas inest. Non tantum enim agricolæ atq; nautæ reliquiq; qui duris asperisque exercitiis sunt deuoti: sed homines etiam religiosi, captiui, & custodia inclusi, qui mortem nunquam non expectant, solatiũ tamen aliquod tanquam malorum omnium medicinam exoptant. Quocirca illud omne, quod risum mouet, animum etiam recreat, nec illarum calamitatum meminisse patitur, quibus vita nostra omni ex parte est refertissima. Risus igitur (vti videtis) vnicuiq; gratissimus est, quem vt quisque rectissima ratione atque tempore concitare potest, ita eundem laude dignissimum arbitramur. Quid verò risus sit, quo loco consistat, qua ratione venas, oculos, os, latera occupet, vnde tanta illius vis, vt ventriculum potius diuidere & perfringere, quam continere posse videatur, Democrito alicui discutiendum relinquam, qui si ad polliceri velit, minime tamen fortasse præstiterit. Locus autem & quasi fons ipse ridiculi in turpitudine & deformitate quadã positus videtur. Ea enim ridentur vel sola vel maximè, quæ turpitudinem aliquam designant; non

*Theatrorum origo.*

*Ciceronis imitatio.*

turpiter: alia ratione haud facile erit exprimere. Veri si altius tecũ egeris, facilime deprehẽdes in eo, quod videtur esse semper aliquid, quod bene nõ conueniat, nec valde tame dissonum aut absurdũ esse. Quis itaq; modus in risu concitando curiali nostro adhibendus erit, & quatenus id illi liceat, quantum exilis scientia nostra patietur, ostendam. Semper enim ridicula non decent: præsertim si in temulentorũ, debacchantium ganeonum & scurrarũ more detur occasio. Et quanquam istis homunculis carere Aula non possit, non sunt perinde tamen Aulici: suum quemq; nomen, sua existimatio, suum præmium manet. In illis verò jocis in quibus aculeus aliquis inest, diligens etiam cautio adhibenda est, nimirũ qui sit, quem taxare volumus; Nam nec viri calamitosi miseria deridẽda est, nec impuri hominis flagitiũ ridiculis satis pẽsitatur, sed alio quodã supplicij genere plectendum videtur. Miseros verò verborũ acerbitati vulnerari humanus animus non patitur, nisi in summa infelicitate procaces & superbi fuerint. Parcẽdum est etiã illis, qui vel charitate aliqua, vel gratia, vel potentia ciuium præstant: quos si temere perculeris, periculum est, ne immortales inimicitiæ consequantur. Cum illis itaq; hominibus jocari cõuenit, qui nec adeo infortunati sunt, vt miserandi videãtur, nec adeo scelerati, vt hac luce indigni existimentur, nec adeo potẽtes & gratiosi, vt ex parua frontis nubecula tẽpestas aliquãdo maxima oriatur. Neq; verò est adeo jejunum istud jocandi genus, vt ex iisdẽ locis grauiores sententiæ in laudẽ & virtuperium non deducãtur, iisdem etiã sæpenumero verbis. Cum enim virum liberalẽ, qui suas cũ aliis facultates communicet, significamus, eum nihil habere proprij aut suum dicimus. Idẽ de eo cum cõuitio dici potest, qui nihil habet, nisi id, quod rapinis & injuriis cõgesserit. Mulierem etiam non parui pretij dicimus eam, quam virtutis & sapientiæ nomine laudamus: idem in illam con-

*Potentib⁹, charis, miserisq; in jocãdo parcendum.*

contumelioſe retorquemus, quæ niſi magnis ſumptibus ali nō poteſt. Sed in iſtis fere fit, vt iidē loci ſepius nobis quam eadē vocabula inſeruiant. Id quod nuper forte fortuna tribus nobilib. ac vnæ dominæ, dū officio diuino intereſſent, vſuvenit. Horū vnus cum eam valde amaret, & proinde adeò non eſſet rei diuinæ intentus, quin ſæpiꝰ in eandē oculos conjiceret, inopem quendam caſu animaduertit eleemoſynam ab eadem ſerio emendicantē, & dum multus ſuſpiriis, lamentis, precibuſque obſtreperet, illa nec quicquam dat, nec prorſus negat, nedum capite innuit, vt diſcederet, ſed quaſi aliud moliretur, in acerrima cogitatione defixa eſt. Quod cum ille perſpiceret, qui illius amore deſla, grauit, videte (inquit) quid mihi de iſthac mulierecula ſperandum ſit, cuiꝰ ea immanitas eſt, vt nec miſerum inedia prope enectum iuuare velit, nec eidē abeundi veniam cōcedere: adeo illa aliorū miſeriis delectatur, præſertim illorum, qui eam fruſtra rogant atque implorant. Reſpondebat è duobus alter: Non eſt hercle immanitas, ſed in eo tacite tibi videtur ſignificare, neminem illi placere poſſe, qui cum contentione rogauerit. Imò verò (ait tertius) ſatis hoc argumenti eſt, orari illā velle, etiamſi exorari nolit. Videte obſecro, quomodo ex iſta tam exigua cauſa (ſcil. quia mendicum nec ſubleuauit, nec repulit) primo conuitium, deinde modeſtiæ laus, poſtremo argute dictum, aut potius ſalis acerbitas emerſerit. Redeamus igitur aliquando tandē ad eas facetias, quas pertractandas ſuſcepimus, quæ mea ſentētia tribus generib. continentur: etſi à Frederico in duo tantūmodo ſunt diſtributæ. Prima eſt vrbana quædā & feſtiua narratio, quæ in vnius rei effectu poſita eſt. Secunda ſubitum eſt & argutum aliquod inuentum aut reſponſum in vna tantum voce cōſiſtens. Tertia (nam eam libet apponere) eſt jocoſa quædā demonſtratio, in qua ambages nonnunquam longæ, dicta breuia & conciſa, nonnullæ

*Triajocandi genera.*

etiam descriptiones & actiões interueniunt. Ea quam narrationē festiuam & continuatā appellaui, fabulæ mihi psimiles videri solet, vt est illud Antonij Angelli Mantuani: qui cum Romæ esset, moriente Pontifice Alexādro sexto, & Pio tertio in eius locū inaugurato, in eum sermone incidit vnà cum familiaribus, vt de alterius morte multa, de alterius in Papatu electione nōnihil diceret. In quibus cum aliquantulū versatus esset, audite (inquit subito) viri optimi: Incipiebant Catulli temporibus portæ absq; linguis eloqui, & sine auribus audire, eaq; ratiōe adulteria omnia prodiderūt. Et quanquā homines multo nunc sunt obscuriores, quam illa ferebat ætas, portæ tamen fortassis (præsertim in hac nostra Roma) antiquissimis marmoribus extructæ, pristinā illam virtutē retinent: neq; dubito, quin omnē nobis scrupulum (si forte sciscemur) ex animo ejiciant. Anxij omnes & sollicite constiterunt, non sine aliqua admiratione, quorsum ista tenderet oratio. Antonius interim sursum deorsum obambulans, ex improuiso oculos in vnius portæ fastigium eleuat, cumq; paulū respirasset, digito sociis cōmonstrat, nomen Alexandri inscriptū, cuiusq; literas V&I, quoniā (vt nostis) illius nomini sextus fuerat. Quod cum illi etiam intuerentur, ô rem admirandam (ait) porta isthæc affirmat Alexandrum, Papam vi factum; quasi vi magis potuerit, quam iure aut ratiōe. Videamus obsecrō, num de nouo isto Pontifice quicquam intelligere possimus, subitoq; in alteram portā conuersus, notauit istas literas. N.P.P.V. id est, Nicolaus Papa quintus. Quod ille aliter interpretatus, ô dij boni (inquit) videte omen triste. Isthæc porta dicit: Nihil Papa valet. Animaduertite quæso istuc iocandi genus quam facetū sit & elegans, quamq; aulico viro aptum & conueniens, siue verum sit, quod narret, siue fictitium. Cuiq, enim in istis facetijs licebit, quoad volet, fingere, ipsamq; veritatem nonnunquam mendaciun-

culis

culis aspergere, vt id, quod agitur, oratione melius illustretur. Ipsius verò rei splendor atque dignitas in hoc potissimũ consistit, non solũ in verbis facilitatem sine contentione adhibere, sed gestũ etiam adeo conuenientem, vt qui audiant, rem non jam narrari, sed fieri putent in eaq; ipsa actione tanta nonnunquam vis est, vt rem alioqui minime festiuam aut suauem, longe faciat jucundissimam. Et quanquã in illis narratiunculis viua vox gestusq; moderatio, vt plurimum requiritur, scriptis tamen nonnunquam haud inconcinne exprimuntur. Quis nostrum non arriserit, quoties Iohannem Boccatium legerit, Octauo *Giornata* centum fabularum facete describentem, quomodo sacerdos ille Varlonganus omnes neruos intendebat, vt *Kirie, Sanctus q;* curiose cantaret, cum Suauium Bellocoloratam in templo conspexisset. Illæ etiam illius de Calandrino historiolæ facetissimæ sunt & aliæ innumerabiles. Quibus illa non sunt valde dissimilia, cum vt risum moueamus, mores alicui? atq; consuetudines imitemur: quo in genere neminem vnquam vidi, qui cum Roberto Barrensi nostro cõferri posset. Non parui momenti laus isthæc esset (ait Barrensis) si vera esset: optimos enim mihi ponerem imitãdos, quib. si proxime possem accedere, ne ego me felicem existimarem. Sed vereor mehercule, ne sola ridicula imitari possim, quæ tute modo in vitio esse posita confirmasti. In vitio certe fateor (inquit Bibiena) minime tamen vitiose. Neq; v. ista de qua loquimur imitatio, sine ingenio & acumine potest esse. Nam præter vocis gestusq; consonantiã positasq; ante oculos audientiũ actiões, vultus, mores q; illius de quo agitur, prudẽtia etiã singularis accedere debet, nihil vt loco, nihil tempori, nihil hominib. incongruũ. effutiãt. In quæ vitia cũ scurriles istos hõunculos sẽper incurrere videam, te verò prudenter & religiose eadẽ declinare: adducor facile vt credam, in reliquis etiã te esse peritissimum.

*Vultuosus aut histrio non erit curialis.*

Nam nec generosum virumq; nobilē, risu lacrymisq; imitādis vultuosū esse decet, nec voces sonosq; inanes emittere, secumque luctari & contendere, quod facit Bertus, aut vestes rusticas induere, vt Straſcinus, aliaq; nonnulla, quæ illos fortasse decent, quoniam eadem profitentur. Nobis v. si quando isthæc occurrant, clanculum & q. furtim attingenda sunt, dignitas semper retinenda, nō obscœnitas verborum, non actionū turpitudo, nō vultus distortus, non gest⁹ indecorus, quoquo modo affectandus: vt quisquis nos audiat, aut intuetur, multo plura mente atq; animo cōcipiat, quam id quod à nobis exprimitur, ex eoq; cum voluptate risum cōmunicet. In ista tā decora imitatione videndū diligenter, ne scurrilis nimiū jocus exeat, præsertim in vult⁹ aut corporis aliqua deformitate reprehēdenda. Nam etsi latissime pateant ridicula, quæ à corporis oriq; prauitate desumuntur, in eadē tamen acerbius inuehi, nō scurrarū tantūmodo aut mimorū videtur, sed inimici etiā infestissimi. Obseruandum itaq; diligenter (etiāsi difficile videatur) quod à nostro Barrensi solet fieri: qui etiamsi omnes imitetur, omneſq; ea in re vrat, in qua illi peccare solent, nec quisquā tamen illi succenseat, nec quamobrē succenseat, facile inueniri potest. Exemplis hac in re plurib. vti nō est opus, cum plurima in illo quotidie perspiciamus. Risus præterea non indecore commouetur (id quod festiuæ quoq; narrationis est) cū vel aliorū vitia cōmemorentur, nec omnino insāda, nec majori supplicio digna: vel ineptiæ, ceu omnino simplices, ceu aliquātulum acerbæ, vel curiosum aliquid & affectatū, vel ingenue fictum & monstrosum mendacium. Cuius generis est illud à Cæsare nostro non ita pridem cōmemoratum: qui cum vnà nuper cum istius vrbis Præfecto fuisset, venit forte an eum rusticus quidam, & postquā sepius ingemuisset, asinā sibi furto ablatā ait, quod etsi eius ineptiæ videbatur importunum, multo tamē ideo intole-

tolerabilius, quod adeo formosus & pulcher asellus esset, vt sarcina onustus, ipsum Tullium præ se ferre videretur. Quidam etiam è nostris homuncio, cum caprarum gregi iret obuiam, & ante reliquas caprum magnitudine insignē conspiceret, subito cōstitit, & q. rei nouitate perculsus, eccum hunc caprum (inquit) D. Paulo quam simillimum. De alio quoq; istis non longe abimili Gaspar⁹ meminisse solet, qui cum Herculi Ferrariæ Duci jam diu inseruisset, duos idē filios obtulit, vt illius asellæ essent: ita tamen res cecidit, vt horū vterq; ante moreretur, quam in illius familiam venirēt. Cuius rei cum Ducem pater certiorē faceret, eorū orbitatē vnà cum eo amice defleuit, eoq; magis, quoniā illi (cum eos semel vidisset) ingenui & formosi viderentur. Imò (ait pater) nihil vidit amplitudo vestra, multo nuper pulciores sunt effecti, cumq; simul essent, tanquā bini accipitres cantabant. Vix aliquot dies elapsi sunt, ex quo doctorū nostrorū vnus miserū quendā flagellis in foro cæsum conspiciens, misereri illi⁹ cepit, quod adeo ille multas & sanguinarias plagas acciperet, & tamen ita tarde lenteq; incederet, q. voluptatis causa deambulasset: quocirca hortatus est, vt eò magis festinaret, quo citius tantis cruciatib. liberaretur. Adhæc respirans paulū misell⁹ iste cōstitit, & cum paulisper q. attonit⁹ cōticuisset, subito in hæc verba respōdit: Tu cū itidē per plateas virgis cedaris, vade vt voles: ego nunc vt mihi videbitur ibo. Nondum vobis (audeo dicere) è memoria excidit crassum illud Abbatis cuiusdā duci Frederico responsum. Qui cum insignis cuiusdā palatij fundamēta locaret, valde sollicitus videbatur, de rudere reliquisq; projectitiis quid fieret, cui Abbas in promtu esse dixit qd ageret: puteum (ait) magnū effodias, & in illū hæc omnia injicias. Subridēs leuiter Fredericus, quid igitur (inquit) de eo fiet, quod è puteo ejicitur? Adeo magnus fiat, inquit Abbas, vt vtrunq; cōtineat. Et quamuis sæpius

*Locus ipse stultitia ridiculum.*

dux inculcaret, majorẽ fore terræ molem, quo major cauerna esset, vnde erueretur, persuadere tamen illi non potuit, quin tantæ magnitudinis esse posset, vt vtrunq; contineret: adeò ille frustra sagaci, aut potius surdo Abbati canebat. Tum Pet. Bembus: Et quorsum obsecro de illo imperatore vestro Florentino tantum silentium? Qui cum intra Castellinam à Calabriæ duce obsideretur, & spicula quædam venenata è campo in vrbem emissa reperisset, summa cum indignitate Duci scripsit, ne tanta crudelitate bellũ gereret, quod si faceret, se quoq; plumbeas tormentorum pilas velle inficere, & tum deniq; videret, cui res deterius cederet. Arrisit leuiter Bibiena, & nisi taceas (inquit) aperte pronunciabo, quid ipse oculatus & auritus testis de Venetianis vestris cognoui: nec parua (mihi crede) dicam, quoniã illi magni viri sunt, præsertim quoties equites periti velint fieri. Noli dicere (ait Bembus:) nam ego duas alias historiolas, quas de Florentinis audiui, in tuam gratiam celabo. Imo v. de Senensibus (inquit Bibiena) narrantur ista: nam in eo senatu, cum literæ non ita pridem legerentur, nec vnum idemque nomen sæpius iteraretur, pro viri cuiusdam nomine, *Prælibato*, i.e. prædictus recitabatur: quod cum vnus ex Senatoribus audiuisset, respirate quæso (inquit) & in isto mihi satisfacite, *Prælibato* ille, num est amicus Reipublicæ? Subrisit paulum hic Bembus: Et ego (inquit) de Florentinis, non de Senensibus loquor. Imò verò libere in eo persiste (inquit Aemilia) nec vereare vicissim dicere. Tum Bembus: Florentini cum nuper bellum cum Pisanis gererent, omnesq; illorum opes prope exhaustas animaduerterẽt, diu multumq; deliberarunt, qua ratiõe huic malo occurrerent: tandem vnus reliquis ætate prouectior: Excogitaui (ait) geminum huic malo remedium. Nulla (vt scitis) adeo sunt nobis in promptu vectigalia, quam ea, quæ apud istius ciuitatis portas pensitantur, quas cum tantum

*Prædictus Italice Prælibato.*

nunc

Nunc undecim habeamus, totidē pręterea alias quam citissime ædificemus: ita nobis thesaurus duplo augebitur. Deinde in *Pistoia* & *Prato* ærarias faciamus, in quibus dies noctesq; nummi fiant, atque ij omnino ducati aurei. Hanc ego rationem maxime expeditam existimo: Ridebāt omnes grandæui ciuis tam sub tile consiliū. Deinde Aemilia; Tune (ait) Bibiena, Florentinos tuos adeò a Bembo illudi sine vindicta pateris? Arrisit Bibiena. Et illi (inquit) vnam hanc noxam dimitto: nam etsi mihi stomachū commouerit, cum Florentinis istam notam inureret, tamē in eo valde mihi placuit, quod tuæ voluntati sit obtemperatus. Quod ego quoq; facerem, si ita necesse esset. Tum Cæsar: Rem non minus lepidā, sed satis tamen crassam & leuidensem à Brescia no quodam audiui: qui cum Venetiis in Ascensionis celebritate esset, sodalibus quibusdā suis me præsente ostendit, quanta illic & quā insignia conspexisset, quos illic mercatores, quæ aromata, quantū panni, quid serici aurei atq; argentei, tū quanto apparatu senatum in Triremi vidisset, sponialia cum Mari contrahentē, tanta hominū nobiliū corona, tanta fœminarū multitudine, tā inaudita musicæ suauitate, vt jam illa nō ciuitas sed cœlū videretur. Rogatus igitur quo musices genere potissimum delectaretur, omnes (inquit) valde placebant, præcipue vero tuba quædam noua & inusitata, qua dum buccinator luderet, adeò sæpe eandē in imam gulā detrusit, vt nihil magis admirer, quā eum non esse suffocatū. Ridēbant omnes vehementer delirantis insciti ā, qui eam tubæ partem quæ in se ipsam interiō replicata est, in gulā perflantis detrusā putauit. Pergit deinde Bibiena: Affectationes etiam illæ quæ mediocritatē non excedunt, fastidium nobis quoddam ingenerant: cum verò in extremo curiosi sint, valde ridentur. Vt in hominibus illis, quī de sua virtute, de antiquissima familia de nobilitate loquūtur: in mulierib. etiam quibusdā, quæ formam pro-

*Signioriā in Burentoro Italiā appellant.*

propriam, ingenium, vitam deniq; delicatā laudant, Sedebat non ita pridē fœmina quædam nobilis inter epulas, vultu adeo trifti ac demisso, vt omnes illi⁹ tristitiā admirarentur. Rogata cur id faceret, respondit, veniſſe illi in animum rem tanti momenti, vt quoties (ait) illi⁹ meminerim, non poſſum nō ſæpius ingemiſcere. Nimirum cum omnia corpora mortalia coram tribunali ſummi Iudicis nuda in extremo die peruentura ſint, vix poſſum dicere, quam mihi doleat, meum quoq; corpuſculum, nudū jam tum futurum. Huiuſmodi affectiones, cum nullū in ſe modum habeant, ridiculæ potius quam faſtidioſæ fiunt. Illa v. jocoſa mēdacia quæ à re propoſita minime aliena ſunt, quiuis intelligit, quā facile riſum cōcitent. Et ille noſter familiaris, qui iſtis nos fabulis nunquam carere patitur, vix poteſt dici, quā mihi lepidum & facetum intra paucos hos dies commemorauerit. Quantumcunq; lepidum & feſtiuū fuerit (inquit Iulianus) nec acutius nec excellentius eſſe poteſt, quam quod Hetruſcus quidā noſtras, idemq; mercator Lucanus mihi quoq; nuper recitauit. Id tu nobis (inquit Duciſſa) viciſſim recitato. Tum Iulianus: Mercator iſte cum in Polonia ageret, pelles quaſdam Zibellinas emere conſtituit, vt ex iis vberior illi in Italia nundinatio eſſet. Et quoniā in Moſcouiam, vbi illæ venales eſſent, libere tranſire non poſſet (quoniam jam inter Regem Polonienſem & Ducem Moſcouitam bellum infeſtiſſimis animis gerebatur) ita egit cum quibuſdam vtriuſq; regionis ciuibus, vt mercatores Moſcouitæ ſuas pelliculas ad Poloniæ limites adducerent, tutius vtriq; vt illic contraherent. Lucanus igitur Polonienſibus quibuſdam comitatus, cum eo verſum contenderet, tandem ad Boriſthenis fluuij ripā peruenit, eumq; frigore adeo gelatū reperit, vt marmore duriorē putaret. In altera fluminis parte Moſcouitas conſpexit, qui exulceratos Polonienſiū animos ſuſpicati, propius accedere non aude-

*Facetum mendacium.*

audebant. Deinde cum ex indiciis quibusdã vtrinq; cogniti essent, cœperunt primum eloqui, & quantum poterant voce contendere Moscouitæ, quanti pelles venderent indicantes. Verum tanta & tam incredibilis frigiditatis vis erat, vt intelligi non possent, quoniam verba, priusquam ad alteram ripã penetrarent, vbi Lucanus cum interprete stabat, in medio quasi cursu concreta erant. Polonienses quibus satis perspecta res ista fuerat, ingentẽ in medio flumine ignẽ construunt (nam in eo ipso limine atq; termino consistere voces videbantur) & nõ ita multo postea, verba quæ per vnius horæ spaciũ in aëre congelata fuerant, resoluta & liquefacta descenderunt, eumq; prope sonum ædiderunt, quem niues solent cum mense Majo summis montib. decidunt. Ea cum omnino degelassent, facillime intellecta erant, etiamsi illi jam antea discessissent, qui eadẽ emiserunt. Sed quoniã nimium pro pellib. efflagitare videbantur, noluit pacisci mercator, sed re infecta domũ rediit. Ridebant promiscue omnes. Deinde Bibiena, non tam subtile (inquit) & acutum, sed non minus fortasse jucundũ atq; elegans vobis proponam. Vix aliquot dies elapsi sunt, ex quo de regione quadã à Lusitanis mercatorib. nuperrime inuenta, de mirificis quibusdam animalibus, aliisque rebus infinitis, familiaris quidam noster permulta commentatus est. Idem inter cætera egregia, vnum illud admiratione longe dignissimũ retulit: nimirum Simiam se vidisse inusitatæ formæ, quæ Scacchium ludum peritissime callebat. Cum ea forte corã Rege Lusitano ludebat generosus quidã, qui eãdẽ eo perduxerat, quem cum illa semel atq; iterũ subtilissime ludendo fefellisset, tandem omnino superauit. Quod ille indigne ferens (vt solent omnes, qui eo ludo delectantur) Scacchium regem apprehendit, qui apud Lusitanos satis magnus est, & cum eo Simiam capite percussit. Illa continuo tanquam injuriã perpessa, in regem

*Simiæ Scacchij ludi peritæ.*

regem Lusitanũ insultat, & supplicem gestu ab eo justitiam implorare videbatur. Non ita multo post, idem generosus, cum illius ira deterbuisset, cande rursus ad ludendum provocat. Quod illa etsi aliquãdiu signis quibusdã recusaret, tandẽ nihilominus assensa est: & quemadmodum superiori tempore, ita nunc quoque ludendo superior evasit. Cumq; eo perventũ esset, vt adversariũ prorsus evincere posset, excogitavit quomodo id sine periculo faceret: tandem dextra manu furtim pulvinar sericum apprehendit, cui generosus innixus erat; cumq; idẽ capiti suo obduxisset, eodem momento sinistra generoso cõmonstrat, quo ille loco delirans ludum amisisset: deniq; coram rege sursum deorsum saltat, quasi victoriam sibi ipsi sine discrimine gratulata. Nonne istam Simiam sagacem, providam, prudentem dixeris? Necessum hercule est (inquit Cæsar) hanc ipsam inter reliquas doctorem & permagnæ authoritatis fuisse. Et (nisi me animus fallit) Indiana Simiarum Respubl. hanc vnam in Lusitaniam emisit, vt apud exteras nationes, magnam nominis gloriam consequeretur. Ridebant profuse hic omnes, non solũ mendacij causa, quod erat facetum, quam etiam epilogi, quod erat facetissimum. Pergit deinde Bibienã: Et quoniam (ait) de facetiis diximus, quæ affectu quodã & continua oratione sunt positæ, restat, vt de illis pauca adjiciamus, quæ vel vnius sententiæ brevitate, vel vnius verbi acumine cõsistunt. Et quemadmodũ in superioribus illis animadversio diligens adhibenda est, ne quicquã scurrarũ aut ganeonũ more faciamus, aut eorum, qui stultitia risum solent cõmovere: ita in isto cõcisso genere curiali nostro cavendũ erit, ne inuit? aut virulẽtus appareat: neue dum in genioso loqui debeat, vim atq; acerbitatẽ adhibeat. Tales n. dum sola lingua peccant, toto nonunquam corpore plectuntur. Earũ itaq; facetiarũ quæ in dictorum brevitate consistunt, illæ sunt acutissimæ, quæ ambi-

ambiguitate quadam continentur, etsi risum semper non commoueant: quippe quæ subtilitatis potius & acuminis nomine quam festiuitatis laudantur. Vt est illud Hannibalis Palcotti nostri. Cui cum familiaris quidã pedagogum adduceret, vt illius filios in Grammatica erudiret, eiusq; doctrinam singulari quadam laude efferret, pro stipẽdio rogauit, vt prẽter pecunias annuas cubiculũ satis instructum, & lectum etiã concederet, quoniam nihil istorum habebat. Cui subito respõdit Hannibal: Et quomodo quæso adeo (vt dicis) doctus esse potest, nisi multa lecta atq; adeo intellecta habeat. Videtis lecti vocabulũ vario vtriusq; intellectui quam bene deseruierit. Sed quoniam istæ voces ambiguæ, acutũ in se aliquid habent, cum eas præter communem opinionem atq; sensum interpretemur, admirationẽ magis quam risum mouent, nisi quando cum alia quadã vrbanitate conjunguntur. Eorũ itaq; apophthegmatum, quæ ridiculum continent, tum deniq, præcipua vis est, cum aliud respondeatur, aliud expectetur. In quo si dubium etiã aliquod insit, implicitum cum voluptate acumen videtur. Earum verò rerũ quæ ambiguæ sunt, multa sunt genera: & proinde in eisdẽ diligendis summa deliberatio erit, & vt aptis artificiosisq; vtamur, & ea declinemus, quæ inepta & quasi vi quadã contorta videãtur. Vt illud familiaris cuiusdã nostri, qui cum à monoculo quodã vnà cum aliis ad prandiũ inuitatus esset, cæteriq; eam humanitatem recusassent, ego (inquit) propterea manebo, quia vni alicui sedẽ rectam video, locũ digito cõmonstrans, in quo alter oculus extiterat. Quid isto sale potuit esse acerbius aut inhumanius, cum sine causa minime lacessit? dixerit, nec grauius eundẽ configere poterat, si omnino cæcus esset? Ista cũ adeo generalia sint, vt in quemuis retorqueri possint, minime sanè delectant, quoniam præmeditata putantur. Eiusdem omnino generis fuit illud, quod homini cuidam, cui nasus

*Quæ vna voce constant, ingeniosa magis quam facetá sunt*

nasus præcisus erat, dicebatur: Vbi obsecro perspi-
la vitrea figes? aut qua tandem parte rosas olfacies?
Verum inter reliqua argute dicta, nihil est, quod ma-
jorem in sermone venustatem obtinet, quam eodem
sensu atq; eisdem vocibus reseruatis, eosdem aculeos
in aduersarium retorquere, quos ille in nos ridicule
contorsit. Vt leguleius quidam, cum ab aduersario
(judice pro tribunali sedente) interrogaretur, quorsũ
latraret: quoniã (inquit) furẽ video. Huic non omnino
dissimile fuit illud Galeotti Narnienſis, qui cum per
Siennam iter faceret, rogauit vbi commode diuersari
posset: Siennensis quidã cum eum obesum & promi-
nentiore ventre conspiceret, alij (inquit) à tergo sarci-
nas portare solent, hic à fronte & ante oculos habet.
Necesse est (inquit Galeottus) quoties inter latrones
peregrinamur. Est & aliud non inciuile jocandi genus
ab Italis Bischizzi nominatũ, quod in parua quadam
literæ vel syllabæ immutatione cõsistit: vt in eo, qui-
cunq; dixit necessariũ esse te in Latrina lingua quam
in Græca peritiorem esse oportere. Et tibi quoq; Aemi-
lia pia, literas isto modo inscriptas meminimus: *Am-
plissimæ Dominæ Aemiliæ impiæ.* Carmina etiam sæ-
numero & adagia non inscite conjunguntur, aut in
alium sensum distrahuntur: nonunquam vero sensu
eodem etiam remanente, sed inuerso paulum voca-
bulo. Vt ille qui proteruam & supercilioſam vxorem
habebat, rogat? cuiusmodi esset, Virgiliano illi allu-
sit: *Furiarum maxima juxta me cubat.* Hieronymus
etiã Donatus cum quadragesimali jejunio Romanas
stationes cum aliis generosis inuiseret, in magnam
nobilium fœminarum turmam forte incidit, quarum
venustate, cum vnus præter cæteros delectaretur, è ve-
stigio exclamat: *Quot cælũ stellas, tot habet tua Roma
puellas.* Neq; hic restitit, quin statim adderet: *Pascua
quotq; hœdos, tot habet tua Roma Cynœdos:* Magnam
scilicet juuenũ cohortem cõmonstrans, quæ ex altera
par-

*Latrina pro Latina.*

parte consisteret. Marci quoq; Antonij Episcopo Patauino persimile responsum videbatur. Cum n. Patauij monacharum cœnobium esset, præfectus est eo loci religiosus quidã, doctrinæ vitæq; præstantia insignis. Neq; tamen ea fuerat illius integritas, vt quicquam humani ab eo alienum esset. Nam cum eisdẽ partim cõferendo, partim instituẽdo familiarissime vteretur, cum tantum decẽ numero essent, earum quinq; imprægnauit. Quod cũ fama (vt est velox & loquax dea) multorum aurib. infudisset, cœpit religiosus de fuga cogitare. Episcop⁹ contrà manus injecit, & post multas quæstiunculas atq; minas eo redegit, vt rem omnẽ confiteretur: adeò vt jam seuerus Episcopus nihil nisi de supplicio & carcere cogitaret. Verum reus iste, quoniam homo doctus & perurbanus erat, multos habebat patronos & intercessores, & inter aliquos Marcum Antonium. Verum Episcopi tanta seueritas erat, vt non animum solum auersum, sed aures etiam obturatas habere videretur. Illi nihilomin⁹ instabant orantes vt meminerit, quid locus, quid oportunitas, quid imbecillitas humana, deniq; quid amor muliebris valeret. Tum Episcop⁹: At quid obsecro dicturus sum, cum corã summo Rege consistens, is mihi dicat: *Redde rationẽ villicationis tuæ?* Id nimirum respondebis (ait Marcus Antonius) quod docet Euangelium: *Domine quinq; talẽta tradidisti mihi, ecce alia quinq; superlucratus sum.* Non potuit in summa austeritate risum continere Episcopus: imò multum, & de illius iracundia, & de rei pœna ista vrbanitate diminutum est. Facetum quoq; & elegans illud est, cum nominibus verbisq; allusio aliqua ingeniosa accedit, fictione etiam quandoq; adhibita. Quod tum quidem vsu venerat, cum Protus Lucanus, homo (vti nostris) facetus, Episcopatum de Calio petiisset; qui cum paulo vehementior esset, respondit Papa: Satis tu quidem scis Caleo Hispanice, idem esse quod taceo, & tu tamen

non modo non taces, sed etiam loquax es. Absurdum hercule atq; absonum esset, Episcoporũ aliquem esse, & tamẽ Episcopatus sui titulũ non agnoscere. Posthac ergo dicẽ quid sit *calio*, i. e. tacere. Interposuit hisce Protus responsum, quod etsi omnino huius generis non esset, erat tamẽ non minꝰ ridiculum. Ille siquidẽ cum nulliꝰ momenti suas petitiones esse videret, nisi alia ratione Pontificis animũ pertentaret: Reuerende Pater (ait) si mihi episcopatũ istum concesseris, senties in rem tuam fore: relinquam n. ex eo duo tibi officia. Et quæ tandẽ officia (inquit Papa?) Vnum (ait Protus) principale, alterũ Beatæ Mariæ. Non poterat hic Pontifex risui frænũ injicere, etsi grauissimus pater esset. Illud quoq; Patauiensis cuiusdam (etsi perexiguũ sit) obliuisci non possum, qui Calfurnium ex eo appellatum dixit, quia fornaces calidas reddere consueuit. Ego verò cum nuper à Phedra quærerem, quo pacto illud eueniret, vt cum die Veneris (qui Christi passioni sanctus est) Ecclesia mater pro Christianis omnibus, pro Ethnicis etiã & Iudæis orare non dedignetur, pro Cardinalib. quoq; quemadmodũ pro Episcopis, reliquisq; non oraret: ille mihi continuo respondit, Cardinales omnes in illa oratiuncula contineri, scilicet: *Oremus pro schismaticis & hæreticis*. Ludouicꝰ quoq; noster illud meum ridiculum cõmemorare solet: me nimirũ fœminã nobilem reprehendere solitũ, quod latice atq; oleo adeo splendescente vultũ oblineret, vt eam quoties aspexissem, faciẽ in eo meã conspicerem: quod ego ferre nõ possẽ, cũ adeo informis essem. Huius fere generis erat illud Camilli Paleotti, Antonio Porcaro: cuius cũ familiaris quidã sacerdoti confiteretur, jejunia se reliquaq; diuina officia ex animo exequi solere, tu (inquit) dũ te accusare debebas, profuse laudas. Imò v. (inquit Camillus) hæc propterea cõfitetur, quia eadẽ flagitiosa existimat. Nonne illud præfecti nobilissimi argute dictũ meministis? Cũ postridie

*Taceo, Hispanice caleo.*

*Antonio Porcaro Camillus Galeottus.*

dicGaleottus illũ admirat⁹ esset, qui ducentos aureos pro equo postularet, cũq; adderet, nihil eundẽ valere, quia armorum neq; splendorem, neq; strepitum ferre poterat: si ea de illo natura (inquit Præfectus) mirũ ni ille mille aureos petat. Quis enim nocebit equitanti? Iisdẽ etiam aliquando verbis nõ inconcinne vtimur, sed in alium prope finẽ, quam vsus cõmunis feret. Vt cum duci cuidã per fluuiũ rapidiss. transeundũ esset, buccinatori præcepit, vt ille præiret: cui ille nudato capite nõ sine summa reuerentia respondit: Imò vero nõ decet, honoris vestri est reliquos omnes præcedere. Illa quoq; jocandi formula non injucunda est, cũ proferentis voces nõ rejicimus, alieno tamẽ sensu interpretemur: vt illud Philippi Beroaldi nostri, cui cũ Teutonicus quidã illius discipul⁹ obuiam daret, Domine (inquit) Deus det tibi bonũ sero. Ille vicissim respondit: Et tibi malũ cito. Idem Beroaldus cum diceret, se Boloniã profecturum, ab eo quæsiuit Sadoletus, quo- *Bononiam*
modo adduci posset, vt Romam relinqueret, vbi tot, tantæq; voluptates essent, & eo proficisceretur, vbi nil nisi fastidiũ & defatigationẽ reperiret. Eundũ est certe (inquit Beroald⁹) *per tres Conti*: i.e. propter tres causas, easq; statim cepit in digitos distribuere: sed interpellauit eum Sadoletus: Et satis (ait) scio, de quib. sentias, nimir. *de Conte Ludouico, de S. Bonifacio, de Conte Hercole Ragonensi, de Conte de Pepoli.* Ridebant jam satis vniuersi, quia trẽs istos nobiles & juueniles Comites Beroaldi auditores Boloniæ studuisse cognouerant. Faceta istæc & perurbana jocandi ratio est, quia cum aliud expectemus, aliud semper respondetur: nostriq; nos errores in rẽ tã parui ponderis & valde delectant, & ad ridendũ sæpenumero impellunt. Ipsa vi loquendi ratio iisdem loci atq; figuræ, quæ grauibus seriisq; rebus inseruire solent, eundem in facetiis vsum, eandemque dignitatem obtinent. Et quemadmodum clausulæ atq; vocabula, contraria cõtrariis applicata,

multum in sermone venustatis habent: ita quoq; fit, sicubi eædē sententiæ, cum eisdem digladientur. Vt in illo Genuensi qui cum professor esset quam illi opes ferebant, reprehendit eū fœnerator insignis, rogans quando tandem cessaret facultates suas exhaurire & profundere. Quando tu (ait alter) cessabis furari aliena. Et quoniam ex eisdem locis ridicula & grauiores etiā sententiæ desumuntur, in neutro genere quicquā festiuius & ornatius fieri potest, quam ea omnia, quæ prolata sunt, quodāmodo confirmare, & eadē tamen ipsa, præter opinionem proferentis interpretari. Vt cum diuino nuper officio rusticus quidam sacerdos interesset, & ad generalem confessionē gradatim perueniisset, vnus omnium nomine cæpit effari peccasse se, cogitando, loquēdo, faciendo; deniq; nullum esse tam infandum & mortale crimen, quo ill enon esset contaminatus. Quod cum illius quędā amicula & popularis audiret, astātes rogat, vt istius rei testes essent: nam ego (inquit) illum apud Episcopū reum faciam. Eadē vrbanitate vsus est Salezza de Pedræda, qui cum mulierem nobilē vehementer laudaret, tam propter virtutes, quam etiam formæ venustatem corporisq; habitudinē, illa modeste respondit, indignam se istis laudib. esse, cum adeò ætate profecta esset. Tum ille, cum re senio cōfectam pronteare, quid hoc aliud est, quam angelis re similē dicere, qui primi omniū sunt, atq; antiquissimi? Non minus igitur argute dicta ad risum jocumq; cōferunt, quā grauiores sententiæ ad laudē & encomiū, præsertim si metaphoris consistant aptis & cōuenientibus, isq; qui respondet, in eadē verborū translatione persistat. Vt Cosmus de Medices nō ita pridē argutissime, cui cum Palla Strozzius è Florentia exul internuntiū misisset, & Cosmo his verbis interminatus esset, nimirum jamjam Gallinā parere: Respondit è vestigio Cosmus: Tu Pallæ meo nomine vicissim dicito, malē Gallinas parere, cum è nido sint exter-

*Acute responsum.*

*Cosmus de Medices*

exterminatæ. Illud etiam Camilli Porcari egregium fuit: qui cum oratione quadã nonnullos Italiæ Heroes & inter cæteros Marcantonium Colonnam summis laudibus exornasset: Marcantonius ingentes gratias retulit, nil horũ agnouit: quin tu (inquit) Camille, id amicis tuis facis, quod solẽt mercatores versuti, cum adulterinum forte nummum habeãt, quo vt se honestius expediant, eundem solent optimis quibuscunq; pecunijs interponere. Idem tu mihi facere videre, qui dum me viris istis nobilissimis adiungis, heri casu potest, vt ego quoq; eorũ similis videar. Tum Camillus: illi certe qui nummos adulterare solent, eosdem auro ita sæpe oblinunt, vt multo splendidiores appareant, quam illi, quibus nihil fucatum inest. Quod si igitur aliqui hominum Alcumistæ essent, vt sunt nummorum, ego quoq; te fictitium & adulterinũ suspicarer cum multo reliquis pulchrior & lucidior appareas. Videtis itaq; vtriq; joçandi formulæ istum locum esse cõmunem, multosq; alios, quorũ infinita sunt exempla, præsertim in sententiarũ grauitate atq; pondere. Vt illud egregij cuiusdam belli ducis, qui cum mensæ, cum tanta hominũ caterua discumberet, nihil vt loci relinqueretur, duosq; Italos astantes vidisset, qui eidẽ egregie in prælio inseruissent: Surgite (ait) obsecro, & paulum cedite, sinite eos aliquanti sper edere, quorum virtute effectum est, vt nos jam nunc edamus. Idem Diego Garziæ momenti, vt è loco periculoso secederet, quo tormentorum ictus facilius declinaret, fertur sic respondisse: Cum tibi nihil terroris Deus injecerit, tu mihi ne injicias. Ludouico quoq; Gallorũ Regi cum primum diademate insignitus esset, suggessit quidam nunc esse, cũ posset eas vlcisci injurias, quas tum perpessus erat, cum Aureliæ dux esset: cui ille magnifice respondit, nihil esse cur Gallorum Rex, Aurelianensis injurias vlciscereturLeporis quoq; acerbitas, non-nunquam in verborum tantummodo grauitate, sine

*Camillus Marcantonio Colonnæ.*

*Magnifica Ludouici vox.*

aliqua risus incitatione cõsistit. Vt Ottomanus magni Turcæ frater cũ in Roma captiuus esset, Italosq; hastis equo cõcurrentes videret, nugas pueriles dicebat esse. Cumq; eidẽ relatum esset, Regẽ Ferdinandum iuniorem cum primis agilẽ currendo, saltãdo, insultandoq; præstitisse, respondit, isthæc in sua patria seruorũ atq; mancipiorum fuisse: nobilium v. filios liberalitatem, magnificentiã, reliquasq; virtutes à primis annis didicisse. Huius v. generis (nisi forte aliquanto facetius videatur, fuit illud Archiepiscopi Florentini, Alexandro Cardinali respõsum. Qui cum nihil habere homines diceret præter fortunas, corpus atq; animum: imò (ait Antistes) omnino nihil habent. Nam de fortunis disponunt rapaces jurisperiti, de corpore hallucinãtes Medici, de animo Theologi inconstantes. Huic certe illud potest adjungi, quod solet Nicolet⁹ dicere, nempe Iurisconsultos perraro in jure cõtendere, Medicos rari⁹ medice viuere, Theologos verò Christianos esse rarissime. Subrisit hic Bibiena, deinde susceptum jam antea sermonẽ insequitur. Infinita sunt isti⁹ rei exempla, eaq; ipsa à magnis & primariis viris delibata. Verum nihil est, quod magis ridetur, quam apta & faceta cõparatio; vt Pistoia noster, quum Seraphino rescriberet. Manticam, inquit, tibi remitto, quæ tuijpsius est multo simillima; neq; sane dissimilis erat, si probe Seraphinũ memineritis. Nõnulli sane sunt, quibus illud permagnæ voluptati solet esse, viros fœminasq; canibus, equis, auib⁹, cistulis, scabellis, curriculis, lucernis assimulare, quæ omnia suam aliquando dignitatem habent, nonnunquam v. frigent. Ita in illis omnibus, loci, temporis, personæ, reliquarumq; rerũ justa consideratio est. Tum Gaspar. Pallauicinus: Cum non ita pridẽ Ioannes Gonzaga Alexandrum filium cum magno Alexandro cõferret, jucunda mihi videbatur illa comparatio. At illam nos ignoramus, inquit Bibiena. Ioannes Gonzaga (ait Gasparus) cum tesseris luderet (ve

*Omnia nostra penes alios esse.*

*Ioannes Gõzaga de Alexandro filio.*

(vt fere solet) magnamque pecuniæ vim profudisset, astitit forte Alexander filius, qui etiamsi tenera ætate sit, vere tamē in eo patrizat, quod tesseras amet. Is cū patris infortunium diu contemplatus esset, q. tantas impensas doleret, grauiter suspirauit. Quod cum Comes Paniella deprehenderet, vide (ait) Gonzaga, pius filius profusi patris jacturas deplorat, valdeq; inhiat, vt fauente aliquando tibi fortuna, ipse aliquid lucri reportet: isto illum dolore subleuato, & priusquam omnes aureos ludendo profuderis, vnicū illi saltē tribuito, vt ille quoq; cum suis amiculis colludat. Tum Ioannes Gōzaga: Falleris mehercule, si sic sentias: res tam parui momenti nō curat Alexander. Verum non secus quā ille Magnus, cum patrē Philippum audisset ingentem exercitum profligasse, regnumq; amplissimū jam prope deuicisse, quantumuis jam puer esset, in acerbissimos luctꝰ incidit: cumq; ab eo quæreretur, cur tantam lachrymarum vim profunderet, respōdit vereri se ne ita multas gentes nationesq; pater sub jugū mitteret, vt illi nihil restaret, quod superare posset. Ita meus quoq; Alexander, in meis proinde jacturis subtristior est, ne ego forsitā adeo multū exhauriam, nihil vt illi relinquam, quod possit perdere. Hic cum paulū esset arrisum, superiorē sic orationē prosequitur Bibiena: Videndum præterea diligenter, ne impia sit jocandi ratio, neue dū nouo modo ingenioſi videri velimus, diuinā majestatē conuitiis lædamus. Inique sane comparatū esset, nos ea in re laudē atq; gloriam consectari, cuius nomine nō tantum vituperium, sed supplicium etiam commeremur. Quisquis igitur ingenij sui acumine adeo occęcatus est, vt suæ in Deum pietatis obliuiscatur, dignꝰ sane videtur, qui ex ingenua illa & liberali nobiliū societate exulet. His affines sunt illi, qui in omni sermone turpes & obscœni sunt, nullaq; in re magis delectantur, quam verborum turpitudine fœminis pudorem atq; turpitudinem com-

*Comes Paniella Gonzaga.*

*Impia jocandi ratio.*

mouere: quod vt liberius faciant, impuris argutisq; vocibus inueſtigandis miriſicam nauant operam. Id quod nuper Ferrariæ inter epulas multis audientibus contigit. Vbi cum Florentin⁹ & Sienenſis forte conuenissent (qui fere, vt ſcitis, inimici eſſe ſolent) Sienenſis vt Florentinum vreret, Sienam (inquit) Imperator in vxorē conceſſimus, & Florentiam eidem in dotem dedimus. Sic n. iam tum fama erat, permagnā pecuniæ vim a Sienenſib. Imperatori conceſſam, vt eorum in ſe patrocinium ſuſciperet. Quibus cōmotus Florentinus ſubito reſpondit: Si dos ſit Florentia, ſi vxor Siena, Sienam tamen primo obequitabit Imperator (Gallico more locutus, ſed verbo vſus Italico) poſtea de dote cum primū vacauerit, litigabimus. Videtis ſatis acute jocatum eſſe, ſed quoniā fœminis præſentib. turpiter & inuerecunde. Tum Gaſpar. Pallau cinus: Tune iſta voluptate mulieres priuabis, cum nihil magis quam illiberale hu uſmodi oratione deſiderent? nunquam equidē reminiſci poſſum, toties me virilis ſermonis puduiſſe, quoties muliebris impudentiæ Ego v. inquit Bibiena, de iſtis tuis mulierculis non loquor, ſed de illis quarū ea virtus eſt, vt eas generoſius vnuſquiſq; ſuſpiciat atq; admiretur. Aequu hercule eſſet (inquit Gaſpar⁹) ſignum aliquod, & quaſi regulas nobis tradi, quibus eas liceat facilius internoſcere: quoniam ita plerunq; fit, vt quæ aſpectu primo videantur optimæ, eas ſi int⁹ & in cute cognoueris, putabis eſſe peſſimas. Subridens hic Bibiena, niſi (inquit) Iulianus adeſſet, fœminarū omnium patronus atq; propugnator, ego tibi reſponderem. Verum illi tam gratum officiū nuſquā intercipiam. Arriſit leuiter Aemilia, & mulieribus (inquit) nullo defenſore opus eſt, cōtra aduerſarium tam paruæ. aut tam nulli⁹ potius authoritatis. Caſparum itaque in ſua iam præpoſtera ſententia conſeneſcere patiamur, quam ille propterea mordicus tenere ſolet, non quia in fœminis mancum & imperfectum

ali-

aliquid sit, sed quia inter innumerabiles vix aliquam reperire possit, quæ illi aspectu delectetur, De facetiis igitur quod reliquum est audiamus. Permultos equidem locos (inquit Bibiena) jampridem mihi videor cõmemorasse, è quibus sales & argutiæ sunt eruendæ, quarum omniu dignitas & excellentia in narrationis jucunditate cõsistit. Alios etiã fortasse aliquos liceret adjicere: vtpote cum, vt aliquid jucundi explicemus, incredibile quippiam affingamus, cuius generis fuit illud Martij Volaterrani, qui sacerdotem se quendam cognouisse ajebat, qui se adeo procerum putauit, vt quoties diui Petri templum ingrederetur, se consulto demitteret, ne trabes, quæ in fastigio erat, caput illi cõminueret. Iulianus etiã noster Golphinum seruum adeo macilentum atq; aridũ fuisse dixit, vt cum mane fasciculis ignem subjiceret, gnauiterq; perflaret, vsq; ad camini verticem à fumo eleuatus est, vbi nisi casu transuerse hæsisse, periculum erat, ne in aerem euanuisset. Augustinus quòq, Bezzauanus multa facete de auaro quodã narrare solebat, qui cum in summa annonæ caritate frumentũ vendere recusasset, idemq; nõ ita multo post dimidio minoris esset, desperatõie exanimatus laqueo se clanculũ in cubiculo suspendit, cumq; doloris magnitudo, singultus aliquos sonosq; eliceret, accessit summa celeritate seruus, & licet rei nouitate attonitus esset, funem nihilomnus ocyus præcidit, mortemq; jam in limine atq; foribus aduentante anteuertit. Auarus tanto discrimine liberatus cum se recolligeret, fremere cœpit & indignari, conscissum esse laqueũ tam nouitium, & quasi dispendij pœniteret, de pretio cum famulo serio expostulabat. Istis non multũ dissimile est illud Laurentij de Medices, qui cum Mimum quendã frigidè jocante videret, non riderem (inquit) etiamsi me titillares. Deinde cum alter quoque insulsus homunculus eundem in lecto valde seuo reperisset, eique vitio verteret, quod

*Marius Volaterranus*

*Golphinus.*

*Auari exemplũ, dispendiũ plus vs, quam suspendium pendentis.*

somniaret, dum ipse nouum vetusq; forũ obiret, dum S. Galli portã peteret, dum ciuitatis muros circuiret, dum infinita negotia cõficeret: respondit Laurentius, vnicũ meum in otio insomniũ, omnib. tuis negotiis antecellit. Illud quoq; non minꝰ ingeniosum est, cum id reprehendamus, quod non erat credibile, nos aliquando reprehẽsuros: vt Marchio Fredericus Mantuanus, Ducissæ nostræ pater, qui cum mensæ vnà cum aliis nobilib. discumberet, vnus ex his cùm jus appositũ exorbuisset, pace vestra (inquit) nobilissime Marchio, rursumq; deglutire cœpit: cui Marchio, quin tu malũ (ait) porcorũ pace dicito, mihi nulla fit injuria. Nicolaus etiam Leonicus, cum tyranno cuidã liberalitatem injuste attributam audiret, videte (inquit) per deos, quam egregie liberalis sit, qui nõ sua solum, sed aliena etiã largiatur. Illa quoq; non inciuilis jocandi ratio est, cum aliud dicimꝰ, aliud dissimulantes cogitamus. De his rebus non loquar, quæ in extremo contraria sunt, vt cum homunculum gigantẽ, deformem formosum, nigrũ deniq; album appellamꝰ (hæc enim apertiora sunt, & risum tamen aliquando non inconcinne mouent) sed cum seueris grauibusq; sententiis illud lepide exprimamꝰ, quod tacite apud nos vix vno verbo dignũ ducimus. Vt erat illud Augustini Foliettæ: cui cum generosus quidã insigniter mentitꝰ esset, valdeque desideraret, vt sibi crederetur; supercilioso vultu respondit Folietta: Si vnquã mihi gratum acceptumque facturus es (vir optime) ne ægre feras, si tibi non crediderim. Cum v. instaret alter, multisq; juramentis mendacium confirmasset: quoniam ita vis (inquit Folietta) credam in tuam gratiam; nam (vt ingenue fatear) multo difficilius tua causa facturus essem. Eodẽ fere modo Ioannes Cardonẽsis in ciuem quendam locutus dicitur, qui Roma discessurus erat. Nam male illi persuasum dixit, vt eam vrbem relinqueret, cum illius vita adeo omni scelerum genere

*Marchio Fredericus Ducissæ pater.*

cum-

contaminata esset, vt Cardinalis tandem aliquando fieri posset. Huius quoq; generis fuit illud Alphonsi de S. Croce, qui cum multas injurias à Cardinali Paviensi illatas perpessus esset, obambulans forte prope Bononiam in loco cruciatibus destinato, miserum conspexit suspendio recentissime suffocatum, in quem conuersus alta voce clamans, ô te felicem, inquit, cui nihil est commercij Cardinali Pauiensi. Hæ v. facetiæ quæ aliquantulũ sunt ironicæ, magnis hominib. sunt accõmodatæ. Nam & graues sunt & salsæ, seriisq; rebus inseruiunt, & festiuis: & proinde antiquis, iisdẽq; summis viris vsitatissimæ, vt Catoni, Scipioni Africano minori. Verũ inter omnes longe præstantissimus est habitus Socrates Philosophus, & nostris temporib. Alphonsus primus Rex Aragoniæ. Ille cum aliquãdo manus lauaret, annulos magni pretij de digitis exuit, eosdemq; ei custodiendos dedit, qui proxim⁹ astitit, quasi nihil cogitans cui commisisset. Seruus interim Rege minime obseruasse existimans, apud quem deposuisset, & quia multi aderant, & quia grauiora cogitabat, tanquam optimã prædam lucrat⁹, valde triumphauit: eoq; magis, quia Rex nec repeturus, nec meminisse videbatur. Cum itaq; dies aliquot, mensesq; elapsi essent, & de illa re verbum nullum, omnia tuta atq; in egra putabat, adeo vt exacto jam fere illi⁹ anni curriculo, cum iterum Rex annulos detraheret, ille se audacter ingerit, manumq; porrigit recepturus. Quod cum Alphonsus animadverteret, tacitè illi in aurem hæc verba insusurrat: *Satis tibi fuerit superiores annulos habuisse, isti alij cuipiã percõmodi erunt.* Argute mehercule dictum & sapienter, & Alexandro aliquo non indigne. Huic ironiæ persimilis est illa jocandi formula, cum verbis honestis & concinnis, rem turpẽ & vitiosam circũscribim⁹: cuiusmodi erat illud ducis cuiusdã egregij, qui cum bellũ Cirignolæ maximum strenue confecisset, omniaque jam secura ac pacata essent,

*Bononiam*

*Ironici sales.*

essent, venit forte illi obuiam iuuenis, qui sub eo meruerat, tanto armorũ splendore, tanto apparatu, quasi prælium jam primum ineundum esset, quẽ cum ille serio intueretur, in Hugonẽ Cardonensem cõuersus:

*Hugo Cardonensis.*

Maris posthac (inquit) tempestatẽ ne vereare, sanctus Hermes apparuit. Hic ille honesto vsus vocabulo, alterius segnitiem tacite notauit. Sanctus n. Hermes (vt Nautæ fabulantur) post summã maris intemperiẽ, solet apparere, & summæ tranquillitatis signũ dare: ita iste quoq; miles egregius confectum jam bellum, &

*Vbaldinus.*

omnia transacta portendebat. Octauian⁹ quoq; Vbaldinus cum Florentiæ vna cum nonnullis illius vibis primariis ciuib. esset, sermonemq; de præstantissimis illi⁹ ætatis militib haberet, sciscitabatur ex illis vnus, num Antonellum Forlium (qui paulo ante Florentia aufugerat) cognouisset: respõdit Octauian⁹, magnopere se illum non scire, sed virũ manu promtum atq; expeditũ esse habitum. Probe mehercule expeditum dixeris (inquit Florentinus:) nam adeo erat in discedendo præceps & expeditus, vt nemini nostrũm (vale) diceret. Illæ quoq; argutiæ non injucundæ sunt, cum alterius orationẽ ita prepostere inuertimus, vt contra illius voluntatẽ sensumq; omnino significet: vt erat illud ducis nostri, cum Præfecto cuidam responderet, qui sanctum Leonem bello amiferat. Ea ciuitas cum à Papa Alexandro capta esset, & duci Valentino concessa, dux ipse Venetiis forte fortuna fuerat: cui cum multi mala de Reip. statu secretissime referrent, venit tandẽ Præfectus iste, & cum aduersam fortunã multis verbis incusasset, dixit se nõ dubitare, quin rationem excogitare atque inire posset, qua sanctum Leonem facile recuperarent. Cui dux facete, ne te torqueas (ait) in ea causa: jamdudum id à te dictum est: nam tu nisi perdidisses, nulla nobis recuperandæ occasio esse posset. Alia isti⁹ generis dicta laudãtur, cum homines ingenioſi & peracuti, ineptum aliquod crassumque de

Industria loquuntur: vt Camillus Paleottus de quodam qui repente vita functus est. Stultum mehercule hominē (inquit) & insulsum, qui simul atq; dite scerē occeperat, mortuus est. Salsa etiā & perurbana est illa dissimulatio, cū viri prudētes atq; sagaces id se fingunt nō itelligere, quod satis intelligunt: vt erat illud Frederici Marchionis Mantuani, quē cum homo loquax (& valde tamen insulsus) querelis obtunderet, quod illius vicini columbas pedicis, & tendiculis è columbario furtim surriperent, tacuit diu Fredericus quasi hæsitans, quid in tantis reb. respondendū esset: instat præterea calumniator, ne tantam injuriam inultā pateretur, & vt vehemētius persuaderet, columbā ostendit pedibus illaqueatam. Respondit Marchio, tantis se malis velle breui prospicere. Non destitit tamen ille garrulus, quin etiam atq; etiam Columbam ostentaret, cumq; Marchionē satis incitatum putaret, quid obsecro (inquit) tali in re faciendum putas? Profecto (ait Fredericus) columba istæc inter Ecclesiæ limites sepelienda non est: nam cum se suspenderit, credibile est, desperatione debilitatam mortē sibi conscisse. eiusdem prope generis fuit illud Scipionis Nasicæ. Is cum Ennij domū adiisset, vt eundē conueniret, eumq; pro foribus astans nomine compellaret, respondit ancilla eum nō esse intus, quoniā ita præcepit herus: quōd etiamsi plane audiret Scipio, tacitus tamen discedit. Non ita multo post cum Ennius Scipione domi suæ quæreret, eumq; pariter in platea consistens euocaret, respondet Scipio: Non sum domi. Tum Ennius: Quid? an ego vocē tuam nō agnosco? Deinde Scipio: ô hominem plane inhumanum, ego puellæ tuæ de te pridie credidi, tu mihi de me non credis? illud quoq; cum primis argutum videtur, cum iisdē aculeis quisquam confligitur, quos in alium vibrauit: cuiusmodi fuit illud Alfonsi Carilli, qui cum in aula Hispanica ageret, adeò forte iuueniliter in reb. quibusdā non ita ma-

*Ioco su dissimulatio.*

*Cic. de Orat. lib. 2.*

magni ponderis versat⁹ est, & regio iussu carceri committeretur. In quo cum per totam noctem restitisset, sequenti die liberatus, in aulā rediit viris fœminisq; nobilibus refertissimam: vbi cum omnes de illius custodia multa hilariter loquerentur, tandem Boadilla: Verebar equidem (inquit) Alfonse, idq; non mediocriter, ne suspendiū parereris. Ego quoq; id dubitabam (inquit Alfonsus) sed hæc vna me spes recreauit, te in maritum me fuisse emendicaturam. Quid isto sale potuit esse acerbius? cum in Hispania (quemadmodū etiam alibi) ille mos fuerit, vt cum crucis supplicio quispiam destinatus sit, si meretrix aliqua triualis & prostituta, eidē nubere velit; vitæ dispendiū minime pateretur. Eadem fere ratione Raphael homo facetus idemq; pictor eximius, duobus Cardinalibus (qui eo sunt vsi familiariter) respondit. Illi vt eundē in liberiorem quendā sermonē perducerent, tabulam illius quandā, in qua ille D. Petrum Paulumq; depinxisset, consulto vituperabant, eosq; nimium rubicunde depictos affirmabāt. Quibus ille: Nolite viri amplissimi istuc admirari, sciens prudensque feci: Ego Petrum Paulumq; in cœlo præ pudore non minus rubicundos quam hic sunt, existimo, cum eorum Ecclesiam à talib. viris, quales vos estis, regi gubernariq; videant. In illis itaq; argutiis nōnihil salis inest, in quibus subobscura ridēdi occasio cōtinetur. Cuius generis illud erat, quod homini cuidā luctuoso responsum fertur: qui cum misere lachrymis & squalore confectus esset, quod illius vxor de ficu seipsam suspendisset, venit ad eum familiaris, & quasi esset, quod cum eo serio communicaret. Obsecro (ait) si me tibi deuinctum velis, vt ex ista arbore habeam, quos seram surculos. Aliæ nōnullæ sunt haud istis longe dissimiles, quæ lenitatem in se quandam & temperatam grauitatē habent, vt illud, quod de Catone scribitur, cui cum bajulus arcā quam humeris ferebat, inuite offecisset, posteaq; (cum

*Alfonsi in Boadillam salsa acerbitas.*

*Cic. de Orat.*

(cum integrum non esset) caue tibi exclamares. Quid (ait Cato) an aliquid aliud habes, quo mihi noceas? Ridetur quoq; (nec injuria) cum in errorē loquentes incidimus, eumq; ineptiore aliqua ratione consulto corrigimus, nec omnino à proposito deflexi, nec verecundia (quod fere fit) præpediti. In concilio Florentino non ita pridē duo confederunt aduersarij, quorū alter Altouitius erat, alter Alamannius. Altouitius à crapula fortasse recens in somnū incidit. Quod cum ille satis perspiceret, qui proximus sedit, eundē subito excitauit rogans num audiret quid aduersari? diceret, patres illius jam diu responsum expectasse. Ille se confestim somniculosus erigit, & minime deliberandum ratus: Ego (inquit) viri grauissimi, ea omnia nego, quæ dixit vobis Alamannus. Ille contrà cum se nihil dixisse obtestaretur, nego igitur (ait Altouiti?) quęcunq; dicturus es. Huius generis fuit illud Seraphini vestri Medici Vrbinatis: à quo cum homo rusticus oculorū medicinā imploraret, cum oculus illi jam antea prorsus excussus esset, Seraphinus etsi malum insanabile cognosceret, sperabat tamen aliquas illi non minus arte pecunias elicere, quam oculus jam antea vi esset elisus. Quocirca multa promittit vt aliquid reciperet, & rusticū minime dubitare jubet, quin intra sex dies rursus cōualesceret. Ille tam insperata audiens, & valde lętatur, & dat quod habet libere. Verum cum status sanitati dies excessisset, & nihilo sanior esset, Medicum incusare cœpit, Seraphinus nihil jam illi nummorum supereſſe perspiciens, hortatur, ne ægre ferat, oculum sanari non posse, cum oculum non haberet, quin Deum potius exoraret, ne altero quoq; oculo priuaretur. Quæ cum rusticus audiret, in summos luctus atq; mœrores incidit, Medico; minitari cœpit dum se quamprimum significare velle, quomodo pecuniis spoliatus atque expilatus esset. Tum Seraphinus nā cōmotus, vt se facilius purgaret, ubi malum (inquit) impurissime nebulo, tunc duos oculos habiturus es,

*Altouitij & Alamannij dissensio.*

*Seraphini Medici responsum.*

cum homines honesti, iidemque ciues egregij plurès non habeant? Hæc ille tanta vocis vultuq; acerbitate fulminauit: vt miser ille tacitus & exanimatus discederet, nõ nihil, veritus ne potius fecisse injuriã, quam tulisse putaretur. Verum in toto jocandi artificio nihil laudabilius est quam (vtcunque res cecidit) festiua eiusdẽ interpretione vti. Veni non ita pridẽ in aulam Hispaniarum eques, aspectu horridus & informis, & cum eo vna illius vxor, fœmina longe venustissima, vterq; eo seculi genere amictus, quem Hispanice Damascum appellant: quos cum regina cunctis intuerentur, Alfonsum rogauit de vtriusq; quid illi videretur. Mihi quidẽ (inquit) optimè videntur cum vestibus conuenire. Nam & illa Dama formosa est, & ille Ascus videtur, id est, deformis, turpiculus, monstrosus. Raphael etiã Pazzẽsis cũ literas videret à Priore Messinæ amiculæ cuidam suæ isto modo inscriptas: *Ista litera detur illi, quisquis causa est doloris mei.* Procul dubio (inquit) istæ literæ Paulo Tholossensi tradendæ sunt. Quod cum primũ dixisset, ridebant qui aderant vniuersi, quia Paulum cognouerant decem millia aureos Priori præstitisse: qui quoniã profusior aliquãto fuit, jam tum soluendo non erat. Huic affine est illud, cum prætextu consilij familiariter quempiã admonemus, nihil min⁹ interim cogitantes. Quod à Cosmo de Medices sæpenumero factitatũ audiuimus. Is cum amicum haberet, magis fortunatum quam sapiente, qui illius ope publicũ munus extra Florentiã obtinuisset, Cosmum rogauit, vt illi indicaret quomodo honeste tanto munere defungeretur. Cui Cosmus, vestes (ait) graues induito, demisse & severe aspicito, denique multũ sileto. Eadem vere vox Ludouici Comitis fuit, à quo cum homo curiosus percontaretur, qua potissimum ratione per locos quosdã periculosos permeare posset, & quomodo personatus latronum excursus effugeret. Doctos (inquit) alicuius aut Senatoris vesti-

Damascus.

veſtibus vtere. Ianottus etiam Pazzenſis cuidam, qui ſuccinctoriũ diuerſiſſimis coloribus interſerere parabat, aſſumito, inquit, omnia facta dictaq; Cardinalis Pauiensis. Ridetur etiã ſæpenumero, quoties ea, quæ valde inter ſe diſſident, tanquã neceſſario conjuncta proferuntur: vt illud Antonij Rizzi de Forliuenſi quodam. Quid eſt (inquit) cur eum ſtultũ dubitetis, cum Batholomæus nominetur? Facete etiam quicunque dixit: tu equitem queris, cum equũ non habeas, & iſte noſter nihil niſi fortunis & equis caret. Ea etiam interdum riſum cõmouent, quæ valde ſunt conſentanea, vt cum de familiari quodã noſtro non ita pridẽ dubitaretur, num falſam eccleſiæ aduocationẽ effinxiſſet, & alter forte ſacerdos eodẽ fere momento in grauem morbum incidiſſet; Antonius Torellus in hæc verba ſubito erupit: Quid (ait) ceſſas? cur tabellionem illum tuũ non accerſis, vt iſto quoq; ſacerdotio fruare? Verũ frequentius eã ridemus, quæ non ſunt conſentanea. Vt nuper cum Papa Ioannẽ Lucam de Ponte tremulo, & Dominicum Della Porta (vtrunq; vt ſcitis humeris incuruum) accerſiuiſſet, eoſq; Rotæ judices conſulto admiſiſſet, dixit ſe conuexam iſtã Rotam breui ſpatio directã facturum. Quod cum Latinus Iuuenalis audiret, fallitur (inquit) ſanctiſſ. Pater, ſi cum hominibus diſtortis Rotam aliquando directã ſe poſſe putet efficere. Riſus etiam non inconcinne mouetur, cum ea omnia, quæ recitantur, & plura etiã ſi opus ſit) conceſſeris, ſed alia tamen ratione conſulto intelligas. Vt Peralta egregi⁹ belli dux, cum in procinctũ veniret, vt Monomachia cum Aldana concertaret, Molartus Aldanæ patronus Peraltã jurare jubet, num præſtigium aliquod aut incantamentum occulte geſtaret, quo tutior à vulnerib. eſſet. Iurauit è veſtigio Peralta, nec veneficium ſe, neque characterem, nec reliquias, nec religioſum preterea quicquam habere, in quo cõfideret. Tum Molartus vt eundem vreret, quaſi omnino

*Diſſentanea.*

*Conſentanea.*

*Rota locus eccleſiaſticè judicij Roma.*

*Marranum. Quid multis inquit vtare, non est opus juramento, ego te vix ipsi Christo puto cōcedere. Huic facetiarum formulæ non indecore metaphoras aliquando connectimus, vt Marcantonius noster, cum à Bottono quodā Cesenensi verborū multitudine obrueretur, age, inquit, per deos Bottone, vere tu quidem breui Bottonus (id est, tunicæ retinaculum) eris, capistrū verò aliquod illius retinaculi foramen erit. Idem Marcantonius cum comœdiam valde prolixam scriberet, in qua permulti actus essent, ab eodē Bottono sic per ludibrium taxatur: Quid paras? quid moliris? vt tuā agas Comœdiam, totius Sclauoniæ lignis opus est. Cui Marcantonius: At tu, inquit) vt tuam perficias Tragœdiam, tribus tantum modo arboribus indiges. In verbis itē quandoq; occulta significatio est, à communi omniū sensu longe alienissima. Cuius generis fuit illud prefecti nostri clarissimi, cui cum nuper quidam multa de infelici quodā belli duce narraret, qui post multas clades, etsi vnica tandē victoria potitus esset, tamē de illius triumpho, de magnifico apparatu nonnihil addidit, ne illud quidē omisit, quod cum in vrbē ingrederetur, vel luto punico amict⁹ esset. Quod cum præfectus audiret, egregie mehercule factum (inquit) sed sagum illud punicū necesse est esse valde nouitium. Ridiculū quoq; illud est, cum ei respondemus, quod dictum non est, aut id factū esse fingimus, quod est infectum, fieri tamen oportuit. Vt erat illud Andreæ Cosiæ, qui cum nobilē quendam viseret, qui spretis humanitatis officiis, eundē diu pedibus stare sineret, cum ipse interim sederet: grātiam (ait Cosia) habeo, quoniā ita vis morem geram, deinde ipse vnā consedit. Ridendi quoq; nonnunquam occasio datur, cum se quisquā erroris cuiusquam insimulet: Vt cum ego non ita pridē ducis Capellano dicerem, me alterū cognouisse sacerdotē, qui multo quā ille expeditius missam celebraret: fieri non potest, inquit ille, nam ego

*id est, Infidelem.

Bottonfibula seu retinaculum.

ego nè tertiam quidē Secretorum partem ſoleo recitare. Biaginus quoq; Criuellus presbyterū quendam Mediolani occiſum audiens, illius à duce Sacerdotiū emendicauit. Negauit dux, quoniàm in alterum aliquem iſtuc beneficij conferre decreuerat. Biaginus cum alia ratione perſuadere non poſſet, quid (inquit) obſecro, ſi ego illi⁹ interimendi cauſa fuerim, an non eſt æquū me illius frui ſacerdotio, quod alioqui non vacaret? Illud etiam non paruam habet in oratione venuſtatē cum ea optemus, quæ obtinere non poſſumus. Cuius generis erat illud generoſi cuiuſdam noſtratis, qui cum multos gladiatores vnà de victoria decertantes aſpiceret, & ipſē interim in lecto molliter diſcumberet: ô egregiam (ait) voluptatē! vtinam iſtuc viri fortis atq; militis ſtrenui munus eſſet. Salſa etiā & peracuta jocandi ratio eſt, cū hi quos propter authoritatē grauitatemq; ſuſpicimus, cōtra quam expectamus, reſpondeant, idq; lentè, q. ſuſpenſi, & hæſitantes. Alphonſus I. Aragoniæ Rex, famulo cuidam arma, equos atq; veſtimenta dedit, quoniam ſe diceret ſomniaſſe, hæc illi omnia ab eo tributa. Non ita multo poſt, cum idem ſeruus multos etiam aureos à Rege ſibi donatos per inſomniū vidiſſe affirmaret, præclare Alphonſus: Noli (inquit) inſomniis nimium credere, quæ falſa plerunq; atq; inania ſunt. Pontificis quoq; Romani, Epiſcopi Ceruienſi perſimile reſpōſum erat: qui vt illius animum facilius pertentaret, ſanctiſſime pater (inquit) per totam Romam, imò in ipſo palatio fama percrebuit, me à veſtra celſitudine præfectū eſſe deſignatū. Tum Papa: Homines (inquit) impuri quicquid velint effutiant, tu ſecurus eſto: ego tibi meam aſtringo fidem, iſtos rumuſculos eſſe falſiſſimos. Poſſum hic fortaſſe alios nōnullos facetiarū locos enumerare: vt ſunt illa, quæ per timorem, per admirationem, per minas, den[illegible] per iracundiā proferuntur. His accedunt illa, quæ propterea ſæpenumero ridentur,

*Alphonſi reſponſum*

quia nouitatē in se quandam habent: eadē aliquandō silentij vis est, cum stupore quodam conjuncti: nonnunquā verō per risus salis in se aliquid habet, præsertim si nulla oblata occasione excitetur. Verum de illo jocandi genere, quod in verbis positum est, satis mihi jamdudū dixisse videor. Fere enim his terminis continetur, qui à nobis vicunq; sunt præscripti. Illa v. vrbanitas, quæ operatione quadā actioneq; consistit, etsi partes habeat infinitas, certis tamē principiis circumscribi possunt: verū in vtroq; illud præcipuū est, audientis semper opinionē fallere atq; anteuertere, idq; verè respōdere, quod ille minime expectat. Quod eo majorē plerunq; in se venustatē habet, si vel fraude aliqua, vel dissimulatione, vel scommatē, vel reprehensione, vel cōparatione exornentur. Et quanquam omnium facetiarū ea vis est, vt risum moueant, idem tamen effectus non est in omnibus. Aliæ enim in se purā jucundamq; modestiā habent: aliæ nunc occultam nunc apertam acerbitatem: in quibusdā lasciuia quædā apparet: in multis permagna ad risum, eadēq; repentina incitatio: in nonnullis, quo magis tecum euolueris, eo profusius riseris: in multis pudor inest, in plerisq; iracundia. Verum in omni sermone etiam atq; etiam præuidendū, quo astantiū animi propendeant. Aerumnosis siquidē hominibus, jocus atq; ludicra, ærumnarū incrementa sunt. Quarundam enim ægritudinum ea natura est, vt quo plura iis medicamenta adhibeantur, eo deteriores fiant. Curialis itaq; quoties in vrbanitatem inciderit, vt comes & facetus habeatur, meminerit quid tempori, quid loco, quid illis, qui adsunt, quid suæipsius dignitati cōueniat: in ea semper nō insistat, ne scurrilis dicacitas habeatur, nedū frequentius, quā par est, effectet, ne fastidiosus fiat: virus atq; acerbitatē euitet, ne aut occulte inuidere aut aperte odisse putetur. Deniq; nec gratiosos potentesq; impetat, quod esset stultitiæ; nec afflictos

*Loci in actione positi.*

*Non jocandum cum arumnosis.*

miserosq; quod esset crudelitatis; nec flagitosa commemoret, quod vanitatis; nec in eos inuehatur, quos vrgere non debet, quod esset imprudentiæ. Quorundam enim ea est insciti, vt se putēt toties dicere atq; mordere debuisse, quoties id quoquo modo possunt facere. Quo in genere sunt illi, qui vt ingeniose loqui videātur, nobilissime cuiusq; mulieris famæ parcendū non putant, quod & flagitiosum est, & grauissimo supplicio dignum. Fœminarū siquidē hac in re ea ratio est vt miserendæ potius quam irridendæ videantur, cum arma non habeant, quibus ipsæ se defendant. Verum in istam tam diligentē cautionē illud adjungi debet, vt is, qui se facetū esse velit, aptam quandam à natura fabricam ad omnem vrbanitatem habeat, vt talis ipso vultu, fronte gestuq; appareat: qui quo cōstantior atq; moderatior est, eo omnia argutiora & jucundiora putantur. Verum ad te (Frederice) reuertor, qui cum in hoc tam arido meo arbusculo, rationibusq; jejunis, acquiescere speraſti, adeo te illi[s] jam diu credo pœnituit, vt in illud vile diuersoriū Montefiorense intrasse videare. Probe itaque meo judicio feceris, id quod est viatoris experti, si ex isto te tā ignobili hospitio quā primum expediueris, pauloq; ante horam consuetam surrexeris, quo melius incepto jam itineri consulas. Imò verò (inquit Fredericus) in hospitium adeo commodum & peroportunū delatus mihi videor, vt diutius hic, quam constitueram, persistendū existimem. Acquiescam equidē, donec ista tam grata oratio, expectatum finem pertigerit. Restat adhuc aliquid, de quo initio cōmemineras, nimirū de illis jocis dicere, qui faceta quadā actione seu operatione consistunt: quos in ista Latini sermonis inopia ludicra liceat appellare. Quibus si nos priuatos esse patieris, injuriam facis vniuersis. Verum cum multa nobis egregia de facetiis retuleris, in iis nobis Principum, Imperatorum, Pontificū exemplo confirmaueris, non dubito,

*Faceti natura.*

*Ciceronis imitatio.*

*Joci in actione consistentes, ludicra appellantur.*

quin etiã in ludicris tantũ nobis animi atq; audaciæ addideris, vt eandẽ in teipſum contorquere non pertimeſcamus. Subridens hoc loco Bibiena, nę tu quidẽ (ait) in eo prim⁹ eris, ſed nec aliquid fortaſſe pronciés: adeò enim ſæpe iiſdem jam antea ludificatus ſum, vt valde mihi cauere ſoleam, nõ ſecus quam canes, qui vbi aquas calidas perſenſerunt, frigidas etiam exhorreſcunt. Sed quoniam de iſtis pariter me aliquid vis dicere, pauciſſimis mihi videor iſthuc negotij poſſe abſoluere. Ludicrũ ſiquidẽ (mea ſententia) nihil aliud eſt, quam facilis quædam & amica fallacia, quæ aut omnino diſplicere non poteſt, aut certe perexigue. Et quemadmodum in facetiis ridetur, ſi præter ſpem reſpondeatur, ita quoq; in ludicris, ſi quicquam præter opinionem agatur. Quiſquis enim illa ſine diligenti quadã ratione aggreditur, eundẽ ſæpenumero offenſæ, aliquando rixæ, nonnunquam inimicitiæ conſequuntur. Ex eiſdem vere locis illa deriuantur, quibus ſales & facetiæ: qui ne ſæpius repetantur, hoc vnum dico, ludicri duo eſſe genera, quorũ vtrunq; in plures deinceps ſpecies diſtribuere licebit. Horum vnũ tum demum perſpicitur, cum jucunda quadã ſubtili arte quiſquã decipitur. Alterum cum poſitis q. tendiculis homines ſic ineſcam⁹, vt vltro ipſi ſeſe circũueniant. Primũ illud eius omnino generis eſt, cuius illud fuit, quo Caſtilio quidã Hiſpanus vſus eſt, vt duabus fœminis illuſtribus (quas nominare non libet) fucum faceret. Et quorſum obſecro (inquit Duciſſa) nõ libet nominare? Nollem equidẽ (ait Bibiena) grauiter eas & iniquo animo ferre, quæ dicam. Tum arridens ſuauiter Duciſſa, non eſt hercule (inquit) vt reor, inciuile, etiã apud magnos viros lud cre verſari. Sæpe id Duci Frederico, Alphonſo Aragoniæ Regi, Iſabellæ Hiſpaniarum Reginæ factitatũ audiui, & tamen non modo non ægre eos tuliſſe, ſed ſummis etiam beneficiis eos affeciſſe, qui id facerent. Hic Bibiena: Ne iſta quidem ſpe-

spe adducor, vt eas nominem. Perge igitur, vt voles, inquit Ducissa. Tũ ille: Non ita multi dies elapsi sunt ex quo in eam aulã, de qua nunc agitur, Bergamascus quidã peruẽnit, vt nobili cuidã aulico inseruiret in cõcinne omni ex parte vestit⁹, vt quanquã per omne tempus ætatis, armentis, pecudibusq; excubasset: tamen quamdiu taceret, equidem strenuum judicares. fœminis interim hisce nobilib. serio relatũ est, Hispanum quendam Cardinalis Borgiæ famulum, nomine Castilionẽ hominem peracutum, musicũ, saltatorem egregiũ eo loci peruenisse, quem cum propter nominis celebritatẽ vehementer conuenire desiderarent, emiserunt qui eundẽ inuestigarent: cumq; illum honorificentissime excepissent, sedere jubent, imperare quid velit, deniq; caute eundẽ & curiose alloquuntur, cum pauci interim, qui interfuerunt, bubulcum esse Bergamascũ satis cognoscerent. Quem cum ab istis mulieribus tanti fieri vidissent, rident homuncionis rusticitatẽ, eoq; magis, quia ille semper natiuo, id est horrido, incultoq; sermone vtebatur. Verũ istæc proinde omnia jucundiora fuerunt, quia nobilium quorundã astu fœminis hisce persuasum erat, fuisse hunc veteratorẽ callidissimũ, omnesq; linguas percalluisse, præsertim verò Mediolanensem. Vnde illum omnia consulto ementitũ putabant, & sæpius se inuicẽ cum admiratione intuentes, dij boni (inquiunt) iste homo barbarã & illam rudẽ linguã quam preclare imitatur. In isto errore cum aliquantulũ perstitissent, lateribus omnes ridendo doluerunt, deniq; & ille quam nobili loco nat⁹ esset, satis certis indiciis ostendit, & fœminæ tandẽ aliquando nõ sine magna molestia qui vir siet, plane persentiunt. Istius generis ludicra indies videre licet, sed ea omnino sunt longe jucundissima, quæ primum terrorẽ nobis aliquẽ injiciũt, deinde tutos & securos reddũt. Ridem⁹ n. profuse, cũ ita nos deceptos intelligimus, vt cum nihil timendũ esset, valde tamẽ

*Bergamascus Bubulcus.*

*Ludicrum facetum.*

timeremus. Cum in Paglia aliquando peregrinarer, ita casus ferebat, vt eodem tẽpore tres facundi Comites eo ipso in loco vna essent, quorũ duo Pistoienses, tertius Pratensis erat: hi cum primum cœnassent (vti plerunq; fit) tesseris chartisq; pictis ludunt, in eoque ludo ita profuse diuq; restiterunt, vt vni Pistoiensium nihil omnino pecuniæ restaret, adeò vt post innumerabiles execrationes & perjuria cũ se cæteraq; omnia diris stigibusq; deuouisset, lecto se somnoq; cõmittit. Alij cum aliquandiu lusissent, in eum qui dormitum iuisset, ludicro aliquo vti constituunt, eumq; cum alte dormire perspicerent, candelas omnes ignemq; extinguunt, strepitũ deinde magnum edunt, easq; voces serio emittunt, quas illi solent, qui chartis aliud sſime contendunt. Quibus ille paulũ experrectus, cum eos colloquẽ es ludentesq; audiret, oculos sensim aperit, cumque nihil luminis persentiscceret: Quid malum (inquit, sic tota nocte vociferatis? quod vbi primum dixisset, quieti rursum se dedit. Illi nihil respondent, sed in eo quod sunt exorsi sollicite eousq; persistunt, dum ille magis experrectus mirari cœpit, & plane obstupescere: cumq; nihil aut lucis aut ignis perciperet, quomodo obsecro (ait) chartulas vestras sine lumine videtis? Tum ex his alter, credo hercle (inquit) oculos tibi pariter cum nummis esse exhaustos. An nõ h nas hic lucernas vides? Ille qui lecto attonit⁹ decumbebat cubito se erigit, & quasi ira permotus, aut ego (inquit) cæcus aut temulentus sum, aut tu amentitus es. Illi statim se erigunt, eiq; persuadent jocari se, eisq; prorsus eludere. At ille, mehercule (inquit) nihil video. Illi contra admirari incipiunt, & alter alteri susurrando, vereor profecto (inquit) ne nimis verũ sit, quod dicit: lucernã mihi obsecro porrigito, ne aliquid forte mali in oculis lateat. Nunc deniq; miserr⁹ m⁹ iste se cassum luminib. certissime putauit, & in luctus acerbissimos incidens, ô me infelicem (inquit) qui ita subito occæcatus

catus sum: diuamq; virginē de Loretto precari cœpit vt nuperrimis illis execrationib. & infandis juramentis ignosceret. Non destiterunt duo Comites, illum quoquo modo consolari: affirmantes fieri non posse, quin eos videret, istamq; fortē tantūmodo imaginationē & phantasma esse. At ille, ô dij boni (inquit) non est istuc hallucinatio: nihil o melius video, quam si omnino nullos haberem oculos. Verum ipsi visus (inquiunt illi) satis clarus est deinde alter alteri, vide quæso quam facile oculos aperiat, eosde quam leuiter replicet, quanquam aspectu primo sani pulchriq; videantur. Tum ille perditus mœrorem lachrymasq; iugeminat, & a Deo vindice misericordiā implorauit, Illi contrà hortātur, vt sanctam peregrinationē nudis tibiis pedibusq; Diuæ Virgini de Loretto solenniter deuoueat: seq; interim pollicentur Aquapendentem, aliasq; villas adituros, vt Medicorū opē atq; ministerio vterentur. Hic ille homo lugubris inflexis misere genibus, non sine magna lachrymarum vi, summaq; pœnitentia, sanctissime vouet, nudum se & humilem sanctam Mariam de Loretto visurum, oblaturū porro eidē binos oculos argenteos, nihil carnis diebus Mercurij, ouorū die Veneris velle comedere, deniq; in honorem B. Virginis diebus quibusq; Sabbathi, pane & aqua solenne jejuniū per totam ætatē velle obseruare, modo illa visum eidem non dedignetur retribuere. Duo interim illi Comites in alterum cubiculum ingressi candelā incendunt, & ad istum denuo miserum non sine summo risu redeunt, qui, etsi illos statim dolores (quibus credibile est tuisse confectum) exuere posset, anteriore tamen terrore ita perculsus est, vt non modo non ridere, sed ne eloqui quidem posset. Interim eundem quasi in ecstasin delapsum agitare & conuellere non destituerunt, jubentq; meminisse omnia illa vota proinde præstanda, quia imploratam tam sincere gratiam atq; opem obtinuisset. De altero

*Votum D. Virgini de Loretto.*

illo ludicri genere, i.e. cũ ſeipſum quis decipit, aliud vobis exemplum nõ proponam, quam id, quod mihi ipſi nuper cõtigit. In nouiſſimis enim Lupercalib. ſeu carniſpriuio Cardinalis S. Petri ad vincula (qui ſatis nouit, quam amem cum religioſis hominibus jocari, quoties perſonatus fuerim) Aragonenſi aliiſq; Cardinalib. comitatus (vti Romæ mos eſt) ad vici Mercatorij feneſtras accedit, vt laruatos prætereuntes videat. Cumq; rem omnẽ ex animi ſententia diſpoſuiſſet, ego quoq; illac perſonatus præteriens, Franciſcanum quaſi animo valde ſuſpenſum atque hæſitantem conſpexi. Prædam mehercule optimã nactus videbar, ad eamq; non ſecus quam miluus rapax aduolo. Primum illius nomen ſciſcitor, & hominẽ ſatis agnoſcere ſimulo: deinde illi perſuadeo, Cenſorem jam ciuitatẽ obire, cumq; querelis inſtigatum ſurſum deorſum quærere, nihil vt reliquum ſit, niſi vt mecum Cancellariam adeat, in qua tutus delitescat. Ille tremulus & exanimatus neſcit quid faciat, idq; vnum dubitare viſus eſt, ne ſi procul à Celſi fano ſecederet, manus illi injicerentur. Ego illũ valde cõſolor, & adeo ſe ſibi reſtituo, vt mihi à tergo equum aſcenderet, tum demum gnauiter rem geſtam putabam. Equum cõtinuo per vicum mercatorium præcipitẽ ago, nunc fremitu inſultantẽ, nunc expatientẽ calcibus. Vos interim apud vos perpẽdite, quam operæ pretiũ fuerit Franciſcanum videre, equo vnà cum perſonato inſidentẽ, nunc veſtib. diſploſis, nunc capite vacillante, ſemper quaſi in terram occaſurus. Iſtuc adeo vniuerſos ſpectaculum cõmouebat, vt è feneſtris oua putidiuſcula projicere quiſq; occiperet, tanta multitudine, vt grandinẽ vix credã è nubib. crebrius denſiuſq; decidere. Ea etiamſi me omnia contaminarent, nihil tamẽ faciebam, quia perſonatus eram, omnemq; hunc riſum & cachinnũ non in me, ſed in illum concitatum putabam, adeo vt ſæpius per plateam obequitantẽ, illo malo genio mihi à dorſo &

*Vicus mercatorius, id eſt, Bauclius.*

quaſi

quasi humeris inhærente. Et quanquã ille me obnixe rogaret, vt ei discedere per me liceret, ne illi⁹ habitui tam grauẽ notam inurerem, furtim tamen ab assectis quibusdã oua mutuatus est, & me quasi vehementer complexus ne caderet, eadẽ mihi nunc in sinum, nunc in collum, nonnunquã in fronte compressit: deniq; cũ omnes & me impetendo & deridendo defessi essent, desilit iste nepos, & capite nudato magnam ostentat comam. Et quod multo deterrimũ erat: Quid agitur (inquit) domine Bibiena, me ne ignoras, qui in equili S. Petri ad vincula equiso sum, idemq; qui mulæ tuæ custodiendæ inseruio? Hic ego grauiore ne dolore, an iracundia, an pudore cõmouerer, non intelligebam. Vtcunq; res erat, domũ demisse fugi: nec insequente die in publicum prodire audebam. Nam non solum in id tempus, sed in hodiernũ fere diem ille risus protrahebatur, quẽ cum jam iterũ istis repetendis renouassent, pergit in hunc modum Bibiena. Est illa etiam nõ injucunda ludicri ratio (quemadmodũ in facetiis) cum aliquem credimus id velle facere, quod re ipsa non est facturus. Ego cum vespere quodam in fani Leonis ponte vna cum Cæsare Bocadello essem: quoniam neminem adesse videbamus, quasi ad palestram accingeremur, alter lacertis alterum cõprehendim⁹: id dum joco facimus, prætereunt forte fortuna duo Galli, nosq; serio contendentes suspicati, pugnam conantur dirimere, & quæ res sit, sollicite exposcularе. Tum ego, ferte) inquã) obsecro, opẽ, infelix iste homo certis quibusdã temporib. lunatic⁹ est, jamq; mirifice obnititur, vt se de ponte in flumẽ præcipitet, Illi continuo accurrunt, mecumq; comprehendunt fortiter. Ille me sæpe stultum & dementem appellans, valde contendit è manibus se nostris proripere. Quoq; id faciat serius, hoc illi eum constringunt durius. Populus interim (vt est auidus contentionum spectator) vndique se circumfudit, & vt quisque robustior erat, ita

*Bocadelius*

ita Cesari manum velocissime injicit. Ille cum jam ita efferbuisset, pugnis pedibusq; proximos quosq; obtrudit, & quãto majori impetu hoc facit, tãto certiora illius insaniæ argumenta colligunt : adeoq; fortiter comprimunt, ne in flumẽ feratur, vt distractum, contortum, iracundia pallidum, furentẽ, pileo vestibusq; spoliatum, ad diuersorium per vim deportarent: ita nihil profecit cõtradicendo, & quia Galli minime intelligebant, & quia ego, qui illos adjuuabam, semper hominis stulti miseriq; insaniã deplorabam. Ludicra igitur (vt jamdudũ diximus) latissime patent, eosdem tamen locos habent, quos facetiæ. Infinita etiam eorundẽ quotidie exempla videmus, sed ea sunt omniũ jucundissima, quæ à Boccatio in suis nouellis recitantur: vt ea, quibus Bruno & Buffalmacco in Calandrinũ & Simonẽ sunt vsi. Aliæ sunt etiam fœminarũ fabulæ, quæ & facetæ sunt & peracutæ. Multos equidem noui in isto genere præstantes viros, sed vnũ inter cæteros egregium, Pontium Sicilienſem, qui Patauij jamdiu studuit. Is cum rusticum quendã vidisset, qui captos duos altiles venales habebat, eosdẽ emere simulauit, cumq; de pretio consensum esset, eundẽ orat vt cum eo vnà ad cubiculum eosdẽ deferret, quod si faceret, præter constitutas pecunias aliquid quod ederet daturum. Annuit rusticus : Pontius deinde illum ad Pyramidem deducit campanariam, circularẽ, rotundam, ab ecclesia omni ex parte diuisam, prope quam Angiportus erat. Vbi cum paulum constitissent, ego (inquit Pontius) istos capos cum socio quodam meo deposui, istius Pyramidis circuitum non esse quadraginta pedum, & vt hoc prius experiar, quam domum venerimus, crassius istuc filũ comparaui. Quod cum è manica depromeret, vnum ipsius finem rustico dat, eumq; jubet consistere, ipse reliquum tenet: quo cum Pyramidẽ demetiri conaretur, ex opposita parte, vbi diuerticulum erat, filum clauiculo parieti affigit, ipse inte-

*Nouellis, id est, fabulis.*

*Pontius Patauien-sis.*

interim cum capis per angiportũ discurrit. Rusticus cum aliquandiu stetisset, mensuræ exitũ præstolatus, quid (inquit) agis: quid tantisper moraris? Quod cum crebrius iteraret, quid rei erat videre cõstituit; cumq; eo peruenisset, vidit filũ non à Pontio, sed à clauo teneri. Exiguum mehercule duorũ caporum pretium. Multa istius generis alia de Pontio commemorantur, & apud majores nostros de Gonella Meliolo, aliisq; nonnullis. Hodie verò Seraphinus & Marianus, & alij quos cognoscitis innumerabiles, cũ primis celebres existunt. Ista mehercule jocandi ratio in his laudatur, qui nihil aliud profitentur. Verum Curialis nostri ludicra immoderata quadm & illiberali licentia vacare debent. Cauere sane oportet, ne dũ jocosus esse velit, furacẽ aliquando putent. Vt multi circulatores & circumforanei qui vulpina quadã astutia freti, nusquam non excurrunt, variamq; personam induunt, vt quidvis sordide lucrentur. Nihil itaq; acerbe, nihil violenter faciat: mulierũ in jocando, quemadmodũ reliquis in rebus præcipuam quandam rationem habeat, præsertim si quid sit, quod earum honestati, pudicitiæq; possit officere. Tum Gasparus: Nimiũ sane propenso in mulieres animo es. Cur obsecro virorũ in fœminas major, quam fœminarum in viros respectus, cautioq; adhibetur? Nõne tanti nobis honos noster esse debet, quanti illarũ illis esse solet? Num mulieribus liberum erit homines dictis sententiisq; cõfigere, illi verò vel prorsus obmutescent vel gratias agent? Non negarem equidẽ (inquit Bibiena) eisdem legib. teneri mulieres joco ludicrisq; quibus viri addicuntur: majore tamen libertate homines illæ notare possunt, si quid in vitã erratũ sit, quam illas viri. Quoniam ipsi nos quasi jure quodam stabilitum esse volumus, ne vobis fraudi sit, aut ignominiæ, liberius aliquanto viuere. In fœminis verò tanti momẽti est infamia, vt siue vera siue falsa, haud facile deleri poterit. De illarum itaq; pudicitia, quo-

*In jocando mulierum pudicitiæ parcendũ.*

quoniam adeo anceps atq; periculosus sermo est, aliis in rebus vrgeantur, illam nefas sit contingere. Cum enim ridiculi ea vis sit, tã grauiter vt vrbanis limitib. egreditur, qui generoso jam antea sunt præscripti. Hic cum paulũ respiraret Bibiena, Huic libertatis nostræ scrupulo (ait Fregosus) sic poterit Gasparus satisfacere: nimirũ fœminis (quoniã viris imperfectiores indignioresq; sunt, nulliusq; ex seipsis virtutis participes) frænos quosdã esse injiciendos, vt quod sua spõte non facerent, ignominiæ & turpitudinis metu aggrederẽtur. Continentia vero in illis maxime necessaria putatur, vt certi⁹ nobis de liberis nostris constet. Necessitas itaq; hominb. videtur imposuisse, vt omni artificio atq; industria mulieres ad eandẽ impellant: in reliquis v. rebus, quam laxissimas habenas cõcedunt, nihilq; existimare solent, illæ quantũcunq; infeliciter & præpostere faciant. Cum itaq; mulierculis directæ rationis cursu atq; tramite in cæteris omnibus recedere liceat, si in illis reb. eas mordere conemur, quas judicio nostro eis concessimus illæ minime cõmotæ, nos minime faceti videbimur. Risus n. (vt à te præclare dictum est) rebus cõmouetur inter se dissidentibus. Tum Ducissa: Siccine Fregose de mulierib. disputas, & quereris tamen, quod te non ament? Non queror hercle (inquit Fregosus) quin grates potius ago. Nam me cum minime diligant, nec ego vicissim deuinctus sum, vt illas amem. Neq; meam nunc sententiã interpono (tantũ eas rationes ostendo, quas Gasparus jam antea proferre potuisset.) Operæ pretiũ certe mulieres facerent (inquit Bibiena) si te & Gasparum tam graues inimicos reconciliare possent. Non sum equidem inimicus (inquit Gasparus:) sed tute videas, ne cum viris inimicitias exercere videare. Nam si mulierum verecundiam vsq; adeò intactam esse velis, istam illis quoq; legẽ imposuisses, ne ea in re viros aliquando taxarent, quæ nobis non minus chara est, quam

sua

Tua fæminis pudicitia. Cur enim Alfonso Carillo non æque licuit dicere: *Sperabam te me in maritum velle emendicare*, quam Boadillæ: *Putabant omnes fore te laqueo suspensum?* Cur Richardo Minutolo minus licebat Philippelli yxorē ad illas Bajas pellicere, quam Beatrici fas erat, Eganum maritū de lecto euocare, vt idem ab Anichino vapularet, cum quo paulo antea concubuisset? Quid de altera illa, quæ cum filū digito alligasset, maritū dubitare coëgit, num apud se esset? Istæc tu mulierum ludicra apud Boccatium dicis esse facetissima. Subridens hic Bibiena, Cum (inquit) mihi id solum oneris imposueritis (viri optimi) de jocis vt disserā, ego constitutos mihi fines nō prætereo. Iustas equidē mihi videor jam pridem rationes adhibuisse, cur mulierū verecundiæ parcererur, eisq; itidē interdixi, ne viros aliquādo exulcerarent. Verū illa ludicra quæ à te Gaspare recitata sunt, etsi aliquā in se notam habeant, omnino tamen mihi non displicent: præsertim illud Alfonsi, quoniam vel ita longe petitum est, vel ita ingenue reconditū, recte vt possit affirmari, in alium omnino finē protulisse, Aliud illius in eandem audiui multo mea sententia acerbius & inhumanius. Cum n. regina per Boadillæ domū præterueeta esset, animaduertit casu Alfonsus per parietes omnes atq; portas huiusmodi turpia & infanda animalcula, qualia in diuersoriis obscuriorib. depingi solēt: quocirca ad Comitissam Castagnetēsem accedens, Vide quæso (inquit) immanium ferarum capita, quas Boadilla insectando venandoq; enecat. Hæc etsi apta & peracuta metaphora esset, & à venatoribus deriuata, qui laudi sibi gloriæque ducunt, multarum belluarum capita foribus affingere: inhonesta tamen jocandi ratio est, eoq; inuisior & infestior, quia nemini respōdebatur. Majorem siquidem veniam responsum habet, & quia prouocati, & quia ex improuiso dicimus. Verum vt ad mulierū ludicra redeam⁹, ego equidē illas nō hortor mari-

*Superius est istuc responsum.*

maritos vt fallant: quasdam tamen earum fallacias à Boccatio descriptas, à teq; ipso modo cõmemoratas; satis cõcinnas puto & ingeniosas. Illud tamẽ Richardi Minutoli, multo acerbius est, quam illud Beatricis: minusq; illa Egano marito, quã ille Philippelli vxori inc̃modauit. Ille enim astu eam pellexit, vt id faceret quod nollet: illa maritũ non fefellit, nisi vt id faceret quod vellet. Tum Gasparus: Nulla Beatricis justa excusatio est nisi amoris, quam viris fœminisq; ex æquo cõcedi puto. Amoris sane affectiones (inquit Bibiena) magnam in se habent cuiusq; erroris excusationem: id tamen cuiq; amantium religiose obseruandũ puto, vt quemadmodũ cæteris in rebus, ita quoq; in amore simplice veritate sine fuco vtatur. Nam si adeo horrenda sit, etiã in hostẽ proditio, quid erit in eos, quos intime amamus? Ego equidẽ amatores sinceros, eas pœnas, vigilias, pericula, lachrymas, molestias puto perpeti, omnes illas placendi rationes inire, omnes impetrandi illecebras excogitare, non vt amatæ mulierculæ corpusculo libidinose fruantur, sed vt menti purissimæ dominentur, eamq; glaciẽ plusquam Adamantinam resoluant, quæ tenerrimis fœminarum pectoribus sæpenumero delitescit. Hanc ego solidam voluptatem, sinceram affectionẽ, finem deniq; illum opinor, quo animꝰ vere generosus, omnes suas actiones dirigit. Quod si ego mulieris cuiusdã amore deflagrarem, majori mihi emolumento atq; voluptati putarẽ, si eam me ex animo amare cognoscerẽ, quam si eadem inuita ad satietatem vsq; fruerer: dominum siquidem me tum putarẽ spirantis mortuę. Quicunq; igitur istis ludicris (quæ verius fortasse insidiæ nominari possint) d quod volunt consequuntur, cæteris injuriam inferunt, nec eam tamen suauitatem percipiunt, quæ amori debetur, cum solo corpore sine voluntate potiantur. Idẽ de illis statuendũ existimo, qui carminibꝰ, philtris, susurris somniferis, vi etiã aperta quan-

*Amori venia danda.*

*Corporis sine animo nulla possessio.*

quandoq; in amore vtuntur. Munera etiam atq; dona amantium voluptatib. nonnihil detrahunt: cum jure dubitari possit, suorũ ne ipsorum, an munerum gratia diligantur. Fœminarum itaq; illustrium amores permagni æstimantur, quoniam ex alia causa, quam sinceriſſimo quodam affectu emanare non possiunt. Fere enim non fit, vt se inferioribus insinuent, nisi valde diligerent. Non nego (inquit Gasparus) omne amantium industriã, lucubrationes, molestias, animi potius victoriã, quam corporis spectare debere: tamen dico, istas fallacias (quas tu in viris insidias, in fœminis ludicra appellas) optima esse media atq; destinata, quib. ad finem perueniatur. Quisquis enim corporis dominus est, idem quoq; animum possidere videtur. Nam Philippelli vxor (si probe memineris) etsi illam Minutoli fraudem multis lacrymis prosecuta esset, tamen cum paulo postea in memoriam reuocasset, amantis oscula mariti sui quam multo suauiora essent, omnẽ istam acerbitatem in amorem conuertit, & Minutoli ex eo semper summo desiderio tenebatur. Vides igitur, quod diuturna consuetudine, infinitis muneribus, multisq; precibus obtinere non potuit, id hilari vnius noctis insania effectum esse: adeò istud sine ludicrum siue insidiæ ad animi istius tam inexpugnabilem arce obtinendam valuerunt. Falsa mehercule conclusio (inquit Bibiena) animos semper mulierum ab eis possideri, à quibus corpora. Tum enim omnes ex æquo fœminæ maritos diligerent, quod falsum esse cognoscimus. Verum Boccatius ille (cui tu tantũ tribuis) mulieribus absq; ratione (quemadmodũ tute videris) ex professo hostis fuit. Non sum certe hostis (inquit Gasparus) illud tamen vere ausim affirmare, perpaucos viros, quorum spectata virtus est, fœminas vel tantuli æstimare, etsi id nonnunquam simulent, cum ita ferat occasio, vsus atq; necessitas. Tum Bibiena, istæc (inquit) oratio nõ mulierculis soliu injuriosa

est, sed illis etiam hominibus, qui easdem suspiciunt, & reuerentur. Sed ego de ludicris pergam dicere, nec vnquam tam difficilem mulierum defensionē contra aduersariū tam graue suscipiam. Huic itaq; sermoni finem imponā, qui longior fortasse videtur quam par erat, aliquando etiā injucundior, quam expectabatur. Et quoniam istas ego dominas adeo modeste video cōsistere, omnesq; injurias ita æquo animo sustinere, non dubitabo posthac in Octauiani sententia acquiescere: nimirum dum earum pudicitiā verbis non violemus, reliquis in rebus ignominiosam dicacitatem eas nihili pendere. Magna hic mulierū pars in pedes sese erigunt: & quoniam Ducissa signum dedit, in Gasparum continuo ridentes feruntur: & vt Orpheum quondā debacchantes illæ, ita quoque Gasparum istæ conuellere simulantes. Nunc (inquiunt) videris, num nostra nobis fama parui momēti fuerit. Ita insurgendo, ridendoq; somnus, qui omnium jam fere oculos oppresserat, omnino excussus videbatur. Tum Gasparus: Videte obsecro (inquit) quam egregia rationum momenta habeant, quæ rationū vice, vim atq; minas adhibent: quod quoniā ita est, relinquamus verba, & cum verberibus liceat discedere. Non licebit (inquit Aemilia) nam tu cum Bibienam longa oratione anhelantē atq; fessum videris, in mulieres gnauiter inuehi cœpisti, neminē putans superesse aduersarium. Verum in aciem istam, militē recentem, eumq; strenuum mittem⁹, qui tecum ista quā speras impunitate digladiabitur. Deinde in Iulianum conuersa, qui hactenus fere conticuit: Tu (inquit) honoris muliebris vbiuis gentium patronus existimaris. Nunc est cum illo te nomine dignum ostendas, & quanquā vix satis præmij jam antea tuleris, id tamen nunc cogita, cum inimicum tam infestū profligaueris, omnes tibi mulieres deuincies: quæ si quando parem tibi gratiā non retulerint, in omnem tamen æternitatē isti⁹ beneficij obli-

obligatio propagabitur, Tum Iulianus: Multum certe honoris inimicũ videris tribuere, amico parum, cum in mulieres à Gasparo nihil dictum sit, quod à Bibiena nõ sit abunde refutatum. Isti⁹ profecto rei vnusquisq; credo nostrum satis sibi conscius est, hominem vere curialẽ quã probe deceat, mulieres plerasq; reuereri. Vix enim humanum vel prudentem judicamus, qui earum vitæ atq; moribus notam aliquam inurat, siue serio id fiat, siue simulate. De rebus itaq; tam apertis & peruagatis disputare, nihil esset aliud quam de manifestis dubitare. Octauianum equidẽ rationis metas pręteriisse puto, cum mulieres diceret natura esse imperfectas, nec virtutis cuiusquam ex se capaces, nec alicuius momenti, si cum hominibus conferantur. Et quoniam quorundã autoritati tantum tribuimus, vt eisdẽ credamus, siue minus vere, siue minus serio loquantur: adducor hercle, vt credã Gasparum in Octauiani verbis facile nimium acquieuisse, cum viros sapientes diceret, fæminas nihili facere, quod est à veritate alienissimum. Vix enim egregium virũ reminisci possum, qui mulieres permagni nõ æstimauerit: quarum ego virtutes, atq; dignitatẽ hominũ rebus gestis nusquã postponerem. Tamen si in cõtrouersiam atq; dubiũ ista mulierum causa veniret, vereor ne ea apud nos minus valeret, quia Curialis adeo omni ex parte absolutus à nobis descriptus est, vt quisquis diuinum illius ingenium virtutemq; contempletur, mirum ni mulierũ actiones ab eo lõge abesse existimet. Verum si æqua lance librare ista velimus, homines nõ minus acuti atq; eloquentes, quam Ludouicus Comes atq; Fredericus optandi essent, qui fœminam perinde aulicam omnibus tum animi, tum corporis dotibus ornatã nobis proponerent, vt ille noster curialis ab illis homnibus est honorificentissime expositus. Quod si fieri posset, nõ dubito (veritate pręsertim suffragante) quin illud plane perspiciatur, non esse minores mu-

*Viris sapiẽtibus fæminæ gratæ sunt.*

*Aulica fœmina fabricanda est.*

lierum, quam hominum virtutes. Imò verò multò majores (inquit Aemilia) dq; vel ex eo liceat judicare, quod virtutes omnes fœminini generis sunt; errores verò vitiosi masculini. Arrisit hic Gasparus, & in Nicolaum Phrisium conuersus: Quid tibi (inquit) Phrisi de istis videtur? Doleo equidē (inquit Phrisius) Iulianum, cum sapiens sit, Aemiliæ blanditiis adeò delinitum & eructum esse, vt id proferre non dubitet, cuius me illius gratia vehementer pudet. Subridens hic Aemilia, Imò tua te ipsius causa pudebit (inquit) cum Gasparum videris rationum momentis superatum, & tuum, & suiipsius errorem confiteri, eamq; veniam efflagitare, quam illi nos non concedemus. Tum Ducissa, quoniam (inquit) sero jam est, illud totum in crastinum differemus: & Iuliani consiliis adducti, priusquam ad disputandū progredianur, fœminam aulicam vnà adducemus, omni virtutum genere non minus instructam, quam Curialis ille, qui ab istis nobilibus adeo curiosè institutus est. Faxit Deus (inquit Aemilia) vt nemini hoc negotium demus, qui cum Gasparo tacite sentiat, ne pro mulierc illustrissima, culinariam nobis aliquam, aut operariam proponat. Certe quidem (inquit Phrisius) hæc sunt mulierum officia, nisi nimiū forte vobis ipsis placueritis. Tum Ducissa: Magni mehercule mihi in Iulianum reposita spes est, qui non dubito (quo est acumine atq; judicio) quin illud omne, quod in muliere perfectum atq; exquisitum esse potest, luculentissimis verbis exprimet: ita penum instructam habebimus, quo falsas Gasparī accusationes refellamus. Nescio equidē Sereniſſima (inquit Iulianus) an consilium in ea re tuum approbem, quod istam mihi tam lubricam & scopulosam prouinciam imposueris. Nam, vt ingenue fatear, satis sentio, quam imparem tantæ rei facultatem habeam. Neque verò Comiti, aut Frederico vlla ex parte conferendus sum, quia inaudita quadam facundia eum

nobis

nobis Curialem efformarunt, qualis hactenus nemo fuit, neq; (vt credo) vnquam erit. Tamen si ita vestræ serenitate videbitur, istud onus suscipiam, iis conditionibus, quibus superiores illi: nimirum cuiq; vt liceat, quoad volet, obijcere: quod ego non contradicendi studium, sed disserendi adjumentum putabo. Quo cum errores quosdam interdum reuocauero, absolutam illam, quam quærimus, Aulicam, tandem fortasse aliquando reperiemus. Spero sane, inquit Ducissa, adeò solidam tibi orationem fore & accuratam, parum vt contra, adferri possit. Huc itaque animum aduorte, in eoque cogitationes omnes altius defige, istamque fœminam sic effinge, vt nostros aduersarios pudeat affirmare, eam non esse cum viro curiali comparandam. Ftedericus interim sileat: nimis ille quidem accurate suum virum exornauit cum eidem fœmina nostra conferenda sit. Parum aut potius nihil restat, ait Fredericus, quod vltra adjiciam: & si quicquam animo jam antea conceperam, eadem omnia Bibienæ facetiæ atque ludicra excusserunt. Si ita res est, vt ais, inquit Ducissa, istuc rursum crastino mane reuersi, vtrumq; laborem absoluemus. Quod vbi primum dixisset, omnes continuo erecti, & summa cum reuerentia Ducissæ (vale) dicentes, cubiculis sese suis committunt.

# DE CVRIALI SIVE AVLICO

## Liber III.

PYthagoras ille egregius jam olim Philosophus (vti memoriæ proditum est) subtili quadam & exquisita indagatione Herculei corporis mensuram solertissime inuestigauit. Spatiũ siquidem illud, in quo vnoquoque lustro Olympiades in Achaia prope Elidem coram Iouis Olymplici templo celebrabantur, ab ipso Hercule emẽsum cognouerat. Cuius cum stadium sexcentorum & vigintiquinque pedum esset, & illis tamẽ stadiis aliquanto spatiosius, quæ à posteris illius in nonnullis Græciæ partib. constituta erant (cum totidem tamen pedes continerent) facile Pythagoras ex illa proportione animaduertit, quãto Hercules reliquis hominib. pede longior esset: cumque corporis magnitudinem ex pede collegisset, eundem reliquis tanto proceriorẽ dijudicauit, quanto illius stadium cæteris omnibus longius & spaciosius extiterat. Tu itaq; mi Alfonse, eadẽ omnino ratione ex ista tam exili totiꝰ parte conjectura facile consequi poteris, Vrbinatium aula quanto cæteris omnibus Italiæ regiis augustior fuerit, atq; excellentior. In qua si ludi omnes, jociq; (quibus ad animi tantummodo relaxationem vtimur) reliquarum ciuitatum oblectamentis superiores fuerunt, quid de virtutũ exercitijs atq; operationibus dicendum erit, quibus omnium illic animi deuoti, atq; cõsecrati videbantur? De istis sanc rebus (nescio quomodo) sed confidenter tamen

*Pythagoræ exemplum aptissimũ.*

præ-

prædicare libet. Neq; hercule valde extimesco, num mea fides in dubium cuiquam veniat, cum eas antiquitates non coner attingere, in quibus, quicquid libuerit, liceret effingere: sed eos tantum homines oratione illustrare, quorum res gestæ vitæq; consuetudines, recenti, eademq; fideli viuentium memoria confirmantur. Ego verò, si quid in me ingenij atque industriæ sit, omnes neruos intendam, vt hanc tam incredibilem illius aulæ celebritatem, ab obliuionis inuidia vindicem: eosq; homines posterorum nostrorum animis ita prorsus quasi viuentes spirantesque relinquam, vt huius ætatis felicitati nonnulli forsitan deinceps inuideant Nemo siquidem omnium est, qui cum de rebus antiquissimis legerit, majorem animo earum opinionem non concipiat, quam scriptorum quisquam licet exactissimorum exprimere poterat. Nostrũ quoq; istuc qualecunq; opusculum, vbicunq; in hominum manus ceciderit (nisi forte virorum fœminarumq; nobiliũ aspectu indignum videatur) non dubito, quin facile effecerit, vt Vrbinatiũ Aulam longe illustriorẽ existiment, quam quæ a nobis crasso & leuidensi filo depingitur. Quod si tanta in me eloquentia esset, quanta illorum hominum virtutem gloriamq; exæquaret, alio suasu atq; testimonio illis non esset opus, qui ista nunquam conspexerunt.

Cum igitur omnes insequenti die in locũ sese consuetum recepissent, summoq; silentio vsi cõsedissent, in Fredericum atq; Iulianum oculos vniuersi conjiciunt, & quis eorũ huic tam opratæ disputationi felix principium daret, vehementer expectant. Tandem Ducissa cum aliquandiu conticuisset: valde, ait, Iuliane, desideramus vniuersi, istam tuam tam præclaram mulierculam intueri: quam si adeò vndiq; nobis ornatam non proposueris, vt omnis illius venustas atq; pulchritudo perspiciatur, nos te fortasse suspiciosum & zelotypum suspicabimur. Ego illam, Serenissima

(inquit Iulianus) si formosam judicarem, alio ornatu minime perpolirē, quam quo tres illę deæ vtebantur, cum à Paride conspicerentur. Verum in eadē vtcunq; exornanda, nisi istæ dominæ mihi subsidiariam opem præstiterint (cum optime id possint) vereor ne non Gaspar solum & Phrisius, sed reliqui etiā istius societatis viri nobilissimi eandē aspernentur. Et quoniam eadē adhuc satis venusta existimatur, melius fortasse fuerit, eandē paululum celare, & Fredericum potius audire, quid sit, quod de curiali dicendū restat: quem ista mea femina necesse est multo fore præstātiorem. Mihi quidem (ait Fredericus) si quid in animo etiamnum restiterit, non est adeo necessarium, quin idem sine dispendio omitti possit: imò fortasse omnino diversum atq; alienum est ab eo, quod à me jam antea dictum est. Et quid illud obsecro est, inquit Ducissa? Constitueram equidē, inquit Fredericus, de ordinibus quibusdam Equestribus dicere, insignium varietate celeberrimis. Vt est illud de S. Michaele apud Gallos, de aurea Perisscelide nomine S. Georgij apud Anglos, de aureo Vellere apud Burgundios. Istuc etiam putabam adjicere, quib. modis istæ dignitates conferuntur, quibus etiam male meritis auferuntur, quibus initiis sunt ortæ, qui illarum authores fuerint, deniq; in quem finē sunt institutæ, quoniam eos homines in omnibus aulis illustriorib. permagni fieri videmus. Ne id quidē omittere decreueram (nisi forte temporis angustiis exclusus essem) de diuersissimis Aularum Christianarum ritib. & cōsuetudinibus, de Principum familitiis & conuiuiis, de spectaculis dicere. Quod dum facerem, cōmode mehercule magnus ille Turcarum imperator & Persarum Sophus sese mihi obtulissent. Nam cum ex nonnullis illarum regionū mercatorib. audiuissem, nobiles illarū gentium homines magnam virtutem atq; humanitatē in dictis factisq; præstare, dum vel secum vnà, vel cum mulieribus com-

*Pallas, Iuno, Venus.*

*Perisscelidē auream Le landus appellat.*

*Turcæ & Sophi aulæ celebres.*

commercium haberent; in armorum verò exercitiis & jocosis quibusq; concertationibus magnificos esse, aut potius admirabiles: vehementer sane intelligere desiderabam, quibus demum modis ea conficerent, quæ maximo pretio apud eos habebātur: qua potissimum in re illorum magnificentia, & vestimentorum splendor cōsisteret: quomodo à nostris discreparent, quousq; conuenirent: qua humanitate viri à mulieribus exciperentur: postremo, qua modestia illis fauere solent fœminæ, qui eisdē amando inseruient. Verum (vt ingenue fatear) non est nunc narrandi locus, cum alia dicenda fuerint, nostro etiā proposito multo magis conuenientia. Imò verò (inquit Gaspar⁹) & hæc & alia istius generis nonnulla, cum re proposita melius cohærent, quā aulica hæc mulierecula: cum eæ regulæ quæ de viro curiali præscribūtur, fœminis etiā optime consentiant, quæ & loci, & temporis, & reliquorum etiam præceptorum (quantum sexus imbecillitas patietur) rationē habere debent non minus diligentem. Quocirca meo judicio præstiterit formulā quandam & quasi præcepta tradere, vel quomodo principi optime inseruiat, vel quomodo corporis exercitiis vti deceat, id est, equitare, luctari, arma tractare: quorum difficultates cognitas perfectasq; habere operæ pretiū erit. Arrisit hic leuiter Ducissa: Et principes (inquit) viros adeò egregios in sua familia vix vsquā habent. Corporis verò exercitia Petro Montano nostro relinquemus, Iuliano vnicam istam fœminā exornandam tradimus: quam tute jamdudum extimescere mihi videre, cum ex isto nos sermonē in alium consulto auoces. Absonum certe (inquit Phrisius) aut saltē minime necessum est, de muliere fabulari, cum aliquid supersit de viro curiali dicendum: neq; sane conuenit res adeo natura disjunctas simul commiscere. In magnum errorem incidisse mihi videris, inquit Cæsar, nam vt aula quantumuis illustris & eximia, splendo-

*Mulieris aulicæ ornamenta.*

rem, pulchritudinemque videtur amisisse, nisi in ea mulieres frequentissime sint: ita nec Aulicus res magnas & magnopere expetendas aggreditur, nedum sermonem artificiosa illa comitate atque vrbanitate temperatum inire poterit, nisi cum fœminis commercium atque consuetudinem habeat, quarum aspectu, præsentia atq; applausis omnia clariora atq; perfectiora fiunt. Arrisit hic Octauianus: Et ô fallacem (inquit) escā, qua si homines aliquando capiantur, confestim desipiunt atque delirant. Tunc Iulianus in Ducissam conuersus: Quoniam tibi (inquit) Spectatissima, ita visum est, non dubitabo, quicquid primum occurrit, dicere, valde tamen hærens, atq; dubius, ne dicendo vobis non possim satisfacere. Minori certe mihi molestiæ esset, mulierem aliquā sic effingere, vt merito totius orbis regina videatur, quam aulicā fœminam omni ex parte absolutam. Huius enim omnino nulla sunt, illius permulta restant exempla, adeo vt si eam coner describere, satis erit dominæ cuiusdā mihi jam pridem cognitæ diuinissimas animæ virtutes mente cogitationeq; cōplecti, easq; dotes verbis exprimere, quas oculis indies perspicimus: & si alia ratione huic muneri satisfacere non possem, tamen vel ipso illius nomine commemorando abunde satisfacerem. Hic Ducissa: Noli (inquit) fines tibi constitutos præterire, quin impositis jampridem legibus animum aduorte, fœminamq; aulicā sic exornato, vt eadē non indigna videatur, cui optim⁹ quisq; inseruiat. Tum Iulianus: Ne authoritate apud me (amplissima Princeps) minus quam æquum est, valuisse videare, etiā illis in rebus, quas ego vix aut ne vix quidem præstare possum; ego istam aulicam pro mea voluntate atq; arbitrio efformabo: deinde si aliam neminē obtinere possum, ego illam Pigmalionis exemlpo, tanquam meam, amplexabor. Neq; vero eadem sum cum Gaspar o sententia,

*Pigmalionis statua.*

qui eadem præcepta, & viro curiali, & aulicæ mulieri

conue-

conuenire existimat. Quædam enim etsi vtriſq; ſint cõmunia, alia tamen ſunt ſolis hominibus propria; nõnulla muliebri conditioni tantũmodo neceſſaria. Idem de corporis exercitiis dici poteſt. Verũ (vti mihi videri ſolet) mores, conſuetudines, voces, geſtus, tota denique fœminarum actio, virorum diſſimilima eſſe debet. Nam vt iſtos conſtans quædã, ſolida ac virilis habitudo decet: ita illas tenera, mollis, delicata & effæminata ſuauitas, inceſſus, ſtatus, motus, oratio, nihil in ſe virile, nihil turbulentum vt habeant. Hæc itaq; principia, ſi illis præceptis adjunxerit, quæ abiſtis hominib. Curiali tradita ſunt, non dubiũ eſt, vt Gaſparus modo noſter, quin ſæpius eiſdem fœmina vti fruique poterit. Nonnullæ ſiquidẽ virtutes perinde fœminis ac viris ſunt neceſſariæ, vt proſapia nobili eſſe, affectationẽ curioſam effugere, decorũ in rebus omnibus conſeruare, humaniter apud quoſque viuere, futuris prudenter proſpicere, nulla ſuperbia, nulla inuidia tabeſcere, nemini detrahere, nuſquã contendere, dominæ (cuicunq; inſeruit) beneuolentiã conciliare, eandem perpetuo retinere, deniq; ſumma cum venuſtate eadẽ omnia exequi & perficere, quæ illum ſexum atq; conditionẽ decent. Forma verò in illa multo magis quam in Curiali neceſſaria eſt. Nam vt plane dicam, quod ſentio, multum illi mulierculæ abeſt, cui forma deeſt. Famæ verò atq; hominũ opinioni multo accuratius, quam virorũ quiſquam conſulere debet: non ſolum vt ipſo crimine, ſed omni etiam crimnis ſuſpicione vacet. Difficilius ſiquidẽ ignominiæ labẽ mulieres effugient quam viri, dum pauciores à natura defenſiones habeant. Sed quoniã primas viri curialis partes in rebus bellicis poſitas eſſe, Ludouicus affirmauerit, illud quoq; mihi neceſſum videtur, de præcipuis aulicæ fœminæ officiis, meã quoq; ſententiam dicere: quod cum fecero, ego maximo impoſiti muneris momento ſatisfeciſſe mihi videbor. Intermiſſis ita-

*Forma fœminis conuenientior*

itaq; paulum animi virtutibus (quas illi cum nostro Curiali cõmunes esse oportet) scilicet prudentia, magnanimitate, continentia, reliquisq; nonnullis, quæ omnibus ex æquo fœminis conueniunt, vt sunt illa, sincerã modestamq; esse, mariti facultates, familiam, liberos solicite curare: illud præterea in aulica requiritur, vt jucũda quadã affabilitate in omni sermone, cum omni hominũ genere vtatur, tanta loci, temporis, personæ, reliquarumq; rerũ consideratione, nihil vt exactius, tanta morum, actionisq; modestia, nihil vt suauius, tanto acumine ac felicitate, nihil vt concinnius appareat; cumq; in se omni tum dicto, tum facto pudicam, prudentẽ, dulcem, jucundã, argutam ostenderit, tum difficilẽ & scopulosam, sed tamẽ vere auream mediocritatem conseruet, quam vtrisq; contrariis septam & quasi obsessam, sine scelere præterire non potest. Nunquam igitur (vt honestior videatur) morosa & difficilis, & ab humano cœtu atq; congressu auersa videatur, etiamsi quicquã in sermone petulantius exciderit, ne dũ se velocj⁹ atq; inhumanius subducat, vereri videatur, ne diutius manendo, occultum in se aliquid & reconditũ prodidisset. Inciuilis ista austeritas, aut potius odiosa rusticitas appelletur. Neq; tamẽ vt comes & faceta habeatur, verborũ obscœnitatẽ addat, nec familiaritate intẽperata & effreni vtatur: ne illud forte videatur, quod reipsa non est. Sin eam aliquando necessitas eo detruserit, vt huiusmodi colloquiis turpiorib. necessariò interfit, astet quasi inuite, audiat, sed tamen leuiter, vtrũq; muliebri verecundia perfundens. Illum v. errorẽ, qui multis cõmunis est, religiose declinare mẽinerit: nimirũ nec ipsa mulieri cuipiã virulenti⁹ detrahat, quod est angusti animi: nec alij detrahenti libenti⁹ auscultet, quod est naturæ deprauatæ. Nam quæcunq; aliarum mulierum vitia, vel inuite vel cum indignitate, vel cũ admiratione audit, facile cuiq; persuadet, immunẽ se ab illis malis esse, cum

*Aurea mediocritas fœminis tenenda.*

cum vel illis succenseat, vel minime vera esse credat. Verũ illæ mulieres futilissimæ, quæ in aliarũ amores curiose inquirunt, easdemq; protin⁹ articulatim cum hilaritate quadã effutiũt, & aliis mulierculis inuidere videntur, & viros tacite efflagitare, ne consimilẽ in eis errorẽ existiment: dumq; in risus gestusq; affectatos quosdam incidunt, facile fides fit, tali quoq; in re non mediocrem se voluptatẽ percepturas. Vnde euenit, vt homines etiamsi inanissimis earũ rumusculis diligenter attendere videantur, earũ tamẽ semper in posterũ mores deteriores putent. Imò istam illarũ in re turpi voluptatẽ tanquam justas sibi illecebras atq; occasiones arripiunt, de earum pudicitia periculũ vt faciant. Qua in re cum sese longi⁹ discurrere patiantur, eo subito ignominiæ atq; turpitudinis prolabuntur, vt earũ congressus atq; commercia, homines non modo non desiderent, sed etiam detestentur: cum interim nemo omnium ea impudentia atq; superbia sit, quin castas, honestasq; mulieres (velit nolit) reuereatur. Illa siquidem illarum grauitas cum integritate atq; prudentia temperata, tanquã clypeus atq; propugnaculũ hominum improborũ temeritati resistit: ex eoq; fit, vt vnica illarũ vox risus gestusq; minutissim⁹ (si benevolentiã in se tacitã habeant) magis cuiq; chara & accepta sint, quã mulierculæ alteri⁹, amoris indicia quantũcunq; aperta. Ea enim etsi fortasse reipsa impura atq; libidinosa non sit, facillime tamẽ putatur esse, dum se fastidiosius contrahit, dum liberius rideat, dum profusius scurriliterq; loquatur. Et quoniã illa vere verba, quæ certis quibusdam momentis non nituntur, irrita atq; puerilia sunt, fæminam aulicã diligenter oportet excubare, non solum quis sit, quî cum vna loquitur, sed vt illam habeat diuersarũ rerum scientiã, vt nec desit, quod apposite & concinne dicat, & illud etiã in omni re judiciũ, vt cum placere dicendo putarat, stomachũ non commoueat: nec illius aures propriis laudibus obtun-

*Quæ aliarũ errorib. delectãtur, eisdem inficiuntur.*

*Laus proprio sordet in ore.*

obtundat, nec nimio sermone lassum & fatigatũ detineat, nec seueris in rebus ridiculis scateat, nec grauia ludicris misceat, ne id sciat quod nescit, nec laude ex eo quærat quod omnino ignorat, deniq; affectata omnia tanquã Scyllam & Charybdim euitet. Istis animi dotib. cum se decore instruxerit, tum corporis exercitiis illi sexui conuenientib. vtatur: ea tamẽ venustate, vt in omnib. tum dictis, tum factis dubitetur, prudentia ne major illi, an jucunditas insit: ita illam omnes non tantum amore, sed veneratione quadã & honore prosequẽtur, fortasse etiã non indignã existimabunt, quæ cum isto tam magnifico curiali nostro conferatur. Conticuit hic Iulianus, & paululũ ita restitit, quasi orationi finẽ imposuisset. Tum Gaspar⁹: Egregie mehercule fœminam nobis istam exornasti, magnamq; illi præstantiã attribuisti, satis tamen concise & generaliter. Res sane adeo multas atq; magnas eidẽ accumulasti, vt verear ne eas nominare pudeat, istasq; potius optes fore, quam fieri putes: eorũ more, qui cum nihil sperent, voluntatẽ tamen in impossibilib. defixã habent. Istæc ego exactius paulo atq; luculentius exprimi desidero, quæ sint illa corporis oblectamenta aulicæ fæminæ conuenientia, quis virorũ humaniter excipiendorum modus, quæ res illæ sint, quarum illa cognitionẽ habere debet: num prudentia, num animi magnitudo, num continentia? Cæteræ quoq; illæ virtutes, inuolucris quibusdã à te recitatæ, in quem finẽ intendant, num ad familiã (quod tamen illã profiteri non vis) an ad humanitatis officia, & corporis relaxationem? Quod si sentias, tu pol videris, ne istas tantas dotes, tam turpi ministerio religaueris, vt eas prorsus tui, suiq; pudeat. Ridens hic Iulianus: Non potes (ait) te continere Gaspare, quin acerbitatis tuæ virus semper in mulieres euomas. Mihi quidẽ de ista re abunde satis dixisse videbar, istis præsertim audientibus, quorum nemo (audeo dicere) ita communis sensus hostis est, vt fœminis armorum, equorum, palæstræ, pilæ, re-

*Excipiendi sunt hominũ animi. Cic. de Orat. l. 1.*

liquarumque rerum vsum attribuat, quæ solis hominibus conceduntur. Antiquitati mehercule (inquit Aretinus) satis placuit fœminas videre nudas cum viris colluctãtes: sed ilia apud nos, cum aliis nonnullis consuetudo inueterauit. Ego etiam mea memoria (inquit Cæsar) fœminas vidi, pilis, armisq; ludentes, venantes, equitantes, & aliis quibusq; virorũ exercitiis contendentes. Ad hæc Iulianus: Sed quoniam (inquit) arbitrio meo domina ista efformanda est, non modo robustis istis & asperis virorum exercitiis non vtetur, sed ea etiã, quæ mulierum propria sunt, illa facultate atq; cura conficiet, quæ à nobis paulo ante descripta est. In saltatione igitur nec celeri, nec violento motu vtatur, nec in musicis frequenti illa & difficili tonorũ diuisiõe, quæ plus in se scientiæ quã suauitatis habet. Instrumenta v. musica illius conditioni consentiant. Informe n. turpeq; esset, fœminã videre tympanistriã, buccinatricẽ, aut fistulatoriã: istorum enim ea vis & asperitas est, vt lenẽ illam dulcem & decorã fœminarum mansuetudinẽ distrahat. Quoties igitur saltandum fuerit, aliquantulũ prius exoretur id vt faciat, in eoq; timiditatẽ quandam atq; verecundiã adhibeat, quæ temeritati atq; impudentiæ sunt cõtraria. Eodem accedat & ea vestitus consideratio, vt nec nimis dissoluta sit, quod est rusticitatis: nec nimiũ mollis, quod est inconstantiæ & leuitatis. Sed quoniam mulieribus à natura conceditur majorẽ in forma operã collocare quam viris, quoniã ipsius quoq; formæ diuersa ratio est, summo judicio perpendendũ erit, quæ vestimenti formula cum primis deceat: quod facile fiet, si pro exercitiorum varietate vestes quoque componantur. Quod si ad hilaritatẽ natura propensior sit, id obnixe contendet, vt vultus, voces, vestitus eidẽ vno q. concẽtu suffragẽtur. Sin paulo seuerior sit atq; remissior, cætera quoq; naturalem grauitatẽ apte comitentur: si obesa sit, si gracilis, si pallida, si fusca, naturã semper arti-

*Fœmina olim armis vsa.*

*Vestitus corporis & ingenij fabricam sequatur.*

artificiosa solertia adjuuet: tecte tam & sapienter vt quantūcunq; delicata & polita sit nihil studere, nihil affectare videatur. Et quoniā Gaspar illud scisitatur, quarum rerum notitiam amplecti debeat, quo officio qua humanitate viros fœminasq; accipiet, & num in istum omnino finem illius virtutes spectabunt, illud vobis confirmare non dubito, eadē illi cognoscenda esse, quæ viro curiali ab istis viris eloquētissimis sunt attributa. In illis v. oblectamentis, quæ ei non conueniunt, satis est tantū habere iudicij, quantū viris solet attribui in illis rebus, quantū exercitatio in iisdē non conceditur, quod meo iudicio satis est, si viros sciant, pro cuiusq; benemeritis magis minusq; laudare. Et vt ea breuiter repetam, quæ paulo jam antea commemorata sunt, ego meam istam Aulicam in musicis, in literis, in pictura, in tripudiis, in jocis & facetiis peritam esse volo, tanta tamē modestia atq; pudore, vt nec opinionē in animis hominū penitus insitam euellat, nec illis præceptis careat, quib. modo curialis noster est institutus. Ita in omni cōgressu, in risu, in jocis, in lepore, deniq; in omnibus humanitatis officiis grata erunt, quæ faciet omnia. Et quanquam cōtinentiam, magnanimitatē, temperantiam prudentiam ad istæc quæ diximus, humanitati officia pertinere, nemo arbitretur: istis tamē omnib. imbutā esse volo, non solū vt omnes hominū conditiones humaniter tractet, sed vt omnium vndiq; virtutum splendore emineant: quibuscū omnes actiones suas conditas habeat, tum eam omnes tanquam immortalē deam intueamur. Subridens hic Gasparus, mirum hercle (ait) cum libertas, continentiam, magnanimitatē fœminis concesseris, ni ciuitatum & rerumpublicarum etiam gubernacula concedas. Liceat igitur (si diis placet) leges promulgare, liceat exercitus conscribere, liceat imperare: homines v. pensum filumq; & culinaria discant. Arrisit vicissim Iulianus, & ista fortasse (inquit) non adeō essent

essent absurda. Nonne Platonē meministi (quī mulierum vix vsquam amicus erat) ciuitatum reiq; bellicæ administrationem mulieribus credidisse? Nam non multas existimas reperiri posse, quæ illa non minus quam viri, egregie faciant? Sed ego illis ista publica munera non attribui, quoniā fœminam aulicam non reginam formare decreui. Satis hercule video hesternam te illam Octauiani calumniam clanculum velle renouare, i.e. imperfectas esse naturā mulieres, virtutum expertes, nullius pretij, si cum hominibus conferantur. Magnus iste vtriusq; vestrum error esset, si ita serio existimaretis. Non repetā (ait Gasparus) quæ jam dudum dicta sunt, sed tu mihi aliquid libenter extorqueres, quod istas mihi dominas offensas reddat, cum tute interim assentatione aliqua eisdem amicissimas habeas. Verum ego illas adeo prudentes & perspicaces esse noui, vt simplicem veritatem (etsi vere sua minus fuerit) magis quam adumbratam gloriæ speciem amplectantur. Neq; sane indigne ferent, si homines dignores appellemus: imò ipsæ sibi cōciæ sunt, quam admiranda prædicaueris, quā impossibiles aulicæ fœminæ cōditiones præscripseris, quam innumerabiles virtutes excogitaueris, multis jam vt gradib. Socrates & Cato inferiores videantur. Et (vt libere dicam quod sentio (miror verecundia te non esse prepeditum, quo minus rationis metas tam aperte desereres. Nonne satis fuerat, istam mulierculā pulchram, prudentem, honestam, affabilem effingere, in humanitatis officiis sine suspicione sapientem, in choreis sine rusticitate grauē, in sale & facetiis sine leuitate temperatam, nisi tam incredibile ei rerū omnium scientiā attribuisses, easq; virtutes addidisses, quas nec ista vnquam ætas, nec superiora (credo) tempora, in aliquo vnquam homine deprehenderunt? Quod verò ad imperfectam mulierum indolem, ad virtutum ineptitudinem, ad indignitatē attinet, nihil ego quidē affirmare velim,

*Plato fœminis Rerumpublicarum administrationē concessit.*

cum istarũ, quæ adsunt dominarũ virtutes, oratione meam cõfutarent. Id tamẽ non dubitabo dicere (cum tantorum virorũ scriptis monumentisq; commendetur) Naturam semper ad optima niti & contendere: & propterea viros semper (si fieri posset) procreare velle, adeo vt fœminæ quotiescunq; generentur, occultus aliquis in naturæ opificio error est, propositoq; fine frustratur. Vt in hominib. cæcis & claudis, in arborib. quarum fructus ad maturitatẽ nunquam perueniunt: ita quoque mulieres casu aliquo, & fortuito editæ videntur; quod facilius perspicimus, si earum actiones cum hominibus comparemus. Ista tamen, quoniam naturæ vitia atq; defecta sunt, nõ est æquum mulieres odisse, nec minoris, quam par est, æstimare: pluris tamen facere, quam illius sexus angustiæ patientur, id mihi videtur insaniæ proximum. Plura in hanc sententiam Gasparum dicturũ esse Iulianus putauit: sed cum acquiescere eundem videret, Frigide mehercule (ait) de imperfecto mulierũ ingenio disseruisse mihi videre, & licet istas tã subtiles rationes nõ ingrederer, tamen juxta hominũ prudentissimorum authoritatẽ ipsamq; adeo rei veritatem respondeo: Substantiam cuiusq; rei essentiamq; nec intentionẽ recipere, nec remissionem. Nam vt lapis in eo, quod lapis est, altero lapide perfectior non est: ita nec homo homine, nec mas proinde fœmina, quod ad formalem essentiam attinet. Vterq; enim sub hominis specie continetur, & si qua in re differant, accidentariũ est, non substantiale. Quod si virum dixeris, etsi nõ essentia, accidentibus tamen præstantiorem esse, sic vicissim occurro: Aut in corpore sunt ista accidentia, aut in animo, si in corpore, quoniã viri plerunq; robustiores, agiliores, leuiores, laborum patientiores sunt, cur illi (obsecro) maximi non fiunt, qui istis rebus maxime excellunt? In bellis verò, in quibus virium atque roboris vsus summus est, cur validissimus quisque maximo pretio

*Natura cõtendit ad optima.*

*Substantia nõ suscipit magis & minus.*

non

non esset? Sin autē in animo ista excellentia sit, vtriq; profecto sexui communis erit. Quæcunque enim sub intellectum virilem cadunt, eorundē etiam fœminæ sunt capaces: neq; vnius ingenium rerum subtilitatē facilius penetratur, quā alterius; aut si differentia aliqua sit, potiores partes habent mulieres. Nonne illud tibi Philosophorū axioma jampridem est cognitum: Molles carne aptos mente esse? Quod si ita sit, minime dubitandum est, quin fœminæ, cum molliores sint, aptiores quoq; existant, ad rerum sublimium cognitionem, contemplationemq; propensiores. Sed vt ista paulum omittamus, quoniam ex illarum actionibus argumenta, judiciumque peti desideras, illud dico: Naturam mulieres non fortuito, sed certa quadam stabiliq; ratione procreare. Quas etiamsi corporibus non ita validis strenuisq; mentibus etiā placabiliorib. fabricauit, multisq; aliis qualitatibus virili ingenio contrarijs, omnia tamen ad vnum eundemq; finem, vnamq; communem vtilitatē pertinent. Nam vt illa muliebris imbecillitas min⁹ animosa est, ita etiā plerunq; magis cauta & attēta est. Et proinde matres primū liberos enutriunt, patres deinceps instituunt: viri fortitudine quadam id foris acquirunt, quod fœminæ magna sedulitate domi cōseruant, quod ego non minori laude dignū existimo. Quod si historias antiquissimas recentesq; euoluere placeat (etsi viri semper de fœminarū encomiis parcissime scribant) virtutem in mulieribus semper non minorem fuisse, quam viris perspicies: multas bella gessisse, obtinuisse victorias; regna, Respublicas summa prudentia, summa justitia gubernasse, ea deniq; omnia fecisse, quæ homines sibi gloriæ ducunt. Quid dicam de literarum scientia atq; cognitione? Nōne tibi venit in mentē, quot mulieres in Philosophia, quot in arte poetica, quot in jure ciuili excelluerint? quam multæ cum grauitate excusarint? aliæ quanta eloquentia coram judicib. defenderint?

*Aristotelis problemata.*

*Mulierum laudes.*

Quid adjiciam de artibus mechanicis? quas si omnes percurram, prolixior paulo futura est oratio; verũ in re minime dubia testibus vtor non necessariis. Quod si igitur nec essentia viri, nec accidentib. perfectiores sint (quod nõ tam ratione docti, quã, quod magis ist, experti videmus) vbi demũ ista perfectio est, aut quo loco consistit? At naturæ (inquis) intentio est, semper quod optimum est producere, & proinde hominem semper generaret (si fieri posset:) quoties verò mulier procreatur, naturæ segnities atq; vitium est. Ista sane omnia perneganda mihi & rejicienda videntur. Neq; hercule video, cur fœminam natura procreare non conetur, sine qua humanũ genus nõ posset cõsistere: cum illa plus quam reliqua omnia genera rerum & species conseruare desideret. Ista siquidẽ maris & fœminæ conjunctione procreãtur liberi, qui parentibus senio cõfectis accepta juuentute beneficia repẽdunt, dum & eosdem decrepitos fouent, & aliis rursum filiis procreandis renouant, à quibus mutuũ vicissim officium expectant: ita natura quasi in circulũ conuersa, æternitatis seriẽ complet, & (quod est admirabilius) rebus mortalib. immortalitatẽ tribuit. Cui cum muliebris sexus nõ minus necessarius sit, quã virilis, non video, cur alterũ casu, alterum certa lege natũ dicam. Certum id quidem est, naturam semper ad optima contendere, sed vnum quodq; tamen in sua specie: & non mari potius quam fœminæ intentã esse. Quod si masculũ semper produceret, summa hic imperfectio esset. Nam vti ex corpore atq; anima illud fit, quod vtraque seorsim parte nobilius est, id est, homo, ita ex mare atq; fœmina cõseruatio totius speciei exoritur; sine qua partes ipsæ interirent. Itaq; istæc vtraq; natura sic conjunguntur, vt diuelli aut diuidi non possint: nam nec masculus dicendus est, cui non est fœmina (secundũ vtriusq; definitionẽ) nec femina nominanda est, cui masculus non est. Et quoniã vnius per se sexus tã

*Genera & species sine mulieribus interirent.*

tam inchoata & imperfecta ratio est, antiquissimi olim Theologi vtrumque Deo attribuerunt. Vnde louem Orpheus marem fœminamq; dicebat esse. In sacris etiã literis illud legitur, Deum hominẽ, id est, virum mulieremq; ad suam similitudinem effinxisse. Poetæ verò quoties de diis fabulantur, sexum confundunt. Hic Gasparus: Nollem (inquit) nos in ista mysteria sublapsos esse; istæ siquidẽ dominæ nequaquam intelligent, & ego rationes quantumuis firmissimas adduxero, illæ tamẽ aut me credent deteriores partes in me sumpsisse, aut certe simulabunt, & iniquã jamjam sententiam pro arbitrio ferent. Tamen quoniam hucusq; sumus ingressi, hoc vnum dicam: Sapientissimi cuiusq; judicio, virum formæ, fœminã materiæ comparari. Quanto igitur forma materiæ præstat, à qua suam existentiam habet, tanto quoq; viri mulieribus sunt præstantiores. Audiui equidẽ à magno quodam Philosopho, hoc in suis problematibus quæri, quæ ratio sit, cur illũ fœmina semper amet, à quo primum vitiata sit: viri econtra cur illas odio prosequantur, quibuscum primo libidinose congressi fuerint. Istis ab eode Philosopho sic respondetur: Mulierem in illo actu tum primum suam perfectionem assequi, & propterea amare virum imperfectiorẽ reddi, & propterea odisse. Cuius rei illud apertissimo argumento esse potest, quod omnes plerunque mulieres se viros esse exoptant, dum eas occulta quædam naturæ vis ad rei perfectioris desideriũ impellat. Hic subito Iulianus: Istæ (inquit) miseræ, viros se esse non desiderant, vt perfectiores fiant, sed vt paulo liberius viuant; eosq; seruitutis frænos discutiant, quos sua authoritate homines eisdẽ injecerunt. Illa verò de materia & forma comparatio tua omni ex parte non conuenit. Nam nec fœmina adeò sit perfecta ratione viri, quam materia interuentu formæ, à qua existentiam mutuatur: & formæ, quo plus materiæ habent, eo minꝰ perfectæ

*Antiqui Deo vtrumque sexum attribuerunt.*

*Aristotelis problemata.*

sunt, cum verò solæ & per se sint, sunt longe perfectissimæ. At fœmina neq; suã habet à viro essentiam: & illa vt ab homine, ita quoq; ab ea, homo fit perfectior. Ab vtroq; enim promiscue procreantur liberi, ab altero seorsim generari non possunt. Amoris verò muliebris, aut virilis odij in eas, quas primum complexi sunt, ego Philosophi tui causam inanem, aut potius nullam puto.

*Calor leuitatis, frigiditas grauitatis causa.*

Ego equidem id muliebri constantiæ, aut humanæ potius leuitati tribuendum existimo. Nam masculus cum natura calidior sit, est etiam leuior, mobilior, inconstantior fœmina, cum frigidiorẽ corporis constitutionẽ habeat, firmior, sincerior, stabilior existit. Hic Aemilia in Iulianũ conuersa, Ego (inquit) te per deos oro, vt istã aliquãdo de materiis & formis, de masculis & fœminis disputationẽ relinquas, nos vt te facilius intelligamus. Satis Octauiani & Gaspari calumnias percensuimus, sed tu quomodo nos defendas, plane nõ perspicim⁹. Veremur itaq; ne nunc præter causam atq; propositũ dicantur omnia, neue ista tam iniqua inimicorum nostrorum opinio, altius in hominum animis resideat. Noli (ait Gasparus) nobis hoc nomen tribuere, multo mehercule melius Iuliano conuenit, qui, dum falsas laudes mulieribus ascribit, facile declarat, nullas esse veras, quas eisdẽ attribuat. Tum Iulian. Ne vereare (lectissima) ne ego minus respõdeam vniuersis. Non libet in viros ita cõtumeliose inuehi, quemadmodũ illi modo in fœminas: tamen si isthæc nostra forte disceptatio literis mandaretur, nollem certe (vbi istæ materiæ atque formæ intelligerentur) Gaspari rationib. minus respõsum videri. Non video equidem) inquit Gasparus) quo pacto nobis in isto satisfacias: virum dicis natura calidiorẽ esse, mulierem frigidam: calorẽ tamen frigiditate multo nobiliorem

*Calor nobilior Arist. Meteor. 1.*

esse negare non potes: cum in cætera actiuus sit, & ex se (vt ita dicam) productiuus. Deinde vim illam cœlestem

rem rebus inferioribus caliditatem immittere nemo dubitat, nunquam autem frigiditatem: quæ concretis & impuris corporib. religata, naturæ opera penetrare non potest. Quocirca cum mulieres frigidiorem corporis temperationē habeant, tantæ earum timiditatis & ignauiæ causam existimo. Ita ne semper in subtiles istas argutias irrues (inquit Iulianus,) Vide quomodo in aliud ex alio malum incidis. Negare certe non possum, caliditatem ex se frigiditate perfectiorē esse: in compositis tamen & mixtis corporibus non est ita. Nam illa tum essent perfectiora, quæcunq; sunt reliquis calidiora. Quod nullo modo concedendum est, cum ea sint omnium longe perfectissima, quæcunq; sunt mediocriter temperata. Fæminam equidem vi o frigidiorē esse fateor, cū ille nimio calore mediocritatem excedat, at illa justa quadā & æquabili temperatura consistit, cum eam habeat humiditatis proportionem, quæ nimia caloris intemperie in hominibus citius exiccatur. Illa quoq; frigiditatis tantū habet, quantum & caliditatis vehementiæ potest resistere, & calorem naturalē resistēdo augere: ex qua contrariorum æqualitate optima tēperies nascitur: cū interim in hominib. iste frigiditatis defectus & naturalē calorem ad extremū discurrere patitur, & humiditate deficiente, seipsum cōsumere & resoluere. Vnde homines cum in generatione mulierib. citius deficcantur, breuioris etiā vitæ plerunq; existunt, in eoq; ipso eisdem quoq; imperfectiores sunt, cum illæ diutius viuendo naturæ ministerio atq; intētione facili' satisfaciant. De illo virtutis cęlestis infuso calore nihil jam loquimur, quoniā diuersus ab illo est, de quo nunc agitur: qui quoniam omnia promiscuæ sub lunæ globo tum calida tum etiā frigida conseruat, frigiditati muliebri contrarius esse non potest. Timiditas verò muliebris etsi aliquid in se imperfecti habeat, ex causa tamen oritur minime vituperanda. Vitales n. spiritus adeo

celebres & subtiles in eis sunt, vt cum rerum formas intellectui quam citissime deferant, ab omni specie extrinseca facillime perturbentur. Viros contra pleroſq; libet cernere, qui nec morbi, nec vllius præterea rei periculum exhorrescunt: neq; fortes tamen appellandi sunt, quia ita obtuso crassoque spiritu sunt, vt præcipites & insensati, quo fata ferant, insequantur; nihil neq; incōmodi, neq; discriminis prospicientes. Homines, itaq; stupidi stultiq; magnanimi appellari nō possunt, cum magnus animus deliberatione justa atq; determinata quadam voluntate nitatur, pluriſq; officium dignitatemq; æstimet, quam ea omnia, quæ humana vita periculosissima putat. Et quāuis mortis acerbitas præsto esse videatur, adeo tamē inconcussus erit, sensib. adeo integris & quietis, quasi nihil durum aut infestum contingere posset. Isto animo nōnullos jam olim viros fuisse, à majorib. nostris accepimus, nonnullas etiam fœminas, quæ magnanimitate, consiliis, rebusq; præclare gerendis, ipsis hominib, nullā in re inferiores habebantur. Tum Phrisius: Res istæ, inquit, tam præclaræ tum primū fieri cœperunt, cum prima omnium muliercula non solum ipsa in Deum grauiter peccaret, sed alios etiam in errorem eundem adduceret, omnes nobis dolores, omnes calamitates, omnē deniq; mortalitatē ita hereditariā relinquens, vt simul cū lacte nutricis miserias suxisse videamur. Quomiā sacras literas (inquit Iulianus) tibi tanquam subsidiarias adjungis, nonne illud quoq; meministi, eosdem errores à fœmina reuocatos deletosq; fuisse? quod nostræ vtilitati adeò redundauit, vt vnius factū tot tantisq; benemeritis pensitatū, felix culpa appelletur. Verum hic ego nō institui fusius ostendere, Diua virgo quam multis gradib. vniuerso hominū generi antecellat, ne seria atq; sacra ludicris nostris, prophanisq; rationibus immiscеam. Nihil dicam de mulierum incredibili cōstantia, quæ Christi nominis causa acer-

*Euam sentit, cū pomum ederet.*

*De Maria Christi matre innuit.*

*Virgines martyres.*

acerbissimam morte à tyrannis crudelissimis illatam, non recusarunt: nihil de earũ scientia & ingenio, quæ in...nitas Idololatrarum superstitiones subtilissimis rationib. confutarunt: quæ si miracula esse, & summi Numinis dona obijcias, ego nullã virtute laudabiliorem esse respondeo, quã eam, quæ diuino testimonio cõprobatur. Multæ præterea mulieres sunt, de quibus etiasi injuriose sileatur, tamẽ si S. Hieronymi scripta intueri velimus, adeo mirificas illius ætatis mulierũ laudes inueniemus, vt viros quosq; sanctissimos adæquare videantur. Quod cum ita sit, vos per vos considerate, quam sint aliæ innumerabiles, de quib. nulla omnino mentio fiat. Illæ siquidem miseræ vndiq; inclusæ atq; religatæ, inanem illam integritatis ostentationem non aucupantur: vt multi hodie hypocritæ impurissimi, qui aut prorsus obliti, aut penitus nihili facientes diuinum illud præceptum, sc. (*Dum jejunaueris, inunge faciem, ne jejunasse videare quotiescunq; oraueris, aut eleemosynam des, aut aliud quodcunq; ptum feceris, ne forum aut Synagogas intres, sed occultum aliquem locum, ne conscia manus sinistra sit quod dextera egerit*) astute prædicant nullũ esse tam ingentem thesaurum, quam aperte agendo, reliquis exemplum benefactorũ relinquere: deinde capite demisso, oculis humi defixis, rumusculos vndiq; disseminant, fœminas se nec intueri, nec alloqui audere, nihil nisi crudas & fumosas herbas edere, vestib. tantũ talaribus & pannosis, vti, cum interim & simplices fallant, & testamenta subuertant, & maritos cum vxoribus dissidere faciant, & venena poculis, nonnunquam philtra, carmina etiam, & id genus obscœna immisceant, illi suæ sententiæ semper consecrati. *Si non caste, tamen caute.* Quam & vlceris cuiusq; medicinam clamant, & Deum omnia flagitia facile remissurum affirmant, si adeò fiant occulte, nihil vt inde erroris aut exẽpli mali cõsequatur. Ito sanctitatis velo, aut potius scelerũ

*De religiosis hominibus loquitur.*

vmbraculo freti, huc omnes curas, cogitationesque conuertunt, vt dominæ cuiuspiam castæ atq; integræ mentem impuritate aliqua inficiãt, vt germanos discordiis implicent, vt Respublicas capessant, vt alios efferant, alios pro eorũ libidine deprimant, nõnullos capite puniant, quesdã custodiis teneãt, aliquos proscribant, deniq; vt omnium scelerum ministri fiant, omnium rapinarũ spoliorumq; regiorum custodes & q. depositarij habeantur. Horum alij in summa inuerecundia molles & delicati esse volunt, nunc vertice nitidius raso, nunc vestib. accurate cõpositis, quas aut eleuant, vt ingressu caligarum molliciem denudent, aut genu curiose demittunt, vt pulchrã corporis habitudinem ostentent. Alij dum rem diuinam faciant, oculorũ aspectus, corporisq; gestus nouos effingunt, hoc in illis valde decorũ & admirabile existimantes. Impuri profecto homines & scelerati, nõ solũ ab omni religione, sed honestæ vitæ consuetudine alieniſſimi: quorum si quãdo flagitia eisdẽ objiciantur, in ludum jocumq; conuertunt, eumq; deridendũ reliquis propinant, qui eadẽ aliquando cõmemorat; vitia postremo omnia laudi sibi glóriæq; ducunt. Hic Aemilia, tanta te (ait) de religiosis maledicendi voluptas cepit, vt in sermonẽ incideris à proposito nostro longe alieniſſimum. Grauis iste error est, in absentes religiosos adeo acerbe murmurare: vide ne sine justa aliqua occasione cõscientiæ tuæ vim inferas: illi nisi Deum perpetuis precibus delinirẽt, grauiorib. certe plagis atq; vulneribus nos excruciaret. Arrisit leuiter Iulianus, & quomodo (inquit) Sagaciſſima subolet tibi me de religiosis sensisse, cum ego neminem nominauerim? nõnume sane obmurmurare mihi videbar, sed plane eloqui atq; inuehi. Neque sane de bonis viris, sed de malis sensi, quorum flagitia cum mihi satis cognita sint, ne milleſimam quidem eorum partem attigisse videor. De religiosis noli amplius dicere (ait Aemilia)

ego

ego certe audire nefas existimo. Quod ne diutius faciam, discedere constituo. Placet certe (inquit Iulian.) de istis nihil vlteri⁹ adjicere: & vt ad laudes mulierum justissimas reuertar, illud audeo cõfirmare, neminem tantæ virtutis hominẽ à Casparo cõmemorari posse, qui vel vxorem, vel filiã, vel sororem, aut æqualẽ, aut superiorem nõ habuerit. Multis hoc mulieribus contigit, vt viros vel summis beneficiis afficerent, vel ab erroribus grauissimis reuocarent. Quocirca, cum ad virtutes natura nõ minus propensæ sint quã viri, cum id non aurib. solũ hausimus, sed oculis vidimus, cum instituti, cum experti didicimus, non video quorsum Gasparo monstrosa & portenta prædicare videar: cum & ea illis attribuam, quæ fieri deinceps possunt, jamq; antea contigerunt: & etiamnũ mulieres spiritum ducant, quæ adeo prope aulicæ fœminæ à me constitutæ accedunt, quam hominũ quisquam ad curialẽ ab istis modo descriptum accedere potest. Tum Gasparus: Illæ ratiões, quæ nulla nituntur experientia, omnino futiles & inanes sunt. Ego si abs te quærerem, quæ istæ tam illustres dominæ essent, quæ non minores laudes merentur, quam illi, quorum vxores, filij aut sorores erant, qua tantis viros bonis affecerunt, quæ tot corũ errores reuocarunt, facesserem tibi credo negotium, vereor ne plane obtunderem. Sola mehercule fœminarũ multitudo (ait Iulianus) molesta mihi in recensendo esset. Nam temporis nisi angustias subuererer, de Octauia dicerem Marci Antonij vxore, eademque sorore Augusti de Portia Catonis filia Brutiq; vxore, de Caja Cecilia nupta Tarquinio Prisco, de Cornelia Scipionis filia, & aliis etiã infinitis nõ nostris solum, sed etiã Barbaris: nimirũ de Alexandra illa Alexandri Iudaici vxore, quæ cum maxitũ supremum diẽ obiisse videret, & populum vndiq; tumultuantem, & plane in perniciẽ duorum liberorũ deuotum, vt patris injurias & tyrannidem in filiis vlciscerentur; illa vnico fere

*Romanæ mulieres.*

momen-

momento exulceratos seruitute, inflammatos iracundia animos sedauit, eosq; liberis cofestim amicos prudentia reddidit, quos multis annis pater inimicos crudelitate feciſſet. Dicito ſalte obſecro (ait Aemilia) quibus iſta rationibus atq; adminiculis fecerit. Tum Iulianus: Illa cum preſentē liberorum pernicie animaduertiſſet, Alexandri corpus in mediū forum proiici curauit. Circumfuſa deinde ciuiū multitudine, noui (inquit) veſtros omnium animos juſtiſſimis irarum facib. incenſos eſſe, quibus ſi mariti defuncti injurias truculentiſſimas minores dicerem, multū ſane indigneq; diſſimularem. Verum vt illū jam antea ſpirantem, de tanta immanitate quoquo modo dehortata ſum: ita eundem vita ſpirituq; ſpoliatum, veſtro arbitrio vel canibus dilaniandum, vel aliis cruciatib. excarnificandum ſubjicio. Liberis tamen (quorū adhuc ſumma innocentia eſt) parcatis oro, eoq; magis, quoniam nec paterni ſceleris participes, nec conſcij eſſe potuerunt. Iſtius orationis tanta vis erat, vt furores omnium animis altius defixi, non ſolū deferbuerint, ſed in ſummam etiam pietatem degenerarint: nam & filios in principes rectoreſq; Reipubl. cooptarunt, & corpus etiā funereum exequiis honorificis terræ commiſerunt. Conſtitit hic paulū Iulianus, deinde nonne ſatis noſtis, inquit, Mithridatis vxorē ſororeſq; multo minus in ſummis periculis extimuiſſe, quam ipſum Mitridatē? Nonne idem de Aſtrubalis vxore affirmare licebit? Nōne illud memoria proditū eſt, Armoniam Hieronis Syracuſani filiā in ipſis patriæ ſuæ incendiis interire voluiſſe? Hic Phrſiº, vbicunq; (inquit) animi procacitas atq; pertinacitas oſtendenda eſt, dubium non eſt, quin propoſiti tenaces ſint: vt illa, quæ cum maritū diutius pediculoſo conuitio vrgere nō poſſet, peruerſæ voluntatis ſignum digitis commonſtrabat. Subridens hic Iulianus, Illa, inquit, pertinacia, quæ virtutem propoſitā habet, cōſtantia veriº nominanda

*Alexandra Iudaitæ oratio.*

*Mithridatis & Haſdrubalis vxores.*

erat: vt in Epicharia libertina Romana, quæ cum conjurationis cuiusdam in Neronē factæ conscia esset, & ob eam ipsam causam atrocissimis cruciatib. torqueretur, de nemine tamē conjuratorum cōfiteri voluit, cum multi interim equites & senatores terrore perculsi, fratres, amicos, & charissimos quosq; ignauiter accusarint. Quid dicam de Leona illa, in cuius memoriam & trophæum, in ipsa castri porta leænam æneam Athenienses construxerunt, eamq; elinguē tanquam summæ illi constantiæ & taciturnitatis indiciū. Nam illa quoq; cum contra tyrannos conjuratasset, etiamsi duos illius consanguineos, eosq; egregios viros antē oculos dilaniatos videret, ipsaq; non ita multo post crudelissimis tormentis subjiceretur, nullum tamen clandestini illius consilij participem prodiderat. Hic Margareta Gonzaga: Nimium (ait) breuiter & succincte mulierum res gestas percurrere videris. Nam ista etsi audiuerint sępius, legerintq; aduersarij nostri, nec audiuisse tamen, nec legisse dissimulant, nihilq; desiderant serius, quam earum memoriā obliuione deleri. Verum si tu eas nobis explicare nō graueris, nos illas saltē honore aliquo prosequemur. Placet hercle sentētia (inquit Julianus) ego tibi illam cōmemorabo, cuius ea extiterunt præclare acta, vt ipsum Gasparum confiteri nō dubitem, eadem nisi ab hominibus paucissimis exæquare non posse. Perantiqua sane apud Massilienses consuetudo erat, eademq; à Græcis hominib. deducta putabatur, vt venenum cicutā permistum publice cōseruaretur, idemq; iis concedebatur, quos vitæ tædiū aut satietas cepit, vel quia reflantem semper fortunam sustinere, intolerabile, vel quia de summo felicitatis fastigio atq; dignitate in miserias recidere, morte acerbi putaretur. Quocirca præsente Sexto Pompejo, Hic Phrisus Julianum nō passus vlterius dicere, Istuc (inquit) tam altepetitum principium longam aliquam & prolixā fabulam videtur portendere,

*Leona Athenienſis.*

*Maſſilienſium conſuetudo.*

dere. Tum Iulianus in Margaretā Gonzagā conuersus, Vides ne, ait, vt me Phrisius injurioſe interpellauerit? dicturus equidē fueram de admirabili fœminæ cuiuſdam magnanimitate, quæ cum Senatui aſtante, Sexto Pompeio perſuaſiſſet, mortē ſibi juſtiſſimis de cauſis expetendam, depoſito omni timore, aut cum ſumma poti? alacritate venenū hauſit, tanta animi cōſtantia, tanta fiducia, tā ſollicita prudentiq; ad ſuos oratione, vt cum lethalē ſuccū per venas diſcurrere, mortemq; omnib. prope terribilē adeo intrepide ſuſtineret Pompeius, cæteriq; vidiſſent, tam prudentem, inuictumq; mulieris animum non ſine lachrymis ſuſpiciebant. Arridens iſtis Gaſparus: Ego contra, inquit, in oratiunculam me incidiſſe memini, in qua maritus fere infelix moriendi veniā à ſenatu impenſe rogat, quoniam dies nocteſq; ita miſere rixis jurgiiſque uxoriis torqueretur, vt mortiferū illud poculū millies potius imbibendum putaret, quam ſtygiam vxoris vocem audiendam. Et quot obſecro mulieres, ait Iulianus, idem q. jure ſuo vendicare poſſent, non dico propter iniquas mariti voces, ſed propter facinora longe iniquiſſima? Ego equidē permultas noui, quæ eas pœnas patiuntur, quæ apud inferos eſſe dicuntur. Hoc ſi ita ſit, inquit Gaſparus, nōne viros quoq; innumerabiles exiſtimas, quos ita conjuges male torquent & excrutiant, vt earū conſuetudini mortē longe anteponant? Et quæ obſecro vis illa eſt, ait Iulianus, quod tantum fœminarū ſine remedio malum? Sic enim fere virorū in vxores ſunt injuriæ: quas illæ etſi non præ amore, præ timore tamen perpetiuntur. Certum hercle eſt, inquit Gaſparus, exiguum iſtud, quod faciunt boni mulieres, timoris impulſu profluere. Vix enim in toto terrarū orbe aliqua exiſtit, quæ in ipſis animi q. penetralib. virum non oderit. Imò contrà, inquit Iulianus, teſtes omnes certæ hiſtoriæ ſunt, viros magis ab vxoribus, quam vxores ab eiſdem amari. Quotuſquiſque

noſtrum

nostrum est, qui illū viri cuiuspiam amorē aut viderit aut legerit, quo Camma illa maritū suum complexa dicitur? Nescio, inquit Gasparus, vt illa, quæ mulier fuerit, vel quo amoris genere deflagrauerit. Eadem quoq; mihi sunt incognita (ait Phrisius) Arrige itaq; aures (ait Iulianus) & tu inprimis Margareta Gonzaga, alta mente quæ dicam reponito. Camma istæc tanta modestia, tantisque animi dotibus reliquis omnibus præstitit, diu multūq; vt dubitares, majore ne corporis venustate, an mentis virtute esset: in ea tamē nihil admirabilius, quā quod Synatum virū incredibili amore prosequeretur. Eandē forte Synorix (majoris vir autoritatis quā Synatus, idemq; pene ciuitatis tyrannus) vehementer amabat: qui cū eam multis rationibus, & frustra tamē, pellicere conaretur, vnam Synati vitam impedimento sibi putauit. Quam cū illi vi misere admisset, in eadē exoranda multo vehementi? instabat. Illa in odiū potius quam beneuolentiā procliuis, nec quicquam animi remittit, nec quicquā illius libidini concedit. Is magis facilē mulieris animū fore ratus, si eam (cuius obscurior paulo conditio erat) vxorē duceret, de nuptiis sollicite agit, eiusq; cōsanguineos, vt opē in tam honesta causa ferāt, serio precatur. Illi vel illius potentiā veriti, vel illius pecuniis corrupti, mulieri persuadēt, quantū vtilitatis in cōsentiendo esset, quantū in dissentiendo periculi. Illa cum aliquandiu obstitisset, tandē est assensa. Gaudebant nō mediocriter cōsanguinei, & nuntiū tam lętū Sinorigi deferunt, qui in cōmuni omiū lętitia, nuptias quam primū fieri curauit. Cum igitur vterq; in Dianæ templū solenniter processissent, coram deæ statua dulcissimi cuiusdam poculi, quod antea furtim cōfecerat, dimidiū sponso propinat. Ille (vt ibi mos erat) reliquū ebibit. Camma cum istuc ex voto successisse videret, coram Diana lætissime prouoluta, Tu, inquit, satis nosti, sanctissima dea, post interfectū Synatum, quam ego mihi violētas manus

*Camma Synati vxor.*

*Sinorix procus.*

*Venenatū poculum.*

manus inferre cupiebam, quã ægrè mihi perceperim, quanta dolorum acerbitate funeſtam hanc vitã protraxerim: in qua hoc vnum ſolamen erat, ſcil. vindicta ſpes atq; deſiderium. Quod cum jam videam contigiſſe, alacri ſane animo, ſummaque cum voluptate illius vmbram atq; animã inſectãdo exquiram, quem viuum morientemq; plus quam meum ſpiritum diligebam. Tu verò omnium ſceleratiſſime, qui ſponſus eſſe voluiſti, pro thoro jugali ſepulchrum para. Ego te Synati cinerib. ſacrificium faciam. Iſtis exanimatus Sinorix, & venenũ jam viſcerib infuſum tumultuari perſentiens, creberrimis vſus eſt remediis, cum nihil mederi aut opitulari poſſet. Cammæ v. adeo fortunã in extremis fauère videbatur, vt Sinorigé ante interiiſſe audiret, quam illã moreretur. Quod illius aurib. tantã voluptate circũſonuit, vt lectulo ſe ſtatim committeret, & Synati nomine ſæpiſſ ingeminato, oculiſq; in cœlũ erectis, ô anime mi (inquit) quando nihil jam reſtat, quando vltimas has lachrymas, vindictamque iſtam tanquã extrema amoris mei pignora morti tuæ perſoluerim, exoſam hanc lucẽ, & fastidioſum ſine te ſpiritum libens relinquo: quorum vtrunq; mihi propter te vnum jam antea clarius videbatur. Huc igitur quamprimum aduola (mi Synate) iſtamque animam non minus auide complectere, quam eadẽ ad te obnixe properat. Hæc cum diceret, explicatis vlnis quaſi eundem jam tum complexa, expirauit. Quid nunc Phriſi? quid tibi videtur de iſta muliercula? Mihi ſane (inquit Phriſius) tu videris iſtis mulieribus lachrymas nimium extorquere velle: ſed fingam? iſta (quoniam ita vis) eſſe vera, ego ex illa aliam in toto terrarum orbe non credo ſupereſſe. Imò (ait Iulianus) permultas eſſe alias ex me diſces. Mea quidẽ memoria Thomas quidam Piſanus fuit, familiam non memini, etſi patrem) quem ille in intimis habebat) ſæpius cõmemorantem audiuerim. Is cum è Piſa forte verſus Siciliam naui-

nauicula discederet, à Mauris quibusdã nauiculatoribus eximprouiso obsessus est. Quod etsi adeo repentinũ malũ erat, vt deliberari nõ posset, omnes tamen quam poterant, sese gnauiter defendunt. Sed cum numero pauci essẽt, à Mauris facillime superati sunt, occisi aliquot, nonnulli capti: inter quos Pisanus iste fuerat, qui, dum fortiter pugnaret, Maurorum Ducis fratrẽ interemit: quod ille ægrẽ ferẽs (vt est credibile) eundem quotidie crudelissime excrucians, in Barbariam tandẽ captiuum abduxit. Reliqui non ita multo post libertate donati, domum redeunt, & istum tam horrendum, tristemq; casum, Argentinæ illius vxori liberisq; significabant. Illa in summa cõtinuò sollicitudine nihil prætermittit, in quo illi opitulari posset: nihil intentatum reliquit, cum nihil tamen ex voto succederet. Cumq; ille jam desperatione debilitatus, totam ætatẽ illis ærumnis dicaret, vnus ex illius filiis nomine Paulus, singulari in partẽ pietate cõmotus, vel mortẽ sibi oppetendam, vel parentẽ ærumnosum liberandum decernit. Quod adeo feliciter & expeditè effectum est, vt in Ligornum prius pater peueniret, quam è Barbaria discessisse cognosceretur. Ibi cum securus esset, ad vxorẽ literas mittit, liberatum se esse incolumẽ, & postridie vna cum ea futurum. Honestæ matronæ in animũ tam subita & inopinata lætitia incessit (quod & filium haberet non minus fortẽ, quam prudentem, & quia maritum adeò charum & prope desperatum reuisura esset) vt lectis literis, oculisq; in cœlum erectis, maritũ nomine sæpius compellans, mortua in terrã deciderit, nec vllis vnquã medicamẽtis vita restitui poterat. Funestũ mehercule & crudele spectaculum, in quo homines illud discere poterunt, ne nimia lætitia elati, in ecstasin quandã prolabãtur. Subridens hic Phrisius: Tune, inquit, satis nosti, num illa præ dolore interierit, cum maritũ rediturum intellexerat? Certe quidem (inquit Iulianus) quoniam

*Argentinæ Thomæ Pisani vxor.*

totius anteactæ vitæ curriculum, illi suspicioni reclamare videbatur. Imo ego illius animam præ gaudio præstolari non potuisse suspicor, dum ille corporeis oculis aspiciendus erat, sed corpus nimio desiderio reliquisse, vt eò citius penetraret, quo (dum literæ legerentur) illius cogitationes aduolauerant. Tum Gasparus: Fieri certe potest, vt isthæc mulierecula nimis amando deliquerit. Sic n. mulierum ingenium est, vt omni in re extrema desiderēt. Ista nimio amore vide quantum sibi, conjugi, liberis obfuerit, dum optatam jucundamq; libertatem, in luctum & mœrorem converteret. Hanc si inter eas cōnumeraueris, quæ viros beare solent, injuriā facies vniuersis. Ego illā (inquit Iulian⁹) inter eas recenseo, quæ diuino quodā affectu maritos amplexantur. De illis verò, quæ humanum genus singulari beneficio affecerunt, si velim dicere, infinitus certe numerus erit. Quarundam etiam adeò antiqua memoria est, vt verear, ne pro fabulis habeantur; cum illas veneranda antiquitas (quod adeo multa humanis vsibus necessaria adinuenerint) pro Diuis celebrarit: vt Palladem, Cererē, Sibyllas, à quib. oracula & futurorū euentus ipse Deus peti atq; intelligi voluit: Aspasiam quoq; & Diotimam, quæ & magnos viros erudierunt, & pestem deterrimam decem annis Athenis imminentē prohibuerunt. Possem hic de Nicostrata Euandri matre dicere, quæ Latinos primum literis instruxit: de illa quoque quæ Pindarum Lyricum Poëtam instituit. Quid de Corinna dicam? quid de Sappho? quarum vtraq; in arte Poëtica excelluit. Verum in rebus ita longe remotis & disjunctis non insistam. Romam equidē ipsam, quæ ad tantam imperij majestatē increuit, non minus à mulieribus, quam viris adauctā existimo. Aequum est (inquit Gasparus) id nobis à te demonstrari. Faciam hercle, idq; perlubēter (inquit Iulianus.) Postquam vrbs Troiana euersa & excisa est, nonnulli, qui tantæ cladi & victo-

*Pallas, Ceres Sibyllæ, Aspasia, Diotima.*

*Nicostrata.*

*Corinna.*

*Sappho.*

riæ ſuperfuerunt, alij alio ſparſi ac diſſipati erant: è quibus aliqui cũ turbulentiſſimas maris tempeſtates perpeſſi, Italiã (vbi Tybur mare illabitur) appulerunt: fame prope atq; inopia confecti, in terram palantes prædatum exeunt. Fœminæ, quæ in nauibus interim reſtiterunt, tantarum calamitatum pertæſæ, omnes rationes ineunt, quibus & peregrinationibus finem imponerent, & pro amiſſa patria nouam aliquam acquirerent. Cum diu deliberatũ eſſet, viris abſentibus naues incendunt, & quæ huic facinori præfuit, Roma dicebatur. Non ita multo poſt virorũ jam ſtatim redeuntium iracundiã ſubueritæ, ſumma cum humanitate eiſdem occurrunt, primumque impetum (qui fere eſt acerrimus) maritos conſanguineoſq; partim amplexando, partim oſculando mitigarunt. Pacatis deinde omniũ animis, rationis ſuæ conſilia, & rei tam prudenter inceptæ cauſam explicant. Troiani & quia eo neceſſitas impulit, & quia illius loci incolis grati acceptiq; videbantur, iſtud mulierum factum valde approbabant, eoq; loci, vbi nunc Roma eſt, cum Latinis habitarunt. Inde apud antiquos Romanos conſuetudo invaluit, vt viri fæmineq; quoties amicis obviam procederent, oſculis ſe inuicẽ ſalutarẽt. Videtis igitur iſtæ mulieres, quam præclara Romanæ vrbis principia fundauerint. Neq; ſane Sabinis mulierculis minus debetur, quod eandem ita egregie adauxerint, quam Romanis, quod fœlix initium dederint. Nam cum Romulus propter illã mulierũ rapinam vicinis omnib. inodium veniſſet, bellũ illi vndiq; acerrimũ eſt indictum. Quod ille tanta virtute cõfecit, vt apertam victoriam, cum optimis ſpoliis reportaret, vnico Sabinorũ certamine excepto, quod diu ancipiti fortunaſtetit, qui Titus Tatius eorũ Rex homo in ſumma fortitudine ſapiens erat. Tandẽ poſt multas vtrinque clades, cum nouo ſeſe eodemq; infeſtiſſimo prælio committere pararent, accurrunt Sabinæ mulieres

*Roma.*

*Sabinæ mulieres Romam auxerunt.*

*Sabinarũ oratio.*

vestitu nigro, passis crinibus, summo squalore atque lachrymis, armaq; jam nunc vulnera atq; sanguinem minitantia, nihil metuentes, inter viros patresq; mediæ consistunt, impense orantes, ne socerorũ generorumq; cruore manus inficerent. Quod si noua istæc affinitas adeò illis inusa & exosa esset, in eas potius, quam in se ferrum conuerterent, quæ multo magis emori desiderabant, quam vel instar viduarum, vel sine patre fratribusq; viuere; sæpius funestum illud in memoriam reuocantes, aut liberos ex iis prognatos esse, qui patres occidissent, vel seipsas ab illis ortas, qui maritos suos trucidassent. Earũ nonnullæ infantes lacertis tenebant, quæ linguam jam explicare, & cum auis colludere ceperunt, quib. lugubris ista matrum oratio accessit: Videte per deos vestrum sanguinem, videte effigiem, intuemini spiritũ, quem vestris manibus in isto plusquam belluino furore effundere conamini. Quid multa? affectionis vel potius prudentiæ muliebris tanta vis erat, non solũ vt reges inimicissimi fœdere certissimo sint conjuncti, sed vt Sabini etiã (quod est admirabilius) Romæ habitarẽt, vnamq; promiscue gentẽ è duabus facerent: ita muliebri virtute nouaq; concordia adeo magnum populo Romano incrementum accessit, vt eundem Romulus cum

*Triginta Curiæ Romanæ.*

postea in triginta Curias distribuerẽt, in fœminarum tam illustrium memoriam, Sabinas appellauerit. Respirans hic aliquantulũ Iulianus, cum nihil objicere Gasparum videret: Nonne istas (inquit) mulieres hominibus profuisse, & Romanæ vrbis magnitudini multum adjecisse existimas? Fateor equidem (inquit Gasparus) eas nonnihil in eo laudis promeruisse: verum nisi earum vitia nimium injuriosè occultares, illud etiã dixisses, quomodo in istis cum Tito Tatio certaminibus eadem Roma à mulierecula quadam prodita est, quæ viam rationemq; hostibus Capitolij capiendi adeo facilẽ commonstrauit, vt de tota pene

republica actum videretur. Vnicam tu mihi malam commemoras (ait Iulianus) ego tibi probas innumerabiles recitaui. Infinitas præterea alias enumerare possem, sine quibus (quæ nunc aliqua est) Roma nulla esset. Cur enim Veneri amatæ? cur etiam Caluæ templum extructum est? cur ancillarũ festa Iunoni consecrata, nisi quod illæ Romam ab hostium insidiis liberauerint? Sed vt ista relinquamus, conjuratio illa Catilinaria, quæ Marco Ciceroni sempiternã nominis gloriam attulit, nonne ab infimæ sortis muliere primum in lucem delata est? Annon illa totius Reipubl. incolumitatis (de qua ille tantopere gloriatur) causa & origo fuit? Hic ego etiã fortasse (nisi tempore excluderer) de illis hominũ erroribus dicerem, quos illæ sedulitate atq; ingenio correxerunt; sed vereor, ne nimis iamdudum prolixus fuerim. Cum itaq; muneri ab istis fœminis illustrib. mihi impositio vtcunq; satisfecerim, cedam horum alicui, qui multò quam ego meliora recensere poterit. Tum Aemilia: Noli (inquit) iustas mulierũ laudes tacere. Nam etsi Gasparus, fortasse etiam Octauianus te cum indignitate & defatigatione audiant, nos tamẽ reliquosq; dominos summa voluptate afficit ista oratio. Voluit nihilominus desistere Iulianus, nisi eum omnis nobiliũ cœtus ad dicendũ serio reuocasset. Subridens igitur leuiter, Ne Gasparum (inquit) inuniciorem mihi reddam, de paucis tantummodo dicam, quæ primum occurrant: de reliquis (quarũ immensa copia est) prorsus silebo. Cum Philippus Demetrij filius Chium ciuitatem obsideret, edicto publico decreuit, vt quisquis seruorum ex vrbe aufugeret, libertate simul cum herili vxore donaretur. Quod cum palam esset, mulieres opidanæ in summa indignitate arma arripiunt, muros q; tanta animorum ferocia defendunt, vt Philippus, qui viris ante restitisset, non sine graui dispendio & dedecore repulsam pateretur. Eædem postea quoque fœminæ,

*Philippus Demetrij filius.*

vbi cum parentibus & germanis exules essent, in Leuconiamq; veniissent, facinus nō minus illustre & egregium fecerunt. Erythræi siquidem, qui ibi cum belli sociis aderant, prelio aduersus Chios tanta atrocitate decertabāt, vt illi, cum impetū diutius sustinere non possent, eò adacti sint, vt sola diploide & camisia induti, pacti sint ex vrbe discedere. Cum fœminæ adeo turpiter & inhoneste viros assensos intelligerēt, magnopere infense, iisdem crimini vertunt, quod cum arma haberent, inermes sese inimicorū misericordiæ subjicerent. Illi cum responderent, jamdudū id conuentū transactumq; esse: At clypeos (inquiunt mulieres) hastasq; vnà nudi educite, hostibus deinde persuadere, alias vobis vestes nequaquā supereſſe. Istis cum essent assensi, dedecus illud, quod omnino euitare nō poterant, parte saltem aliqua occultabant. Cyrus quoque cum magnas Persarū copias fudisset, illæ dum fugerent, mulieribus forte in fuga dant obuiam, quæ cum ante portas gregatim consisterent, Quid facitis (inquiunt) timidi? quo fugitis ignaui? num in nostris vos vteris, vnde miseri excessistis, reconditurios putastis? Istis illi conuitiis irritati, cum se animi magnitudine fœminis inferiores perspicerent, in aciem verecundi reuertuntur, amissamq; paulo ante victoriā recuperarunt. Hactenus cum Iulianus peroraſſet, respirauit aliquantulū, & in Ducissam se replicans: Nunc tandē (inquit) per te, vt spero, Sereniſſima, tacere mihi licebit. Necesse est hercule (inquit Gasparus) cum nihil restiterit, quod dicas. Subridens tum Iulianus, Tu, inquit, cum me prouocare nō desinas, periculū sane est, ne te tota nocte mulierū laudib. detineam. Spartanæ certæ mulierculæ, quoties earum liberi mortē honorifice oppetebant, summa lætitia efferebantur: eosdē quoties timidi insulsiq; videbantur, vel prorsus repudiabant, vel suis manib. occiderunt. Fœminæ etiam Saguntinæ, cum oppugnari, & prope jam deleri patriā vide-

*Cyrus.*

*Spartanæ mulieres.*

*Saguntinæ*

viderent, ferrum contra milites Punicos fortiter arripuerunt. Cimbræ quoq; mulieres cum earũ viri à Mario deuicti essent, quoniam vt liberè Romæ viuerent, obtinere non poterant, dum Vestæ virginib. inseruirent, omnes sese cum infantibus interemerunt. Mille præterea earum præclare actis historicorũ libri sunt refertissimi. Sed heus tu (inquit Gaspar⁹) Deus aliquis norit, qua istæc veritate nitantur: adeo antiquis jamdiu temporũ vestigiis insistis, vt mille cõmenta liceat effingere, quibus nemo reclamare possit. Tum Iulianus: Quod si cuiusq; ætatis viros fœminasq; conferre placeat, facile reperies, nec olim fuisse, nec hodie esse hominibus impares. Nam vt totum antiquitatis iter omittam⁹, & ad illas temporũ tempestates veniamus, in quib. Gothi per vniuersam Italiã regnarunt; Amalasuntam Reginã summa prudentia longo spatio imperasse reperiemus: deinde Theodolindã Longobardorum Principe singulari virtute fuisse: Theodoram quoq; Græciæ Imperatricem cum primis nobilem: in Italia deniq; (vt alias cõplures taceam) vna erat inter cæteras Comitissa Maulda, singularis cuiusdam virtutis & spectatæ indolis, quam ego Ludouico Comiti laudandam relinquo, quoniã ex veteri illius prosapia fuit. imo vero (inquit Comes) id potius ad te videtur spectare: meum non est libere meorum quenquam laudare. Tum Iulianus: Quot obsecro in nobilissima Montefeltrensi familia? quot in Gonzagarum? quot in Estensi? quod in Piorum stirpe claras atq; celebres nominare licet? Quod si hodierna atq; præsentia magis placeant, ecce intra istos parietes omniũ longe illustrissimas. Sed ego ab illis non petam subsidiũ, quæ indies nobis ante oculos obuersantur, ne id mihi humanitatis causa concessisse videamini, quod meo jure vendicare possem. Verum vt ex Italia aliquantulũ expatiemur, reuocate in memorias vestras Annã Gallorum Reginã, Principẽ non minus virtutib. ornatam, quam

*Cimbræ.*

*Amalasunta.*

*Theodolindã.*

*Theodora.*

*Maulda.*

*Anna Gallorum Regina.*

quam majestate reuerendam. Eius si justitiã, clementiam, liberalitatem, vitæ morumq; sanctitatem cum Carolo & Ludouico Regibus conferamus (quib. vtriſq; nupta fuit) nulla in re inferiorẽ putabitis. Margaretã intuemini Maximiliani Imperatoris filiam, quanta æquitate prudentiaq; rerum publicarum momenta hactenus semper gesserit, hodieq; administret. Sed (vt nihil de reliquis adjiciam) dicito per deos, Gaspare, num Principũ quenquam nostra ætate videris; num apud seculum prius Regum aliquem, qui Isabellam Hispaniarũ Reginam exæquare possit? Certe (inquit Gasparus) Ferdinandum illi maritum. Valde meherçule (inquit Iulianus) istuc nõ negarem: nam cum illum Regina dignũ putauerit, qui eam duceret, cum tantũ amarit, cum obseruarit, dici nõ debet, quin cum ea conferri possit. Verũ illum honorẽ, qui illi propter has nuptias est habitus, non minorem fuisse dotem existimo, quam vniuersum Castiliæ regnum. At ego contra (inquit Gasparus) Isabellã credo multas laudes ex Ferdinandi rebus gestis cõsecutam. Tum Iulianus: Nisi omnium ordinum Hispani, nobiles, priuati, viri, fœminæ, diuites, egeni, in vnõ illius laudis mendacio mirifice conspirauerint, in toto terrarũ orbe non vidit ætas nostra, tam illustre veræ probitatis exemplũ, non magnanimitatis, non prudentiæ, non religionis, non humanitatis, non liberalitatis, non vllius deniq; virtutis aut pietatis. Et quamuis apud exteras nationes, omnesq; prope gentes illius fama mirũ in modũ propagatur, peneq; incredibilis existat: omnes tamen qui illius actis interfuerunt, istam nominis gloriam à vera virtute, certissimisq; meritis enatã affirmant. Eiusdẽ erit sententiæ, quisquis illius vitam, facta dictaq; cum fama comparat. Omitto ea, quæ & vera sunt & dici possunt, si ita vellem. Neminem omnium latet, eandẽ, cum primũ regnare cœpisset, Castiliã reperisse à magnis quibusdam & popularibus viris occupatam:

*Margaretafilia Maximiliani.*

*Isabella Hispana.*

quam

quam cum eorũ faucibus iustissime eripuisset, tanta illos modestia prudentiaq; tractauit, vt & eos pacatos quietosq; dimitteret, & illi de alienis possessionibus libentissime discederent. Quid? an illud cuiquam obscurũ est, qua animi fortitudine, qua sapientia, aduersus inimicorum potentissimorum incursus regnum perpetuo defenderit? num non huic vni glorioſissima illa post hominũ memoriam Granatæ victoria attribuenda, cum in tam longo & ancipiti bellorũ euentu, in quibus hostes ferocissimi pro aris & focis, pro legibus humanis, & (vt illi somniarunt) diuinis etiã concertarunt, tantum consilij, tantumq; virtutis præsens ostenderet, vt huius ætatis principes, illius diuinæ indoli potius inuidere, quam eandem imitari audeant? an non illam omnes in administranda republica tam incredibili ingenio fuisse confitentur, vt sola illius voluntas vnũquemq; in officio continere videretur? nonne illius nudus omnibus notis censoriis tantum præstitit, vt ne priuate quidẽ intra domesticos parietes quicquam sceleris facere aut cogitare quisquã auderet? Huius tam admirandæ in gubernando felicitatis, singulare quoddã iudiciũ in magistratib. deligendis causa erat. Ita enim quasi æquis examinatam ponderibus iustitiæ seueritatem, cum modestia, liberalitate, misericordia temperauit, vt nec bonus quisquã iusto premio, nec malus aliquis, iusta pœna caruisse vnquã videretur. Vnde totis in illã populi, tanta animorum propensio erat, tanta omnium ordinum reuerentia, ex amore constanti quodam, rimoreque enata, facile vt crederes istam eorũ mentib. opinionem resedisse. Eandem scilicet eorũ mores quasi de cœlo diuinitus obseruasse: adeoq; illis nomine, atq; institutis eadem adhuc imperia facile gubernantur; vt etamsi vita desit, authoritas tamen adsit, vt in rotis fieri solet, quæ violenter in circulum actæ, eundem aliquandiu cursum tenẽt, etiamsi vis illa mouens cessauerit. Ponito

*Granata victoria.*

quæso ante oculos (Gaspare) vniuersos istius seculi Hispaniæ proceres, quorum nemo aliqua in re clarus & excellens est, quin eande ab Isabella acceptam refe-

*Gonsaluus Ferdinandus.*

rat. Magnus certe ille Imp. Gonsaluus Ferdinandus, huius vni⁹ gratia celebrior est, quam victoriis omnibus, quibus pace belloq; floruit: & tamen (nisi fama de illo injuriosius decernat) testes sunt omnes provinciæ, neminem nostrorum temporum Principem illius res gestas, fortitudinem, scientiam adæquasse. Verum ad Italiam reuertamur, in qua dominæ nunquam defuerunt, omnium illustrissimæ. Harum duæ Neapolitanæ erant, tertia Pannonien sis, sed Neapoli defuncta. Qua vti sol nunquam clariore vidit, ita cum illius viro Matthæo Coruino jure optimo comparari

*Isabella Aragonẽsis.*

potuit. Huc accedit Isabella Ducissa Aragonensis, ademq; Ferdinandi Neapolitani soror, quæ turbulentissimis fortunæ tempestatibus, non secus quam aurũ

*Isabella Mantuana.*

igne, probata est. Altera quoq; Isabella Marchionissa Mantuana, cui summam injuriam facerem, si de illius laudib. adeò parce & tenuiter dicerem, vti apud istos homines est necesse. Sed illud certe mihi vel maxime

*Beatrix Mediolanensis.*

dolet, quod eius sorore Beatricem Ducissam Mediolanensem non noueritis, tandē aliquando vt desineretis muliebre ingenium admirari. Aleonora etiam Ferraræ Ducissa, harũ vtriusq; mater, talis habebatur, vt & propter virtutes regia proles videretur, & digna etiã quæ multo meliori regno imperaret, quam illud erat, quod ei à majoribus est relictum. Quot quæso existimatis esse (homines cum simus) qui animo impauido & inconcusso, tot fortunæ ictus atq; procellas

*Isabella Neapolitana.*

paterentur, quot Isabella Neapolitana? quæ postquam regno spoliata, virumq; Ferdinandũ exulẽ, eundemq; non ita multo post cum duobus liberis trucidatum vidisset, cum filiũ natu maximum, Calabriæ Ducem, carcere relegatũ cognouerat, Reginæ tamen dignitatẽ, majestatemq; semper retinuit, nec vllis cessit inopiæ

piæ calamitatibus, quibus noster sexus plerunq; frangitur: vt etiamsi fortunā commutasse, mentē tamen inuiolatā reseruasse videatur. Prætereo alias infinitas & magni nominis, & inferioris conditionis mulierculas: vt Pisanas illas, quæ dum patriā contra Florentinos propugnarent, illum mortis contemptū indicarunt, quem inuictissimus quisq; animo solet ostendere. Id quod Poetæ nonnulli sempiternis monumentis commendandū putarunt. Possem hic ego nonnullas recensere in literis, in musicis, in arte statuaria peritissimas: sed quid attinet ea indagare exempla, quæ vestrum cuiq; sunt valde familiaria? Satis erit, si eas tantum in memoriam reuocetis, quas ipsi optime per vos cognoscitis, quod dum facitis, facile perspicietis, eas parentibus, viris, fratribus omni in re nō esse inæquales: Imo cosdē sæpenumero vel bonis præceptis imbuisse, vel à malis errorib. reuocasse. Fateor equidē heroicas illas Reginas spiritum jam non ducere, quæ regiões longinquas expugnēt, quæ ædificia ingentia, Pyramides, ciuitates extruant, vt Thomiris Scythiæ Regina, Artemesia, Zenobia, Semiramis, Cleopatra: sed ne illud quidē concedo, supersse plures Cæsares, Alexandros, Scipiões, Lucullos, reliquosq; Romanos Imperatores. Arridens dum Phrisius: Noli (inquit) existimare, fœminas vnquam Cleopatriæ atq; Semiramidi similiores fuisse, quam nunc sunt. Nam etsi possessionibus, diuitiis, potentia minores fuerint: in omni tamē voluptatis atq; libidinis genere reperiuntur æquales. Nunquam ne vero te (inquit Iulianus) intra rationis limites continebis? Quid si multæ inter mulieres Cleopatræ sint; multi quoq; inter viros Sardanapali inueniētur, quod est multo deterius. Iniqua isthæc comparatio est (inquit Gasparus.) Neq; vero id cogitare te velim, fœminis viros non esse contentiores: qui si non essent, pejor tamen illorum conditio non existeret. Incontinentiam siquidem muliebrem mul-

*Hodiernæ fœminæ Cleopatræ & Semiramidi similes.*

*Fœminis pudicitia magis necessaria quam viris.*

multa sequuntur incommoda; virilem non item. Et proinde(vti heri ingenue accepim⁹)præclare à maioribus constitutũ est, vt reliquis in rebus omnib. cursu paulum eis deflectere liceat, vt in hanc vnã pudicitiæ virtutẽ neruulos omnes adhibeant: sine qua & proles incerta est, & affinitates (quæ totius mundi compagines sunt) laxæ liberæque, & amor in liberos vagus & inconstans. Et propterea viri, si quando voluptatibus diffluant (quoniam nouem mensibus nõ parturiunt) minus id in illis reprehenditur. Præclara mehercule argumenta, inquit Iulianus, mirũ ni ista literis commendetis. Sed dicite obsecro, cur vita libidinosa atq; intẽperans æque in viris atq; fœminis nõ sit odiosa. Nam cum illi natura maioris prudentiæ atq; virtutis sint, quid ni se facilius contineant? quod si facerent, nulla esset liberorũ incertitudo. Nam mulieres etsi in omnem lasciuiam atq; luxuriẽ præcipites essent, nisi virorũ pariter consensus accederet, liberis illæ ex se ipsis operam dare nõ possent. Sed(si vera fateri libet) satis intelligitis nostra nobis authoritate libertatem nos istam, aut pot⁹ licentiã vendicare, vt ea in nobis pro nihilo putemus, nonnunquam etiam laudi ducamus, quæ in mulieribus, vel mortis crudelitate, vel ignominia sempiterna afficimus. Quæ quoniam tam altis defixa radicib. in animis nostris insedit opinio, æquũ est illos grauissimis pœnis affici, qui spoliandæ dignitatis gratia, maledice, contumelioseq; mulierib. detrahunt. Et nobilem quemq; obligatum existimo, veritatem vt vi & armis defendat, præsertim si fœminam spectatæ virtutis injuste accusari videat. Ego v. (inquit Gasparus) non solũ id quod dicis à generoso quouis efflagito, verumetiam vt humanitatis ratione multa earum crimina penitus defixa atq; inhærentia simulatiõis inuolucris obtegat. Ita me vides, quoties ratio suadet, à mulierib. magis quam teipsum stare. Id equidẽ dissimulare non possum, libertatẽ sibi quandã viros

viros asciuisse, quoniam istuc cõmuni omnium opinione confirmatur, vitã intemperanter actam, minus in illis vitiosam esse, quam fœminis, quæ sexus imbecillitate facili⁹ ab appetitu tanquã mancipia trahuntur: quæ si libidini aliquãdo pepercerint, pudore, non voluntate prohibentur; in eumq; omnino finem viri illis ignominiæ metũ tanquam pudicitiæ frænos injecerunt, vt, velint, nolint, eam virtutẽ insectẽtur, sine qua nulli⁹ pretij aut momenti essent. Nulli siquidem rei inseruiunt, nisi liberis tantũ procreandis. Non est eadẽ virorũ ratio, qui ciuitates gubernant, capessunt respublicas, exercitus ducunt, aliaq; permagni ponderis nonnulla: quæ quomodo mulieres faciant, non disputabo, satis est nihil istorum facere. De virorum quoq; continentia si periculum faciendum erat, in ea non minus quã reliquis virtutibus satis ostenderent, quanto mulierib. superiores essent. Ego tibi nec tantas historias, nec tot fabulas (quod tu nobis) commemorabo: tantum tibi summorum Imperatorum par proponam, qui in ipsa victoria (quæ nos plerunque ferociores reddit) sese mirifice continuerunt. Nam & Alexander superato Dario, formosissimis illi⁹ mulierculis abstinuit. Et Scipio vix dum 23. annorũ cum in Hispaniis vrbem expugnasset, nobilis eademq; virgo longe venustissima ad eundẽ est adducta: quam cum illius nationis Regulo desponsatam intelligeret, non solũ in eandẽ nihil libidinose egit, sed magnis cumulatam donis, intactam inviolatamque iuueni remisit. Illa quoq; Xenocratis continentia pene incredibilis, cui cum pulcherrima mulier nudo lecto ad latus tota nocte accumberet, multisq; illecebris atq; lenociniis (quo in genere peritissima fuit) vteretur, eundem tamen nunquam eò pellicere potuit, vt vel vnicũ turpitudinis atq; petulantiæ signum daret. Periclis verò ea fuit in continendo seueritas, vt cum pueri cuiusdam formam vehementius à quodam laudari audiuerat, eun-

*Alexandri continẽtia.*

*Scipionis.*

*Xenocratis.*

eundem continuo acerrime reprehenderet. Multos præterea alios licet recenſere, qui ſua ſponte pudiciſſimi, nullo impulſu, nullo metu, nullo pudore, ſunt adducti, cũ iſtæc interim omnes plerunq; mulieres in officio continere ſoleant: quod ego tamen illis laudi poti⁹ quam vitio verterem: Imò eos grauiſſimis ſupplicijs afficiendos exiſtimo, qui earũ pudicitię notam turpitudinis aliquã temere & injurioſe inurunt. Hic Cæſar, poſtquam diuturno ſilentio vſus eſſet, Videte, inquit, diligenter, quo tandẽ orationis genere Gaſparus noſter vtatur, quoties mulieres vituperet, cum nunc eaſdem laudaſſe, videri velit. Verum ſi mihi per Iulianum licebit, falſiſſimis quibuſdã illi⁹ calumniis occurrere, vtriq; fortaſſe noſtrum non erit incõmodum. Nam & ille cum ſe recollẽgerit de aulica fœmina melius & neruoſius dicet, & ego Athletæ inclyti officio fungar, dum vna cum illo veritatis patrocinio ſuſcepero. Ego v. (inquit Iulianus) magnopere te oro, id vt facias, mihi quidẽ ſatis iamdudũ dixiſſe videor: & ille, qui mihi noniſſime ſermo propoſitus erat, vereor, ne aliquantulum de re præſenti deflexerit. Tum Cæſar: Illud vobis etiã atq; etiã non libet inculcare, prẽter liberorum ſuauiſſimorũ procreationẽ quantæ & quam immenſæ vtilitates per omnes totius mundi partes, mulierum opẽ atq; miniſterio propagantur. Id vnum ſatis eſt, non ſolũ nos omnes ex illis habere quod ſumus, ſed quod bene ſumus, Verum ad te (Gaſpare) venio: tu cum mulieres dicas appetitu & perturbationib. magis cõmoueri, quam viros, & ab eiſdem magis tamẽ abſtinere (nam id quoq; conceſſeras) majori mehercule laude cumulandæ mihi videntur, quo min⁹ ad reſiſtendũ ſexus imbecillitate valẽt. Quod ſi verecundia ductas hoc dicas facere, vide ne dum vnã virtutẽ imminuere velis, duas attribuas. Nam pudor in illis ſi appetitui prævaleat, ſi à turpitudine reuocet ego illum pudorẽ (qui nihil eſt aliud, quam infamiæ metus)

metus) præstantissimam virtutē existimo, eandemq; in hominibus ipsis rarissime inueniri. Ego hic si absq; summa virorū nota, ostendere possem, quot illorum fœdissimo impudētiæ cœno obuoluti, aut potius immersi sunt (quod vitiū huic verecundiæ plane est contrariū) castissimas istas aures dicedi impunitate oftenderem. Illud certe non tacebo, eos homines, qui isto errore præ cæteris insignes, qui Dei ac naturæ hostes sunt, ætate plerunq; prouectos esse, vel religioni, vel philosophiæ vel S. literis legibusq; initiatos, eosdem respublicas plusquā Catoniana seueritate capessere, tanta vultus cōstantia, tanto integritatis prætextu, vt fœminarū semper libidines & incontinentiam apertè detestentur: cū ipsi interim nihil magis doleāt, quam suam in ea re potentiā, cuius desideriū in eorum animis tenacius retinent; cum ipsius corporis vires jam pridē recesserint, ita & arte & veneficiis nonnunquam id supplent, quod natura & ætas denegauit. Sed quicquid hic tetigero vlcꝰ erit. Satis est, id mihi jam antea concessum esse, fœminas ab impudicitia, quam viros alieniores esse. Neq; vero id dici potest, illis eas frēnis cohiberi, quos sua voluntate ipsæ sibi nō injecerunt. Nam quæcunq; earū curiosius obseruantur, vel conjugum verberibus, vel parentum minis coercitæ, illæ multo impuriores sunt, quā eæ, quæ in summa libertate pro arbitrio viuunt. Ipse siquidem virtutis amor, ipsa fama, mulierū frena sunt, quæ vel ipsius suauitati multas mea memoria postposuisse cognoui. Etsi vera mecū recognoscere velitis, quot obsecro adolescētes meminimus, natu nobiles, prudentes ingenio, armis valētes, corpore & vultu formosos, qui totā fere ætatē misere amando contererent, nullā sollicitudinē, nullas preces, nulla præmia, nullas lachrymas, nihil denique omittentes, in quo aliquid præsidij putarent, cum omnia tamen inania & plusquā contemnenda erant? Mihi verò nisi jure posset objici, nihil in me dignū esse

*Nonnulli venerē & veneficiis aut gent.*

quod

quod ametur, ego me ipsius familiarissimo exemplo vti possem, qui incredibili quadã mulieris constantia atq; honestate eo adactus sum, nihil vt propius factũ sit, quam vt ipse mihi mortẽ conscisscerem. Noli illud tantopere admirari, inquit Gasparus. Nam mulieres cum valde orantur, eum serio oderunt, qui orat: ille v. quæ à nemine exorantur, ipsæ alios exorare solent. Nunquam equidẽ eum cognoui, inquit Cæsar, qui à muliere orat⁹ esset: id vero aliquos venditasse accepi, cum se frustra contendisse animaduerterent. Ea enim est impudentium vindicta, vt eam se voluptatem percepisse glorientur, quam animo tantũ conceperunt, nunquã nè summis quidẽ labris degustarunt. Rumorib. deinde ignominiosis pugnãt, noua inuenta, nouas fabulas spargunt, iisq; omnibus honestissimæ cuiuspiam fœminæ dignitati detrahunt, in eoq; Curiales se egregios existimant. Verum illi qui spectatæ cuiusq; mulieris famæ siue vere siue injuste derogãt, grauissimis certè pœnis afficiendi videntur: iiq; qui eos iisdẽ excruciant, immortalitate remunerãdi sunt. Nam illi si mentiantur, quid est crudelius, quam illud miseræ adimere mulieri, quod vita charius putauit? si verum sit, quæ tormẽta, quod suppliciũ illi sufficiet, qui cum assentatiõibus, lachrymis, fraude, precibus, lamentis, perjuriis, honestã eo pellexerit, vt se suaq; omnia cũ malo genio committeret, tanta demũ ingratitudine, tanta immanitate eandẽ pensitet? Sed ad illã Alexandri & Scipionis continentiam veniamus, quam etsi singulari laude dignam non negauerim, tamẽ recentissimæ memoriæ tibi fœminam commemorabo (ne me pervetera atq; ficta recẽsere dicas) cuius multo admirabilior pudicitia videbatur. Memini equidẽ non ita pridẽ mulierculam fuisse quandã honesta forma teneraq; ætate (nomen non libet apponere, ne illi statim insultent, qui fœminas honeste amare non posse existimant) quæ cum ab adolescente nobili, igenioq;

*Mulierum ingenium.*

pluri-

plurimi fieret, in eum ipsa quoq; nonnihil commota est. Cuius rei non solū ipse auritus testis eram, cui illa tanquā fratri aut intimæ potius sororculæ omnia sua cōsilia credidit, sed multi etiā alij, qui istam affectionem tanquam apertissima luce positam cōspexerunt. Nec ita tamen in amore oscitans aut supina fuerat, vt cum toto biennio amasset, vllū vel minutissimum juveni amoris signum daret: ea tantū exciderunt, quæ nullo modo celari poterant. Nunquā cum eo collocuta est, nullas literas, nullas benevolentiæ arrhas, nulla pignora, quæ indies oblata erant; acceperat: ea tamē quam vehementer desideraverit, ipse mihi sum conscius, qui eam sæpiº animaduerti, quoties occulte in rem illius aliquā inciderit (cuius nemo testis erat) adeo eandem religiose observasse, quasi vitam in ea fortunasq; omnes positas haberet. Nihil tamē aperte, nihil sponte videbatur facere, quod ille cuperet: id tantum illius desiderio permisit, vt in spectaculis, & congressibus, eundem aspicere, & ab eodem vicissim conspici, nonnunquā cum eo vnà sicut cū aliis saltare non recusaret. Tandē cum tempus vtriusq; animum paulatim explicuisset, cum nullū vere cōditionis aut ætatis discrimen viderent, felicē tantæ benevolentiæ successum in matrimonio reponere atque terminare vtrinq; desiderabant. Vrbani omnes viri fœminæque idem optabant, durº tantummodo pater obstitit, qui dum opib. vehementius inhiaret, maritum ditiorem parabat; cuius illa insanis conatibus solis lacrymis & squallore resistebat. Cum itaq; novæ hæ nuptiæ non sine magna populi cōmiseratione, & summa amantium desperatione fierēt, recens istæc fortunæ securis antiquas benevolentiæ radices ita prorsus excidere non potuit, qui toto triennio tenacius inhæserint: etsi easdē illa & artificiose recondiderit, & sæpius amputare decreverat, quas diutiº sine periculo fovere non poterat. Quid dicam de singulari illius in continendo

perseuerant? quæ cum plane perspiceret, eo honeste se frui nō posse, quem summe reuerita est, rescindere potius illius cōsuetudinem, aspectum, literas, arrhas, monilia repudiare putauit, quam honestatis rationes periclitari. In hac tam inaudita integritatis opinione sensim cōtabuit, & post miseras toti⁹ triennij ærumnas moritur. Tanti apud illam honesti existimatio valuit, vt omnes potius voluptates, imò ipsam vitā deserere, quam illam exuere maluerit. Et quamuis neque consiliis, neque ope, neque oportunitate caruerit, quibus omnia sine suspicione atque periculo conficeret, illi tamen rei per se resistit, quam ex animo tantopere cupiebat, cum ille petitor esset, quem vnū ex omnibus solum diligeret: eaq; interim omnia ad virtutis amorem, non ad periculi cuiusquam metum referebat. Quid de alterā quadam virgine dicendum putabis? quæ cum totos sex menses in hortulo amœnissimo cum eo pernoctaret, quem vnice diligeret, tamen nec propriis desideriis cessit, nec petitionibus & lamentis illius, quem suo spiritu chariorē habuerat. Et quamvis illius lacertis tanquam suauissimis catenis perpetuo teneretur, pudicitiam tamen religiose intactam, inuiolatamq; seruauit. Num istā (Gaspare) continentiam cum illa Alexandri cōferri non posse existimas? qui non tam Darij mulierculas, quam gloriolā quandam affectabat, qua vt immortalitatē consequeretur; cum omnes labores, omnia pericula, omnes vitæ jucunditates aspernatus esset, quid est, quod tantopere admiremur si ab eo abstinuerit, quod nunquā valde desiderauit? Nam cum illas nunquam antea mulieres conspexerit, heri non potest, vt illas tā subito amaret: quin potius Darij causa credibile est, easdem occulte odisse. Deniq; cum ista earum conditio fuerat, omnis illius actio libidinosa, injuriæ potius in illis, quam amoris nomē obtinuisset. Mirū proinde non videtur, si Magnus ille, qui totum terrarum orbē fortitudine

*Virginum castissimarum exempla duo.*

inui-

inuictoq; animo superauerit, in mulierum miserias injuriosus esse noluerit. Scipionis etiam continentia valde illa quidem laudanda, sed minime tamen cum istis fœminis conferenda. Nam & ab illis abstinuit, quas vehementer non cupiebat, & in mediis hostibus fuerant, qui eum tanquã in speculis nouiter ingressũ obseruabant: & magnã post se Romæ expectationem reliquerat, & judicibus domi seueriſſimis obnoxius erat, qui vt minimos sæpenumero errores grauissime puniebant, ita illius quoq; victoriæ tenebras offudissent (præsertim cum nonnulli inimici essent) si virginem nobilem, eandemq; viro illustri desponsatam, juueniliter violasset. Ille in tantis difficultatibus & angustiis positus, leui & periculoso appetitui nihil concessit, sed liberali quadam & syncera temperantia omnium ad se animos (vti memoriæ proditum est) allexit. Ad alterum quoq; exercitium ita virtus istæc peruagata est, vt quorum fortasse ferocia, armis expugnare non potuit, eorum mentes beneuolentia delinitæ sint. Ita istud potius illius strategema quam continentia appelletur. Quanquam ne ipsa quidem fama satis in eo sibi constet. Multi siquidẽ non parui momenti authores, istam fœminam Scipioni in deliciis diu fuisse scribunt: & ego sic se rem habuisse sine dubio vobis ausim affirmare. Tum Phrisius: Tu ista fortassis in Euangelio reperisti. Istis quidẽ oculis sæpenumero legi (inquit Cæsar) & propterea mihi de eo certius constat, quam aut vobis, aut alij cuipiam, Alcibiadem illum è Socratis lectulo alia mente non surrexisse, quam filij solent de patrũ cubilibus. Nam in istuc altius intuenti, & lectus inoportunus, & nox aliquantum intempestiua erat illius pulchritudinis cõtẽplationi, quam adeò pure atq; integre sine vllo inhonesti desiderio Socrates amasse dicitur. Et vt multa paucis contraham, cum animi magis formã, quam corporis, amplexus fuerit Philosophus, senilis potius

*Alcibiades*

*Socrates.*

iste amor, quam puerilis extitisset. Verum ad virilis continentiæ confirmationem, locupletiorem testem non desidero, quam tuum Xenocratem, qui studio implicitus labore defatigatus, religatus Philosophiæ (quæ in agendo non loquendo cõsistit) annis & senio confectus, vitali spiritu & calore spoliatus, nec animo ad eam rem propensus, nec corpore valens, denique totus languidus & exhaustus à meretrice abstinuit, à qua in eo ipso quod cõmunis erat, tanquam à publica sentina abhorrere poterat. Ego illũ tum cõtinentem dicerem, si integris acerrimisq; sensibus continentia vsus esset, aut si in vino (quo magis senes, quam Venereis certaminibus delectantur) abstemius esses. Sed cum illi multorũ scriptis vinolentia attribuatur, quid potest à temperantia longius abesse? Et si rem veneream in illa annorũ pigritie & frigiditate cohibuisse, adeo laudabile visum fuerit, quanto id in illa tam tenera duarum virginum ætate excellentius? Quarum altera eã vniuersis sensib. caliginẽ & stuporẽ offudit, vt nec oculis videre vellet, quod maxime cupiebat, nec aurib. audire, quod cordi atq; animo suauissimo pabulo fuisset: altera cum illius brachiis implicata esset, quem toto orbe chariorem habuerat, & contra se pugnauit acriter, & contra eum quem seipsa magis amabat, easq; affectiones tumultuantes euicit, à quibus sapientissimi sępe viri sũt deuicti. Tune (Gaspare) justam esse causam nõ existimas, cur Xenocratis scriptores pudeat, præsertim si temperatũ dixerint? Quod si tantis post seculis veritas elici posset, ego illũ vino somnoq; adeo lethaliter immersum & sepultũ credo, vt etiamsi pellicis illectamentis sollicitaretur, nihil horum persenserit, nedum oculos in sequentis diei meridiem aperuerit. Ridebant hic promiscue omnes: tandẽ Aemilia, Si altius tecum (inquit) egeris, Gaspare, non dubito, quin alterum continentiæ exemplum huic quam simillimum memineris. Tum Cæsar: An

*Xenocratis vinolẽtia.*

non istuc obsecro persimile est, quod de Pericle adduxerat? Mirum mehercule est, quod illud argute & continenter dictum non meminerit, scilicet: *Non emam tanti pœnitere*, cum propter vnius noctis insaniam, magna pecuniæ vis à quodam efflagitaretur. Arrisum est vehementius: deinde cum Cæsar paulum respirasset, Ignoscas mihi (inquit) Gaspare, si vera dicam; nam istæ profecto temperatæ virorum actiones sunt, quas illi de seipsis prædicant, dum mulierum impotentias incusant, in quib. infinita quotidie continentiæ indicia deprehenduntur. Nam si æqua lance veritatem librare velimus, facile quidē perspicimus, nullam arcem adeò esse inexpugnabilem, quæ illis machinis & insidiis oppugnata, quibus mulierū animi tentari solent, primo quoq; tempore se non dedat. Cum v. se suaq; omnia viris subjecerint, cum eosdem ad magnos honores euexerint, cum possessiones fortunasque omnes alterius voluntati tradiderint, quot obsecro sunt, qui proditoris nomen nihili putantes, eadē omnia aliis quibus non debent nefarie largiantur? Horum vtinā hodie tanta inopia foret, difficilius vt esset eos invenire, qui fecerint, quod debebant, quam eos nominare, qui id omiserint. Quot obsecro terra, homines, latronū incursu spoliātur? Quot mari Piratarum prædis exponuntur? quot sacerdotes sacrilegi sunt, dum res diuinas venales prostituunt? quot jurisperiti testamenta subuertunt? quæ perjuria ab illis emanant? quot fictitias syngraphas ad quæstum excogitāt? Quotusquisq; medicorū ægrotis venenum lucri gratia non subministrat? Deniq; mortis metusq; impulsu, quam nefanda & incredibilia homines vbivis gentium agant? Quibus omnibus juuenis sæpe & imbecillis muliercula restitit, dum periculose facere, quam turpiter pati maluerit. Tum Gasparus: Vix hercle crediderim istiusmodi in hoc seculo mulieres. Ego tibi (inquit Cæsar) antiqua non commemorabo:

hodie sane reperiri possunt, quæ mortẽ nihili faciant. Nondum nobis è memoria excidit tempus illud quo Capua à Gallis est direpta. In ea cum nobilis eademq; venustissima virgo à Vasconibus capta esset; ne illi pudicitia eriperetur, finxit aliquid sibi obtigisse circa calceos negotij, cumq; laxam se atq; liberam è manibus adducentis perspiceret, in medium se amnẽ, qui Capuam alluit, injecit. Quid de altera fœmina diçam, cuius obscurior paulo conditio erat, quæ cum nuper Gazuoli in agro Mantuano frumentũ vnà cum sorore legeret, in domum quandã dum se calor frangeret, se recepit: quam cum paterfam. homo juuenis honesta facie videret, eandẽ primo complexus verborũ suauitate pellicere occœpit: cum verba nihil proficerent, minis egit. Verum cum ne minis quidem concederet, verberibus & violentia, pro libidine res acta est. Illa deinde suspiriis & lamentis ad sororẽ in agrũ reuersa, nullam doloris rationem indicare voluit, sed quasi ægritudine aliqua correpta, domum properat: cumq; jam mitiori paulatim animo videretur (ne illius conatibus obsisteret) negotij aliquid sorori committit. Postea cum ad oleum flumẽ prope Gazuolum peruenisset, paulum secessit, seq; subito in amnem immisit. Soror quæ longe nondum aberat, mœrore & gemitu plane amentata, eo velocissime insequitur, quo eandem vehebat flumen; & quoties per summam aquam appareret, funem, quo frumẽta ligauerat, eidẽ porrigit. Illa etiã apprehendere, firmiterq; tenere poterat, sponte tamen renuens, eundem manu abjecit: ita propositi tenax, emori per virtutem maluit, quam per dedecus viuere; cum interim neq; generis nobilitate, neq; mortis metu, neq; infamiæ periculo, sed vna pudicitiæ jactura torqueretur. Ex istis facile licet colligere, quot aliæ fuerint egregiæ mulieres, cum (vt ita dicam) vno vix abhinc triduo, tantæ virtutis fœmina extiterit: de qua & ingens silentiũ est, nec illius (quod sciam)

*Virginum castissimarum par.*

sciam) nomen ad aures nostras percrebuit. Verum nisi Episcopus Mantuanus, Ducissæ nostræ patruus, adeò cito vita functꝰ esset, Olei ripa, vbi illa se immerserat, magnifico sepulchro exornata esset, in illius animulæ memoriam, quæ tanto honorificētior esse debuit, quo cōrpori ignobilior habitauerat. Restitit hic paulum Cæsar, Deinde mea quoque memoria (inquit) Romæ illustris quædam eademque pulcherrima virguncula, cum à iuuene quodam vehementissime ad amorem alliceretur, nullo modo ne aspectu quidem, aut oculorum obiutu est assensa. Quod is cum plane animaduerteret, ancillā illius pecuniis corrupit: quæ vt & illi gratum faceret, & nummis sæpius potiretur, dominæ profesto die persuadet, vt fanum Sebastiani adiret: adolescentē interim cum de tota re certiorem fecisset, quidq; agendū putaret, cōmonstrasset, heram in obscuras quasdam cauernas perducit, quas illi solent ingredi, qui sanctum Sebastianum inuisunt. In illis adolescens iste furtim delituit, cumq; se solum cum sola intelligeret, blande primum & comiter allocutus, suadet vt illius tandē misereat, & inexorabilem animi duritiē in amorem conuerteret. Sed cum istas nequicquā voces excidisse videret, confestim minas, deinde vim addidit; adeò iam illi certum fixumque animo erat, nefario voto quoquo modo potiri. In quo etiamsi flagitiosæ pedissequæ ope atq; ministerio vteretur, nunquam tamen cum misera virgine (cuius exiguæ vires erant) in tantum conualuit, vt vel verbo vel gestu consentiret. Ille indignitate perculsus, cum nihil obtinere poterat, & meruens etiā sibi, ne si illa viueret, amicis tam nefandos conatus indicaret, auxilio impurissimæ ancillæ, eandem suffocauit: ipse deinde sibi fuga prospexit. Ancilla tanto scelere occœcata, fugere non potuit: sed post aliquas suspiciones deprehensa, de tota re confitebatur, easque pœnas, quæ tantis flagitiis debebantur, est perpessa.

*Romanæ virgunculæ contumelia.*

Corpus nobilissimi virginis magna celebritate Romã deferebatur, caput laurea redimitum est, magnoq; virorum & mulierũ comitatu circumstipatum: è quibus nemo adeo cordis adamantini erat, quin multas acerbissimasq; lachrymas profuderit, multũ vt dubitaretur, majore ne mœrore tam omnes, an honore prosequerentur. Verum vt ad propria aliquantũ, & tibi ipsi notiora accedamus, nõne dominam Felicẽ Rouerensem accepisti, cum Saonam versus nauigaret, veritam ne Alexandri Pontificis nauiculis caperetur, in mediũ se pelag⁹ potius præcipitare, quam famam periclitari decreuisse? Hoc illius leuitati tribui non potest, cum nemo ignoret, quanta semper ingenij acie singularis illius forma condita erat. De nostra equidem Ducissa silere diutius non possum, quæ etiamsi vnà cum viro per totos quindecim annos solitariam instar viduæ alicuius vitam ageret, tamẽ nec illi vnquam consuetudini reclamare voluit, nec tantum animi morbum cuiquam mortaliũ indicare. Cum ab amicis persuasum esset, vt istam vitæ acerbitatem exueret, exilium, inopiam & omnes potius simul miserias amplexa est, quam eam vitæ consuetudinẽ iniret, in qua alij beatitudinem positam arbitrantur. In istis cum jam vltra progressurus videretur, Quin aliud quæso aliquid attexe (ait Ducissa) satis tibi aliis in rebus, quod dicas, superesse intelligo. Tum Cæsar: Vos mihi istuc (Phrisi & Gaspare) sat scio non negabitis. Sit ita, quoniam ita vis (inquit Phrisius) sed illud meminisse debes: vnitatem non facere numerum. Certum est (inquit Cæsar) istas tam raras & incredibiles animi virtutes in paucis deprehendi: omnes tamẽ quæ vehementissimis amorum flammis nihil cõcedunt, admirandæ mihi videntur; quæ verò aliquid eisdẽ largiuntur, sæpenumero miserendæ. Tantæ n. sunt amantium illecebræ, tanta lenocinia, tot fraudes, tot insidiæ, nil vt admirabilius sit, quã à tenera muliercula, eadẽ omnia euitari posse.

*Domina Felix Rouerensis.*

Quo

Quo obsecro die, qua hora vel literis, vel nummis, vel arrhis, vel aliis (quib. maxime delectari solēt fœminæ) non sollicitātur? Quando illæ è fenestris propīcere possunt, vt amantes interim flebiliter obeuntes non videāt, qui etsi verbis sileant, oculis tamē loquuntur? His accedunt vultus subtristis, color pallidus, gemebunda vox, ignita suspiria, lacrymæ prope innumerabiles. Quod si mulieri foris prodeundū est, si templū, aut locus aliꝰ abeundus, in omni fere diuorticulo istę se statim vmbræ offerunt, & coram facie consistunt, tanto squallore, tanta macie, vt illis jamjam moriendum putes. Hic ego prudens multa curiose inuenta prætereo, multa symbola, epulas, choreas laruatas, hastarum gladiatorumq; concertationes, quæ mulier omnia in suam gratiam excogitata esse cognoscit. Noctu verò si forte è somno excitetur, musicā audiet vndiq; circumsonantem: aut si nihil musicæ fuerit, adeò omnia singultu & lamentis implebuntur, vt lemures præ foribus obuolitare videātur. Si cum ancillis de istis forte colloquatur, harum aliqua adulterinis nummis corrupta, vel nuntiū aliquem habet, vel munus, vel literas, vel aliquod deniq; in promtu lenocinium: nec hic desistit, quin statim significet, quomodo ille homo infelix amore ardeat, quomodo suā vitam fortunasq; omnes præ illius beneuolētia nihili faciat, cum nihil interim præter honestū moliatur, nihil desideret, nisi vt vnà paulum colloquantur. Hæc si forte non libenter audiat, nulla difficultas esse potest, cuius non sit præsens remediū: fiunt statim claues fictitiæ, scalæ ex funibus, medicamēta somnifera, omnia tanquam facilia ad oculū depinguntur, exempla aliorū multo pejora adducuntur, denique sic omnia affabre conficiuntur, nihil vt reliquū sit, nisi vt illa cōsentire se dicat. Quod si illa paululum etiamnū se retrahat, suadent fortiꝰ, animos addunt argumentis, id deniq; instando consternunt, quod resistendo diutius stare

*Amantiū illecebræ.*

non poterat. Audiui equidem, nonnullos fuisse, qui cum victoriam desperarent, verborum suauitatem in terrorē conuerterent: nec minitari desisterēt maritis, indicare se velle, id eas esse quod reipsa nō essent. Alij cum patribus, nonnunquā etiam cum viris audacter paciscuntur, filiasq; & vxores pretio prostituere impellunt. Alij philtris & mirificis carminū virtutibus, eam animis libertatē eripiunt, quam Deus liberaliter indidit. Mille vix anni sufficient, ad omnes illas machinationes dolosq; commemorandos, quos viri (vt mulieres circumueniant) excogitare solent. Et ne priuata cuiusquam industria minus valere videatur, non defuerunt, qui libris ingenioſe cōpositis, de fœminis decipiendis regulas & præcepta traderent. Vos interim vobiscum perpendite, quomodo istæ simplicis veritatis cultrices, ex tantis & tam multis retibus explicare se possint. Quod cum ita sit, quid est, quod tantopere admiremur, si tandē aliquando mulierecula amori cesserit, cum se ab adolescente fortasse nobili, eodemque viro probo, tot annis coli diligiq; videat, cum ille nullos labores, nulla discrimina refugiat, dum ei placere possit? Hęccine adeo sunt admirabilia, quum ipsa marmora (quibus nihil durius) perpetuis vndarū guttulis penetrari videamus? Num si illæ in istas illecebras, sex? (vt dicis) imbecillitate inciderint, eam veniā non promerentur, quam homicidis, latronibus, sicariis, proditoribus concedemus? Num tanta istius erroris vis est, vt si in illum, vna aliquando mulierecula nescia prolabatur, totum proinde genus muliebre incontinentiæ labe aspergatur? nihilne illarum constantia, nihil inuictus animus proderit, quæ quasi corde adamantino, sic omnib. amantiū illectamentis solent occurrere, quemadmodum scopuli vndarum gurgitibus perpetuo resistunt? Hic cum paulū Cæsar taceret, cepit Gaspar? illius orationi respondere: quod cum Octauianus animaduerteret, quin tu per deos (in-

*Veneficia detestanda*

(inquit) Cæsari victoriam concedito, ille vsque adeò triumphauit, tu vt parũ profeceris, & (nisi me animus fallit) non mulieres solũ inimicissimas tibi facies, sed plerosq; etiã viros. Subridens tum Gaspar⁹: Imò verò, inquit, est quod mihi valde gratias agãt omnes fœminæ. Nam ego nisi Iuliano & Cæsari contradixissem, illæ tantas earum laudes nunquã intellexissent. Tum Cæsar: Illæ, inquit, laudes, quas ego & Iulianus eisdem attribuimus, satis iam pridem cognitæ & peruagatæ erant, nunc tantum superuacaneæ videbantur. Quis illud ignorat, nullam in ista vitæ cõmunitate solidam synceramque voluptatem sine illis esse? Quæ si non essent, & truces nostræ cogitatiões, & plusquã belluinæ omnes actiones essent. Quis non fatetur earum conuictu & cõmercio, omnẽ nobis ex animo metum, omnes dolorum faces, omnes miserias exui? Quid dicam de rerũ sublimium, maximarumq; intellectu, in quibus illæ non hebẽtẽ aut obtusam ingenij nostri aciem, sed acutam & perspicacem reddunt? Quid de rebus bellicis, in quibus illarum recordatio, omnem mortis terrorem è mentibus ejicit? Neque sane fieri potest, vt in illo pectore, in quo amor ineſt, ignauiæ aut socordiæ sedes esset. Quisquis enim vere amauerit, adeo se amabilem præstare desiderat; nihil vt loci turpitudini relinquat: immò millies vno die mortis periculũ incurrit, vt illo amore, cui tãtopere deuotus est, se non indignum ostendat. Hic ego regum alicui persuaderem, vt ex solis amatorib. aciem institueret, qui corã amatis mulierculis depugnarẽt: quod si fieri possit, non dubito, quin facile totius orbis victor existeret, nisi forte cum alio aliquo exercitu confligendũ esset, in quibus omnes pariter amãtes essent. Quid: an vnam Troiam vniuersæ Græciæ per totos decẽ annos resistere potuisse existimatis, nisi multi in ea heroës illustrium fœminarũ amore exarsissent, quib. spectantibus nunc arma induere, nunc cum hostib. cõfligere con-

*Exercitus amatorij quantaui esset.*

consueuerunt? Horum auribus quoties heroinæ aliquid insusurrarent, quoties de mœnibus eosdem conspexerunt, animos plusquam humanos addiderunt: & dum illi semper laudē tanquam virtutis mercedem sperabant, omnia summa aggressi, nihil intentatum reliquerunt. Sunt mehercule nonnulli, qui Ferdinandum & Isabellam Hispaniarum Principes, de Rege Granatæ nunquā triumphasse putent, nisi mulierum subsidiū accessisset. Nam exercitus Hispanicus, quoties exstructo ordine in hostē processerat, venit etiam cum muliebri turma Regina Isabella, quarum pars magna, cum ab hominibus Equestribus vehementer diligerentur, cum illis vnà collocuti sunt, donec in conspectum hostiū veniissent: quibus præsentib. cum bellicum canerent, & cum hostibus congrediendum viderent, vix dici potest, quantam fortitudinē, quam inexpectatam audaciam, amor illis subministrauerat. Vnde sæpenumero effectū est, vt Hispani pauciſſimi infinitas Maurorum copias, vel aperte fuderint, vel facile occiderint. Quocirca satis mirari non possum, Gaspare, quæ te præpostera & deprauata ratio eò impulerit, vt sexum muliebrem tantopere reprehendas. An non illud vides omnes corporis exercitationes, omnia oblectamenta, quibus omnes hominū ordines delectantur, solis mulieribus referri? Quis saltationibus & choreis insudaret, nisi fæminarum gratia? Quis musicæ tam diligentē nauaret operam, nisi quod eas illius suauitate demulcere speret? quis tot carminum genera, natiua præsertim lingua componeret, nisi vt affectº animi inquietos mulierib. significaret? Quam multa quæso eadēq; poëmata egregia intercidissent, nisi poëtæ mulieres in magno honore fuissent? Nam vt reliquos omittamus, nonne grauissimo nobis dispendio videretur, si Franciscus Petrarcha, qui adeò diuinitº suos amores nostro sermone scripserat, solis Latinis incubuisset; quod esset ab eo factū, nisi Laura

*Amor muliebris Granatam expugnauit.*

*Petrarcha.*

*Laura.*

ali-

aliquando obstitisset. Ego vobis præstantissima istius ætatis ingenia non commemorabo, quæ quoscunq; fructus ediderint, eorũ stirpes & radices à mulieribus mutuãtur. Ponite vobis ante oculos Salomonẽ illum sapientissimũ, qui rerum diuinarũ mysteria scripturus, meliore velo eadẽ adumbrare non posse putauit, quam dialogo quopiã inter duos amantes suauissime confecto: nihil ille quidẽ ad cœlestia propius accedere putauit, quam syncerum illum amorem, qui à bonis omnibus, mulieribus debetur: nihil in quo diuinam naturam, quam ille plus aliis mortalibus persenserat, reliquis hominib. facili⁹ deriuaret. Hęc itaq; Gaspare, nec tãta disputatione, nec tanta verborũ multitudine indigebant. Sed dũ tu his aperte veritatẽ oppugnares, aliis rebus infinitis impedimẽto fuisti, aulicæ nostræ mulierculæ valde necessariis. Ego certe, ait Gasparus, plura adiici non posse existimo: quod si illam præclarissimis dotibus à Iuliano nondum satis illustratam credideris, nulla mehercule illius culpa est, sed eius potius, qui plures virtutes à primis rerũ initiis non constituerit. Omnes n. quæ vsquã gentiũ sunt, aulicæ fœminæ jampridem sunt attributæ. Arridens leuiter Ducissa, fieri, inquit, fortasse potest, vt etiã adhuc alias aliquas Iulianus inuestigare possit. Satis equidem (Illustrissima) ait Iulianus, jamdudũ dixisse mihi videor. Et (vt vera fatear) satis mea mihi placet muliercula: quod si istis nobilibus eadẽ pariter nõ arrideat, mihi illam (vtcunq; est) relinquant. Hic cum vndiq; silentium esset: Ego tibi Iuliane, inquit Fredericus, vt aliud aliquid etiamnum extorqueam, vnum illud à te scisscitabor, quod & tibi & mihi in omni Aulica primas & maxime necessarias partes habere videtur: idque in vno peculiari humanitatis officio consistit. Nam illæ etiamsi virtutes egregiæ, quas illi jam antea attribueris, judicium, modestiam, deniq; singularẽ quandam in hominibus accipiendis tractandisque rationem con-

*Salomonis in mulieres affectio*

contineant: id tamen (quod est inprimis necessarium) magnopere scire vellem, nimirum; qua ratione, aut qua potius oratione de amore illi differendum sit. Nam vti honestissimus quisq; præclaris illis exercitiis institutisque se accommodat, quæ ante recensuimus, facilius cum fœminis vt ineat gratiam: ita sermonem sæpenumero mentis testem atque iudicem facit, nec tum solum cum affectione aliqua vehementius incendatur, sed etiam cum nulla prope amoris scintilla sit: facilius vt illa intelligat, quanti illius formam venustatemq; æstimet, & quo honore dignam ducat, dum eandē amare profiteatur. Istuc cum non sit parui momenti negotium libenter intelligerem, quomodo æqua lance in istis difficultatib. suas actiones fœmina libraret: quomodo illi respōdeat, qui vere amat, quomodo illius versutiæ occurrat, qui amare se fingit: num vel in tota causa dissimulare, vel eandem aliquo modo agnoscere, vel istos sermones prorsus effugere debeat: deniq; quomodo se in tam ancipiti re gerat. Tum Iulian⁹: Primū hercle instituendū est, quomodo eos agnoscat, qui amores fingūt; deinde illos, qui sine fuco amant: amori verò nec ne consentiat, suo potius arbitrio, quam alieno relinquendum puto. At saltem id doceas (inquit Fredericus) ex certis quibusdam aut probabilibus indiciis fictitiam benevolentiam à vera discernere. Arridens his Iulian⁹, non possum equidē, inquit, cum ea sit hodie hominū astutia, vt lachrymas sæpenumero doloresq; mentiantur, cum interim sint ad risum ludibriumq; propensiores. In insulam igitur constantē aliquam relegentur, vt fideliter amantium fornicibus aliquandiu insistant. Verum Aulica istæc (quoniā mihi instituenda in meo patrocinio acquiescet) in communem illum multarum errorē non incidet, id est, facilius se quam par est amari non credet; nedum illarum similis erit, quæ & omnium de amore sermones, licet inuolucris obtegātur, quam citissime intel-

*Hominum versutia.*

intelligere volunt, & omnes etiam profusissimas laudes primo quoq; tempore agnoscunt: aut si illas forte repudient, id adeò molliter faciunt & inuite vt amorē potius allicere, quam renuere videantur. In omnibus itaq; humanitatis officiis, in omni amorū sermone & colloquio id semper aulica femina diligēter animadvertat, ne quenquam proinde credat amare, quoniam illius oratio sit in amore celeris atq; volubilis: & quo ille minus modestiæ habet, qui cum ea colloquitur (quod multorū vitiū est) eò plani⁹ id agēt, vt minime placere quæ dicit videātur. Sin eo judicio atq; humanitate fuerit, quibus curialis noster imbut⁹ esse debet, si occulte artificioseque de amore disserat, simulabit nostra aulica se nihil horū intelligere: & cum in aliū sensum illi⁹ verba retorserit, ingenua quadā sagacitate de proposita causa deflectet. Verū si ita res habeat, vt in re aperta dissimulare nō possit: jocis quibusdam rem seriam eludet, & quasi plus illius honori, quam meritis tributum sit, humaniter omnia interpretabitur: ita & illa sapientior habebitur, & facile falli non poterit. Ista fere sunt, quæ aulicam fœminā de amore cōmēntantē decent. Tum Frederic⁹: De istis tu rebus, Iuliane, perinde dicere mihi videris, quasi necessum esset, cum de amore loquimur, omnia dolis mendaciisq; aspergere: hoc si ita esset, ego tuis præceptis tanquā longe præstantissimis acquiescerem. Verum si sincere quispiā amauerit, iisq; affectionibus torqueatur, quæ hominū animos grauius exulcerare solent, nihil ne illius miseriæ, nihil ægritudines proficient? nunquamne illi ne excarnificaro quidē mulieres confident? nil lacrymæ, nihil juramēta, nihil tot suspiria, tot pietatis argumenta commouebunt? Caue, quæso, Iuliane, ne præter naturalē quandam fœminarū inhumanitatē, tu etiā artificiosam crudelitatē adjicias. Minime ego quidē ait Iulian. de eo qui amat verba feci, sed eo, qui in amore fabulatur: cui⁹ illa præcipue cura

est,

est, nec verba aliquando desint: cum ille interim, qui vero amore vritur, pectus inflammatum, sed linguam frigidiorem, timidum & præfractum sermonē habeat, verū vt istuc fortasse axioma videatur: Quisquis plurimum amat, idē parum loquitur: quanquā certas de istis reb⁹ regulas tradere nō possumus, propter diuersas indoles, multiplicesq; hominum naturas. Nescio enim hic vel quid taceam, vel quid præcipiam, nisi vt semper caueat fœmina semperq; meminerit, homines liberius quā mulieres amorē profiteri posse. Arridēs hic Gasparus: Quid, tune, ait, Iuliane, istam tuā dominam tam excellentē, mutuam beneuolentiā præstare non vis, cum certo seipsam amari intelligat, quandoquidē curialis (qua est sapientia) cum id perspexerit, cōfestim receptui canet? Ita illa & eo honore & eo mini sterio obsequioq; spoliabitur, quæ amatæ mulierculæ virtutibus homines dououere solent. In eo equidem, ait Iulianus, cōsilium dare vix audeo: sed illum amorem, quem tu nunc intelligis, solis nondum nuptis conuenire existimo. Nam quoties matrimoniū finis illi propositⁿ esse nō potest, toties necesse est mulieris animum tanquā rerum illicitarū stimulis exagitari, & famam quoq; (non parui momenti thesaurum) in discrimen vocari. Subridens tum Fredericus: Austera meherculeIuliane, atq; aspera, inquit, videtur ista sententia, & vereor, ne illā ab aliquo concionatore dideceris, qui mulierū amores laicis solent interdicere, vt illi facilius eisdē fruantur. Nuptiś quoq; mulierculis scueras nimium leges indicis, quarum nōnullæ viris exosæ & contemptæ sunt, dum illi vel alienos thoros insectentur, vel suos injurioſe detestētur. Aliæ eo à patrib. impellūtur, vt morosis, aridis & infirmis senibus nubant, totamq; in summis miseriis ætatē transigant. His si istiusmodi viros repudiare liceret, ferendum fortasse nō esset, vt alios diligerent. Verum si vel cœli syderumq; inclementia, vel humorum *antipathia*, vel

malo

malo aliquo genio, vel alio quocunq; fatali casu, in lecto (qui omnis beneuolentiæ & pietatis nidus esse debet) inimicitiæ, suspiciones, fastidia inciderunt (quæ miserias istas catenis per totam ætatē colligatas, crudelissimis furiis exagitant) nonne in tantis malis perfugium, in tantis incēdiis refrigeriū aliquod mulieri permittes? nonne id illi licebit alteri concedere, quod marit⁹ non modo contemnit, sed à quo etiā abhorret? Aequum certe est, quæ viros probos & conuenientes habent, à quibus plurimū diliguntur, nihil in eos iniquum vt moliantur: verū si illos amore prosequātur, qui eas nunquā redamant, sibiipsis injuriam faciunt. Imò verò (inquit Iulianus) in seipsas injuriosæ, cum alios præter maritum aliquos amant. Sed quoniam amor nostræ potestatis semper non est, sicubi casus ferat, vt vel mariti odio, vel alteri⁹ beneuolētia aulica nostra ad amorē propendeat, solum animum amatori despondebit, nec certum aliquod argumentum, vel verbo, vel gestu, vel insinuatione aliqua significabit, qua ille se voti compotem sine dubio fore sperauit. Subridens hic Robertus Barrensis: Ego, ait, Iuliane, ab istac tua sententia tanquā iniqua appello: idem credo reliquos istos omnes facere. Sed quoniam nuptis mulieribus istam tam duram addicis rusticitatem (ita enim nominanda mihi videtur) num illam quoque innuptis necessariā putas? num illæ etiam adeò erunt inhumanæ, nulla in re amatoribus vt satisfaciant? Aulica nostra (inquit Iulianus) si nondū nupta, amare aliquem in animum induxerit, eum saltē amet, cum quo matrimonium contrahere possit: illi si aliqua amoris argumenta ostenderit, nefas nō p[illegible]tabimus. Id tamē religiose obseruet (quod minime est difficile) vt omnia beneuolentiæ indicia demonstret, dum omnē tamen illi spem inhonestā præciderit. Hac in vna re cautio diligentissima adhibenda est, quoniam in eam partē peccant frequentissime mulieres, dum formæ

*Amor non est in potestate nostra.*

*Amantiũ multitudinem pulchritudinis teſtimoniũ putant fœminæ.*

nimium curioſe incumbunt. Et quoniam amantiũ multitudinẽ, pulchritudinis teſtimoniũ arbitrantur, id agunt, & quam plurimos amatores habeant. In quo dum leuius occæcãtur, facillime ſe diſeurrere patiuntur, & relictis modeſtiæ limitib. (quæ illas adeo decet) in vultu, geſtu, verbis, laſciua quadam impudentia vtuntur: & ob eam cauſam à viris notari ſe, diligique exiſtimant, cum interim toto cœlo errent. Nam ſi in eas procliuior cuiuſquam voluntas fuerit, ea nõ tam ab honeſta aliqua opinione, quam potiundi ſpe atq; facilitate proficiſcitur. Nollem itaq; fœminã aulicam ea morum leuitate eſſe, vt omnibus ſui copiam facere videatur, omniumq; ad ſe oculos affectioneſq; allicere: quin ea vitæ integritate ſit, ea virtute, ea in omni actione ſuauitate, vt quiſquis illam intueatur, in eam admirationẽ traducatur, quæ rebus vere laudabilibus tribuitur. Ita omnis inhoneſti ſpes, omne turpitudinis deſiderium funditus euaneſcet. Quiſquis igitur à tali muliere amabitur, minimo quouis amoris ſigno cõtentus eſſe debet, pluriſq; vel vnicũ illius aſpectum æſtimare, quam ea vniuerſa, quæ ab aliis vel ſperari, vel haberi poſſunt. Huic fœminæ adeo vndiq; abſolutæ neſcio ſane quid poſſit addi, niſi vt ab illo Curiali plurimũ diligatur, qui ab iſtis hominibus egregie eſt deſcriptus: quæ cum illum viciſſim amauerit, ſumma vtrinq; perfectio erit. Hic cum paulum taceret Iulianus, arriſit leuiter Gaſparus, & nemo (inquit) opinor, veſtrum eſt, qui queri poſſit, dominam iſtã aulicam à Iuliano exquiſitiſſime formatã nõ eſſe & perpolitam. Næ ego illam (ſi talis aliqua eſt) dignam confitebor, quæ æquis ceruicibus cum noſtro Curiali incedat. Tum Aemilia: Ego tibi meã aſtringo fidem, me illam vobis ante oculos poſiturã, vbicunq; tu tuum curialem inueneris. Negari certe nõ poteſt (inquit Barrenſis) Iuliani noſtri aulicam multo eſſe exactiſſimam: tamen in hac vltima de amore ſcena, eandem paulo

ſeue-

feuerius videtur instituisse: præsertim cũ voce, vultu, gestu, adeo proterua esse debeat, vt amanti nõ solum spem omnẽ præcidere conetur, sed illius etiam mentem desperatione quadã occupare. Id enim satis ipsi cognoscimus in his rebus, quæ obtineri non possunt, desideria nostra non esse posita. Et quanquam aliquæ fuerint aliquãdo mulieres, quæ venustate atq; forma nimiũ elatæ, in primo amoris cõgressu, nimiam verborum asperitatem adhibuerint, tamen cum postea familiariorẽ vitæ consuetudinẽ tempus paulatim fecisset, cum ad jucunditatẽ & delicias peruentum esset, multo sunt factæ mitiores, factorũ humanitate verborum asperitatẽ temperantes. Verum si tuæ istius ea frontis nubecula sit, vt voce gestuq; omnẽ suauitatis fiduciã eripiat, Curialis credo noster (sapiens cum sit) eundẽ nihili faciet. Nollem equidẽ (inquit Iulianus) meam Aulicam rerũ omnium, sed tantummodo inhonestarum spem infringere, quam Curialis (cum eo judicio sit) nõ modo illi præcluſam putabit, sed in eandem nusquã incidet. Si n. venustas, candor, probitas, ingenium, modestia, multæq; virtutes aliæ Curialem vestrũ ad Aulicæ nostræ amorẽ impellant, necesse est illi⁹ affectiões cum virtute esse conjunctas: deinde si prosapiæ nobilitas, si rerũ bellicarũ scientia, si literarũ & musicæ cognitio, si humanitas, si in omni actione cum grauitate dignitas mulieris istius benenolentiã acquirant, necessium est propositũ huic amori finem eadẽ natura cum mediis & destinatis esse. Sunt sane diuersa hominũ studia, pro formæ muliebris varietate: & proinde nonnulli, cum fœminam in sessu, motu, incessu, jocisq; granẽ quandam venustatẽ tueri videant, tanta illorum animos veneratio subit, & amatorium obsequiũ offerre nõ audeant: ex quo in illas leuiores & delicioſas mulierculas cõuersi (in quarũ vultu, verbis, gestuque languidæ imbelles q; passiones eminent) spem facilẽ verborum lenocinio sustentant. Alij vt à

*Quidam faciles, alij difficiles affectant.*

fraude & fallacia certissime immunes sint, eas amori amplectuntur, quæ in ipso oculorum obtutu, in omni oratiõne, actioneque adeò profusæ & apertæ sunt, vt cum id semper faciant, quod earum animos primum perculerit, nullas ne intimas quidem cogitationes occultas habent. Alij augustiori quodam spiritu, dum omnia difficilia, quæ pulchra existimant, dum in eo vincere sperat, quod reliquis videtur inexpugnabile, eas aggrediuntur, in quibus subtristior quædã austeritas residet. Id enim satis magnificũ putant, duros, rebelles ac obstinatos quosq; animos amoris dulcedine emollire. Iidem dum sibi ipsis nimis confidunt, dum sese falli nõ posse credunt, illas sponte mulieres adamant, quæ ingenij sagacitate sub mediocri formã mille simul astutias & insidias recondunt: nonnunquam etiam illas, quæ aspectum fastidiosum, pauca verba, exiguũ risum, tanquã decus aliquod affectant, idq; agunt, vt & intuentẽ negligere, & obsequentem aspernari videantur. Deniq; nonnulli sunt homines curiosi, qui nullam fœminam suo amore dignantur, nisi & egregia oris figurã, & exquisito sermõe & actione decenti, & inauditã sapientia fuerit, & (vt vno verbo dicam) nisi omnes simul virtutes, omnes in illa elegantiæ conspirauerint, tanquam in vno aliquo flore ex omnibus totius mundi suauissimis flosculis composito. Aulica proinde nostra si illorũ penuria laborauerit, qui spe aliquã inhonestã adducuntur, nunquã tamen deerunt, qui illam ament, vel illius meritis vel sua virtute permoti. Heroicus siquidẽ animus facile se dignum putabit, qui ab illa Phœnice diligatur. Volebat istis libenter contradicere Barrensis, sed illius orationẽ interrupit Ducissa, cumq; à deteriori parte stare dicebat, cum Iuliani sententia esset multo verissima; deinde nihil est hercle, ait, cur Iulianũ incuseml, nam aulicam credo illius fœminam cum viro curiali conferri posse, fortasse etiam anteponi. Nam eandem

in

in amore accurate instituit, quod ab istis dominis de suo curiali factum non meminimus. Necesse sane est (inquit Aretinus) mulieres in amando erudire; nunquam enim aliquam in eo satis instructam vidi. Nam omnium plerunq; illarum forma, cum tanta crudelitate conjungitur, vt & eos oderint, qui eas fidelissime colunt, quorumq; virtus & integritas meliorem mercedem promerentur; & eis turpissime sese dedunt, qui stupidi insulsi, timidi, ad fastidium, quam amorem sunt longe aptiores. Istum tam crassum errorem facilius vt declinarent, melius fortasse fuisset, aliquid illis de illius electione præcipere, qui amore dignus videretur: deinde vt eundem sine fuco & fraude amarent. Hæc in hominib. præcepta minime sunt necessaria, qui nimium ista ex seipsis sciunt. Testis hac in re nemo me locupletior, qui nunquã amare didicerim, nisi tum cum diuina quadã dominæ cuiusdam forma eo redactus sum, vt illi' amore nec ne flagrarem, non esset industriæ aut voluntatis meæ: ita mihi nec arte, nec præceptore opus erat. Idem credo vniuersis contingere, qui vere amant: adeo vt Curiali nostro magis necessariũ sit edisscere, qua ratione amari possit, quam quomodo amet. Tum Aemilia: Tu igitur (Aretine) de ista re queso aliquantũ differe. Ego mehercule (inquit Aretin.) ratione consentaneũ existimo, mulierum beneuolentias inseruiendo, placendoq; acquiri. Verum quæ illis ministeria & obsequia placeant, hoc ab ipsis mulieribus edisscendũ opinor, quæ nonnunquam res adeò raras & monstrosas expetunt, vt eas homines cogitatione complecti non possint: imò vero vt ipsæ aliquãdo ignorent, quid ita diu desiderârint. Aequum itaq; videtur, vt tute (lectissima) cui mulierũ volũtates satis sunt exploratæ, istum laborem susscipias tantoq; beneficio vniuersum genus humannm afficias. Quin tibi potius (inquit Aemilia) istuc faciendum, qui cum omnibus plerunque fœminis gratus fueris, credibile

est, omnes te rationes cognoscere, quibus cum illis gratia ineatur. Amanti profecto(ait Aretinus)meliora consilia dare nō possum,quam vt recte prouideris, ne tu aliqua authoritate apud eam sis,cuius ille benevolentiam aucupatur. Ille siquidē omnes quæcunq; in me vel fuerunt, vel fuisse existimantur virtutes, summū præterea obsequium, summa industria, tantum mihi ad amorem proficere nō potuerunt, quantum vnius tuæ suasio, ad odium & fastidium. Absit hercle (inquit Aemilia) vt ego tam exosum in te aliquid machiner. Nam præterquam quod id facerem, quod non deberem, exili etiam ingenio viderer,dum id molirer, quod efficere non possem. Sed quoniam me vultis de illis rebus dicere,quæ mulierib.placent, dicam certe: & si cui eæ forte displicuerint,vobis ipsis crimini detur. Ego certe iis omnibus qui se amari volunt,præciperē,&vt ament sincere,& se modis omnibus amabiles exhibeant.Duo ista ad mulierum benevolentiam conciliandam ex seipsis sufficiunt.Verum vt ad illud accedā,quod tu mihi objicis,fateor hercle & mihi & istis vniuersis valde te videri amabilem:sed ita ne fideliter(vt dicis)in amore nec ne verseris,in eo posita est omnino controuersia.Nam cū paulo fueris jam antea amabilior,à multis quoq;mulierculis amatus fuisti:verum vt flumina quantumcunq; ingentia, si multis partib.diuisa sint,in tenues riuulos deriuantur:ita quoq; amor multis locis sparsus ac dissipatus, multo fit tenuior ac imbecillior. Illæ verò queremoniæ de mulierum,quibus inseruieris,duritie& ingratitudine nescio quid in se inuolutū & subtile habent; verisimiles sane non sunt,si meritorum tuorum multitudinem respiciamus:sed ista facis,& vt conceptam in amore voluptatē celes & dissimules, & vt fœminis (quæ tibi prædæ fuerunt) certissime constet,clausa se sua consilia, & occultissima habituras. Quæ vt veros amores reconditos videant, non inique ferunt, vt

*Vt ameris, amabilis esto, ait Ouidius.*

fictam beneuolentiam aliis ostentes. Quocirca si illæ mulieres quas nuper amare occœpisti, ea credulitate non sint, qua tu eas esse desideras, id meo vitio factum non est, sed quia tuum in amando artificiū jam tandem in vulgus emanauit. Non conabor (inquit Aretinus) istam orationem verbis confutare: nam id meo malo fato deberi video, vt nec mihi credatur, cum vera loquar, & tibi fides habeatur, cum falsa dicas. Quin bona fide, inquit Aemilia, fatere Aretine, te adeo vehementer non amasse, vti credi desiderabas. Nam si tu vere amares, nihil prius aut potius optares, quam amatæ mulieri placere. Ea enim amoris lex est: Idem velle, atq; idem nolle. Sed tu de illa cum toties quereris, vel aliquis in eo (vt dixi) dolus inest; aut tute id videris velle, quod illa non vult. Non est dubium (ait Aretinus) quin ego cupiam, quicquid illa desiderat, quod satis argumenti est, quam illā amem: sed illud me male habet, quod quæ ego expetam, illa nō curet, quod (te judice) plane ostendit, quam illa me parum aut nihil diligit. Quisquis amandi in se onus suscipit (inquit Aemilia) eundem primum placere oportet, deinde alterius ita se prorsus appetitui, & affectionibus componere & accommodare, vt & omnes sensus mancipia, & ipsam animam amatæ pediſsequam faciat: nec vnquam sibi adeo constare debet, quin istæc omnia, cum illa quoties opus est, quasi per metamorphosin cōmutare videatur. Ista certe sunt vere amantium officia. Hæc ipsa (inquit Aretinus) ego mihi summæ felicitati putarem, si vna eademq; voluntas vtriq; animulæ imperaret. Id vt fiat (inquit Aemilia) in teipso positum est. Sed hic illam interpellans Bibiena: Certum est (inquit) homines vere amantes, omnes suas curas cogitationesq; ad amatæ mulieris arbitriū conferre. Sed quoniam ista amoris obsequia satis aliquando cognita, atque perspecta non sunt, necessarium est, illa nonnunquam adeò manifeste

*Amans amatæ mancipium.*

innuere atque explicare, dissimulare fœmina, vt non possit se non intelligere: ea tamē modestia, nihil vt de illius veneratione atq; reuerentia diminutū appareat, Tu itaq; (clarissima Heroina) quæ amatoris mentem pedissequam amatæ fecisti, istuc quoq; mysteriū non minus necessarium enunciato. Arridens istis Cæsar: Quod si (inquit) adeo mollis & verecundus amator fuerit, vt ista pudeat dicere, scribere saltē ne vereatur. Imò verò (inquit Aemilia) si eo judicio fuerit, quo esse debet, priusquam de istis cum muliere egerit, certissimū esse oportet, nihil in illis offensionis fore. Omnes pol fœminæ (inquit Gasparus) de amore aliquid orari petiq; desiderant, etiāsi id, quod petitur, antea negare constituerint. Falleris certe (inquit Iulianus) nam ego istæc Curialem nunquam pertentare optarem, nisi certo cognosceret, nullā se repulsam laturum. Quid igitur faciet, inquit Gasparus? Quod si vel scriptis vel sermone (ait Iulianus) mulieris animum pertentare libeat, id ita modeste cauteq; faciendum est, vt ambiguitatem illi aliquam relinquas, & q. viam quandam struas, qua illa, si volet, etiamnum dissimulet, se nihil de amore actū intelligere: ita si aliquod subest periculum, facile te recipere possis, quasi in alium omnino finem id feceris: nimirum vt domestica illa consuetudine & jucunda cōmunitate furare, quæ cuiq; cum amicis solet intercedere. Nec ista tamē adeo religiose affirmabis, quin postea vicissim neges, si tanquā certa amoris pignora atq; argumenta concipiantur. Quicunq; enim pręcipites pauloq; inuerecundiores sunt, omnia in primo impetu (nec injuria) perdunt. Nam eximiæ cuiq; mulieri vehementer eorum inscitia atq; impudentia displicet, qui de amore prius audacter commentantur, quam eisdem humaniter ac officiose inseruirent. Curiali itaq; vestro id mihi congruū videtur, vt signis magis & argumentis quam verbis amorē contestetur. Vnus siquidē aliquando singultus, quasi

timore aliquo, aut alio respectu emissus, certius affectionis indiciũ est, quam mille voces etiam curiosius excogitatæ. Oculi deinde tanquã nuntij fideles accedant, qui cordis legationem sinceriſſime deferant. Illi siquidẽ intimas animi cogitatiões plus literis omnibus atq; internuntiis exprimunt: nec explorãt solum tum cum nolles, sed eis etiã quas amas, faces amoris quasdam admouent. Spiritus siquidem ille, & radius visualis, quoniam in locis cordi circumuicinis generatur, cum oculos penetrauerit, in quos emittitur, nunquam consistit, donec ipsum corculum tanquam metam pertigerit, in quo quãdo cum optatis alterius spiritib. conquieſcit, subtili quadam sanguinis vi, insensibiliq; natura (quam vna secũ aduexit) sanguinem mulieris cordi suffusum paulatim inficit: qui cum sensim incaluerit, & agenti assimuletur, illatæ imaginis impressionẽ recipit: cumq; minutatim optatæ formæ scintillas cordi oculisq; huc illuc ferat referatq; cupidinis & desiderij flammæ gradatim incenduntur, quæ nunquã vrere desistunt, cum spei semper fomenta vna adducant, vere vt liceat dicere: Oculos amoris duces & moderatores esse; præsertim si naturalem in se suauitatem dignitatemque retineant, si vel claram quandam dulcemq; nigritudinem habeant, vel cum alacri quadã hilaritate glauci & cerulei sint, deniq; si ita gratioso & penetranti obtutu fuerint, vt aspicienti non per ipsos solum oculos, sed per imum etiã pectus perspicere videantur. Oculi igitur tanquam milites periti, in insidiis excubant, & si reliqua membrorum compositio apta & decora sit, eos alliciunt, qui procul intuentur: dũ propius accedãt, subito deinde sagittas emittunt, & q. veneficiis effascinant, tum vel maxime cum se vltro citroq; directa acie amantes intuentur. In illo enim congressu jucundiſſimo, alter alterius mores naturamq; participat: quemadmodũ in lippis ægrisq; oculis perspicitur, qui dum sanos aspiciunt,

*Oculi amãtium & nuntij & caussæ.*

*Oculi nigri & glauci.*

cosdē aspiciendo cōtaminant. Et proinde ista ratione magnam amoris atq; desiderij partem Curialis noster indicare posse mulieri videtur. Et tamē nisi arte quadam oculi gubernentur, amatorias perturbationes iis maxime explorant, quib. minime vellemus. Nam per illos lucidissime nisi caueamus, transparēt, dumq; eas amatæ mulierculæ conamur patefacere, illis sæpenumero ostendimus, quib. valde optamus recluſas atq; obscuras esse. Proinde qui rationis frænos nimiū non remiserit, tempꝰ locumq; diligenter obseruat, & quoties opus est, intentiores aspectus cohibet, quantūvis suauissimū animi pabulū existant. Difficile siquidem est, cognitū perspectumq; amorē celare & reprimere. Tum Ludouicus: Omnia tamen aliquando planius & apertius agere, nō videtur esse imprudentiæ. Sic enim spectatores judicare solēt, istas tam perspicuas actiones, communem amorum finem non spectare, cum, perspiciantur nec ne, omnino nihil curetur: proinde nihil negando, omnia publice profitendo, libertatem eam sibi quis vendicat, vt stare, conuenire, colloqui sine suspicione possit. Quod in illis non contingit, qui se quodammodo secretiores esse volunt. Nam & illi spe quadam sustentari, & imminens aliquod præmiū expectare videntur, dum id sollicite agunt, quod omnes præterea latet. Id sane quandoq; animaduerti, vt cum ne minima quidē intio amoris scintilla esset, magni tamen ignes consecuti sint, vel ob hoc vnum, quod ita vulgo dicebatur, mulierem illum amasse. Huiꝰ hanc ego causam suspicor: Cōmunis istæc multorum censura ita apud fœminæ animum conualuit, vt testimoniū satis certum putaret, quam ille homo amore dignus esset. Ipsa fama cum orator esset, amatoris causam agere videbatur, majori fide atq; veritate quam vel ipse per se, vel per literas agere potuisset: tantum itaq; abest, vt isti rumores obsint, valde aliquando vt prodesse credantur. Amatores sane (inquit Iulia.

*Fama quādoq; amoris causa.*

Iulianus) rumorib. oblati, periculosi proinde existunt, quia digitis nos demõstrari faciũt. Quocirca qui illis vestigiis sapiẽtior vult insistere, majores interi⁹ flammas cõtinere debet, quã foris ostẽtet, minimis qbusq; rebus contentũ esse oportet: desideria, suspiciões, miseriæ, voluptates, omnia dissimulãda sunt, oreten⁹ ridendũ est, cũ corde & intestinis ingemiscat: liberaliter profundendũ est, quod auide retineret: quæ ita ancipitia atq; difficilia sũt, prope vt impossibilia videãtur. Hæc illi edocẽda sunt (ait Bibiena) quoniã haud parui momẽti sunt: nam prẽterquã quod occultis quibusdã indiciis sine aliquo aperto gestu in oculis & vultu sæpe nũero legitur, quod in corde occultissime delitescit; audiui equidẽ quorundã eam fuisse artẽ, vt longã de amore orationẽ haberent, cũ nemo astantiũ quicquã intelligeret, aut tale quid agi putaret. Nam illi cum summo judicio atq; diligẽti animaduersiõe vterẽtur, nusquã cõmiserunt, vt audiri nolle viderẽtur: dumq; nõnulla palã cõmendabantur, quoties ad seria ventũ esset, in aurib. susurrabant, reliqua palam in ea ambiguitate pronuntiabãt, vt ad sensus diuersissimos retorqueri possent. Tum Fredericus: Adeò minutatim de istis reb. disserere, nihil est aliud, quã retro in infinitũ recedere. Mallem itaq; (id quod magis mihi necessariũ videtur) præcepta quædã dari, quibus potissimum modis, amatores dominarũ beneuolentiam, semper q; ad aliquã æternitatẽ conseruare possint. Ea, inquit Iulianus, quæ illi ad conciliandã profuerunt, ad retinendam quoq; sufficient: quarũ vtraq; in obsequendo placendoque sunt posita, nulla oblata offensionis occasione. Arduũ itaq; op⁹ videtur, aliquid præcipere, cum illi, qui perfecto judicio non nitantur, in mille errores incurrãt: qui etsi aliis leuiores appareant, mulieris tamen animũ vehementius exulcerant. Iisdem illi præcipiue sunt obnoxij, qui majorib. quã alij passionib. distrahuntur; qui quoties amanti occurrerint,

in

in illos luctus & dolores incidunt, resq; adeò lubricas & difficiles efflagitant, vt ipsa tandem importunitate odiosi fiant. Illi dũ injusta quadã zelotypia laborant, adeò acerbe stomachãtur, ita sæuere in eos inuehuntur, quos suspectos habent (idq; sæpius injuria) vt nec eundẽ alloqui, nec aspicere dominas velint: qua illorum insania nõ modo mulierculas infensas reddunt, sed id quoque efficiunt, vt illæ eos, quos antea nihili pendebãt, amare occipiant. Insulsus enim ille timor, qui quenquam grauiter excruciat, ne illum fœmina deserat, alterique se tradat, id videtur innuere, majora alterius merita atq; virtutes esse, quam sua: & quo magis alteri derogat (cũ inuidiæ causa faciat) eo minus illi à muliere creditur, etiamsi verũ fuerit, imò majorem semper opinionẽ, majoresq; de amore illecebras mente & cogitatione complectitur. Hic Cæsar: Non sum equidẽ ea sapientia, facile vt me cõtineam, quin riuali meo, quoad possim, detraham, nisi tu meliores mihi rationes illius expediendi discutiendique possis præscribere. Subridens tum Iulianus: Tritũ est, inquit, illud sermone prouerbium: Si ad mediũ tantũmodo corpus inimicꝰ tuus in aqua consistat, manũ porrige, quasi illũ tanto periculo liberaturus: sin ad mentum vsq; miser inhæreat, pedem capite imponito, eumq; protinus immergito. Quorundam cum suis æmulis iste mos est, dissimulant scilicet, seq; amicos præbent, dum certa ratio sit, qua illum anticipent. Postea cum apte res ferat, vt illũ omnino dejiciant & prosternant, nullis maledictis, nullis conuitiis (verisne an falsis nihil interest) nulli arti, nulli astutiæ parcunt. Sed quoniam fraudes & insidias Curiali nostro tanquam veteratori ac vafro nõ permittimus, nulla alia ratione riualis conatus ac consilia præripiet, quam amore, industria, obsequio, fortitudine, modestia, deniq; benemeritorum multitudine & illarum ineptiarum despicientia, in quas ignari & imprudẽtes, tanquã in mille

*Riuali non detrahendum.*

Mæandros prolabuntur. Memini sane quondã in ser- Polyphilus
mone atque scriptis, Polyphili verbis apud mulieres vsos esse: itaq; curiose in Rhetorices mysteriis versa-tos, vt illæ cum diffidentia ac pudore quasi in summa rerum ignoratione discederent, honestèq; se expedire desiderarent. Alij sine modo, sine sensu se venditant. Nonnulli id temere & inconsulto effutiunt, quod sibi ipsis dispendio est: vt illi quos ego ridere soleo, qui cum amorẽ profiteantur, nunquam (inquiunt) fœminam reperire poteram, quæ me amaret: cum interim omnes qui astant, nec amore eos, nec spiritu hoc quẽ ducunt, dignos existiment, sed cum stultos, hebetes & insulsos judicẽt nec illos benevolentia cõplectuntur, nec id facere audent, ne in eo minoris, quam reliquæ omnes existimentur. Multi vt suos æmulos in inuidiã vocent, in istum sermonem futilissime erumpunt: Ille homo omniũ longe felicissimus. Nam cum nec facie liberali, nec prudentia aliqua, nec fortitudine sit, nec vlla deniq; in re aliis hominibus præstantior, omnes tamen illũ mulieres amant, & certatim insectãtur. Ita dum acerbitatis suæ virus euomunt, eiusque fortunæ inuident, etsi re ipsa, nec vultu, nec factis amabilis sit, suspicantur tamen mulierculæ occultam quandam in illo virtutẽ inesse: cumq; à tam multis eum diligi audiuerint, aliarũ quoq; exemplo eundem videntur diligere. Ridens hic Ludouicus: Meo periculo, inquit, Curialis noster ista tam crassa & hebeti facundia non vtetur, quando gratiam cum mulieribus iniret. Nec illo quidem leuidensi filo (ait Cæsar) quo intra paucos hos dies generosus quidã vsus est, cuius nomen non libet recitare, ne virili dignitati injuriã faciam. Dicito sanè (inquit Ducissa) quid illud sit, quod adeo ridicule egerit. Ille (inquit Cæsar) cum à domina quadã nobili plurimi fieret, ab eadem clanculũ ad villam, vbi tum erat, est accersitus: quam cum vidisset, sermonemque cum ea quoad tempus pateretur, extraxisset, multis

demum

demum lachrymis & suspiriis discedens, vehementer rogat, ne illi⁹ vnquã obliuisci velleᵗ; quib. statim addidit, vt omnes sumᵗ⁹, quos ille in diuersorio fecerat, illa quamprimũ lueret: æquum enim non esse, vt ille aliquas pecunias profunderet, cum illius rogatu illuc aduolauerit. Arrisum est vehementer, & in eo omnino cõsensu, generosi nomine hunc multo esse indignissimum: multi v. ea verecundia sunt affecti, quæ illi iure cõtigisset, nisi adeo iners & insensatus esset, vt quantũ peccarit, penit⁹ ignoraret. Tum Gasparus in Cæsarem conuersus: Melius tu quidem muliebri honori consuluisses, si totã hanc rem celasses; quam virili dignitati, cum illius nomẽ taceres. Illud enim facile ex eo colligitur, quam præpostero & inepto judicio ista domina fuerit, cum insulsum istuc & obtusum animal diligeret. Fortasse n. è multis qui illius beneuolentiã aucupati sunt, hunc vnum tanquã reliquorum facile principem elegit, cæteros cũ indignitate rejecit, quib. iste vix dignus erat, qui inseruiret. Quis nouit, inquit Ludouicus, an reliquis in reb. sapiens fuerit, & in solis diuersoriis delirauerit? Ita sane plerunq; fit, vt nimio amore peccemus, & (si tute id ingenue cõfiteri velles) non dubito, quin etiam atq; etiã pari in causa lapsus fueris. Subridens tum Cæsar, ne obsecro, ait, de nobis ipsis dicamus, nostros errores nõ libet recognoscere. Fateamur certe, inquit Gaspar. vt eosdẽ facilius corrigere liceat. Verum cum noster jam curialis dominæ beneuolentiã conciliare, eandẽ diligenter obseruare, æmulos etiã quoad poterit ab ea depellere didicerit, tu id nobis, Iuliane, debes, vt fœminam quoq; tuam instituas, quomodo amoris mysteria quodammodo religiose occultet. Satis mihi videor, ait Iulianus, jam pridẽ dixisse, alium orate aliquẽ, qui de secretis istis disserat. Instabat Bibiena, ne jam desisteret: idẽ reliqui omnes factitarunt. Tum ille: Valde me hercle omnes in eo contenditis, in quo nimis jamdudum artifices peri-

*Stultus amator.*

periti videmini: quod si plura velitis cognoscere Ouidium amabo legite. Et quomodo ego (inquit Bibiena) illius præcepta quicquam putem proficere, cum ille amanti suadeat, vt præsente domina, temulentum se aliquando fingat? Hæccine justa est ineundæ beneuolentiæ ratio? quid quod amatores jubet quoties epulis cum fœminis intersunt, vt digitis vino tinctis, amatorium aliquid in mensa scribãt, eoq; modo tacitas animi affectiones insinuent? Hæc vt illa ferebant tempora, inquit Iulianus, in vitio non erant. Et proinde (inquit Bibiena) cũ in illa ætate obscœnitas ista minime displiceret: verisimile est, nostram illam Curialẽ, imprimisq; decoram concinnitatẽ eos in muliebrib. officiis non habuisse. Verum id quod modo de amore occultando propositũ est, non omittamus. Tum Iulianus: Istius equidẽ sum sententiæ. Quisquis amoris mysteria taceri vult, omnes occasiones fugiat, quæ eadem euoluere atq; explicare solent. Quarũ prima est, eum nimis secreti, omnia sic cõprimere & celare putemus, nemini vt quicquam credamus. Nam cum vnicuiq; amantium illud præcipue in votis sit, omnes vt animi cogitatiões amatæ mulieri sint exploratæ, necessitate quadã impellitur, plura atq; apertiora signa cõmonstrare, quam si amico fideli illud negotium daret. Ea siquidẽ indicia, quæ ab ipso amatore proficiscuntur, majores habent suspiciones, quam illa, quæ ab internuntiis deferuntur. Et quoniam hoc nobis natura est insitũ, vt in res alienas curiose inquiramus, vbi primũ suspicari aliquid quis ceperit nullã veri inuestigandi oportunitatẽ prætermittit: quod cum semel diligentia excusserit, mirum est, quam idem in publicũ effutire delectet. In amico idem nõ contingit, qui & consiliũ nobis & opem præstat, & eos sæpenumero errores anteuertit, in quos cæcus amator præceps irrueret, & inuolucris omnia tegit, & futura prospicit, quæ alter præuidere non potest, & summo solatio est, quoties cum

*Nimis ad morem celare obest.*

cum eo vel dolores, vel voluptates cõmunicat. Tum Gasparus: Alia causa subest, quæ multo frequentius amatores explorat & effundit. Quæ tandé causa, inquit Iulianus? Ambitio illa muliebris, aut Gasparus, cum insciția & crudelitate conjuncta. Fœminæ siquidem (quod vos jamdudũ confirmastis) omnes si fieri posset amatores haberent, qui cum vsque ad cineres amore flagrarent, cõsdé reuiuiscere optarent, vt denuo præ amore mortẽ oppeterent: & ipsæ quantumuis ament, amantium tamen ærumnis gaudent, istasq; tam diras calamitates, tam infestos dolores, tantum mortis desiderium, testimonium satis perspicuum existimant, quantum diligantur, quamq; formæ pulchritudine homines vel beare, vel excruciare, iisdemq; vitam vel dare, vel adimere possint. Hac vna re tanquã pabulo suauissimo delectantur, cuius adeo sunt appetentes, vt ne illis idem aliquando desit, nec amatoribus satisfaciant, nec spem omnẽ eripiant: sed vt eos passionibus & desideriis semper suspensos teneant, minas primum fastidiosas, deinde sperandi argumẽta subministrant, idque semper volunt, vt vnica illarum vox, nutus aut aspectus, pro summa beatitudine habeantur. Quibus vt aliqua honestatis & pudicitiæ opinio accedat, istam eam seuerã asperitatem & duritiẽ publice demõstrant, facile quiuis vt conjiciat, quantã cum indignitate homines indignos tractarent, cum erga amantes & benemeritos tantam vultus vocisq; austeritatem adhibeant. In ista arte vel potius astutia nimiũ securæ, cum despicatissimis interim calonib. noctu concumbunt, iisq; quos antea vix viderint aut cognorint. Atq; vt generosi alicuius miserias & queremonias rideant, iis se voluptatibus priuant, quas cum excusatione fortasse aliqua percipere potuissent: idq; efficiunt, vt homo miserrimus, dum omnes secũ rationes euoluit dum intra se fremit & tumultuatur, eo necessitatis impellitur, vt circũeundo, inueniendo, pertentando, id tan-

*Ambitio muliebris amorem prodit.*

id tandem inuitus prodat, quod alioqui longe foret occultissimum. Aliæ nonnullæ sunt, quæ si multos illecebris & insidiis eo deducere possunt, vt amari se putent, æmulationes quasdã inter illos fouent, dum alterum præsente altero charitate quadam complectuntur. Cum aliquem viderint, certis quibusdam argumentis eo adactum, vt se maxime amari putet, verborum è vestigio ambiguitate fictaq; indignitate vtuntur: & vt citius de tanta spe decidat, statim illi modis omnibus mentem sensusque vulnerant, dum aliis se totas tradere simulant. Hinc odiũ, inimicitiæ, infinitæ contentiones, homicidium manifestum. Ille enim virilis animus est, vt cum istam acerbitatẽ sentiat, sine vindicta consistere non possit, etiamsi ad mulieris ignominiam redundauerit: Aliæ adhuc restant, quibus satis non est, magnas inter riuales tragœdias excitasse, sed postquã miser amator omnibus amoris argumentis, omni fide, omni obsequio vsus est, cum etiam mutuis quibusdã beneuolentiæ indiciis sustentatus sit, sine causa, sine ratione (cum id minime expectetur) illum incusant, quasi amoris officiis frigescentẽ, nouas suspiciones excogitant, deniq; nihil propius est, quam vt illum foras detrudant. Tum ille miser eo redactus, omnia de integro nouis signis agit, & quasi jam primum seruire inciperet, tota die per plateam obambulat: si in publicum prodeat mulier, quoquo eat, ille continuo insequitur, nec oculos alio contorquere audet. Hic nouas lachrymas, nouos vultus, nouam religionẽ, noua perjuria addit, omnes deniq; furias, quibus istæ (quæ humanum sanguinem plus quam tigrides sitiunt) homines exagitare solent. Lugubres istæ affectiones luce clariores sunt, faciliusq; ab aliis, quam ab authorib. ipsis perspiciuntur: cumq; semel notari cœperint, vnumquodq; vestigium atque signum mille oculis obseruatur, & priusquam aliquis amoris fructus metitur, omnibus apertus atq; explo-

ratus est. Cum enim amatorē ærumnosum, immanitate & ferocia consternatū, prope jam morti succumbere, & proinde necessitate quadam receptui canere videant, illæ rursus blanditiis eundē aggrediuntur, & serio se amare simulant; ne si ille omne desiderium exueret, & illæ amatoris obsequiis carerent, & illi minus grata esset noua istæc benevolentia, cum sera esset, & sempiternis rixis atq; inimicitiis conjuncta. Istæ interim amor nouitius in vulgus serpit, & illius ex eo euentus diutius latere non possunt, ipse quoq; amator præteriisse jam tempus, vitam breuiorem, se ipsum calamitosū fieri perspicit, voluptates aut languidas esse, aut omnino nullas: quoniā non cū vellet, sed cum minime curaret, eisdē potiretur. Nihil enim jam seusus, nihil spiritus, nihil delectatiōis supereſſe potest, cum ipsum cor atque intestina ingemiscendo suspirandoq; exaruerint. Subridens hic Octauianus, jam diu (inquit) tacuisti, nec mulieribus maledicere conat⁹ es: nunc verò illas ita tetigisti, vt eos imitatus videaris, qui retro solent cōmeare, vt majori cum impetu cōgrediantur. Male mehercule factum: nunc n. est, cum pacatus & quiet⁹ esse debeas. Arrisit Aemilia, & in Ducissā conuersa, vide (ait) obsecro, quid faciant inimici nostri: summa salutis spes est, istorum inter ipsos dissensio. Noli (inquit Octauianus) illo me nomine appellare: non sum certe inimicus, sed ista mihi contentio aliquantulū displicuit, nō quod mulierib. victoriā inuiderem, sed quod eas Gasparus majoribus conuitiis, Iulianus verò atque Cæsar majore laude, quam par est, affecerint: tum verò adeò ista longa oratio visa est, vt multa de curiali viro præclara omiserimus. Animaduerte quæso (ait Aemilia) num non aduersari⁹ fueris, qui & antegressa oratione cōmoueris, & aulicam hanc tam excellentem fabricari nolles. Neq; verò quicquam de curiali viro dicendum restat, quum illis, quæ ab istis hominib. dicta sunt, nihil addi pos-

possit : sed istæc tua inuidia omnium mulierum honorem atq; statum libentissime conuelleret. Ego sane (inquit Octauianus) præterea ea, quæ iamdudum dicta sunt, multa alia curiali inesse optarem. Sed quoniam omnibus id placet, quod in eo est (quicquid est) mihi non displicet, nec illi quicquam adjiciam, nisi vt mulierib. amicior sit, quam Gasparus; nec ita tamen amicus, vti sunt ex istis quamplurimi. Certum est hercle, experire (inquit Ducissa) num tantum ingenio valeas, vt exactius etiam adhuc Curialem nostrum instituere possis. Quicquid igitur mente cõceperis, quamprimũ exprimito : sin minus, non modo nihil addi posse putabimus, sed de aulicæ fœminæ dignitate aliquid tẽ detrahere voluisse: nunc enim curiali vestroæqualem dicis, sed cum multis gradib. præstantiorem fieri potuisse. Arrisit hic Octauianus, & illa (inquit) conuitiã, illæ etiam laudes, quæ præter modum aulicæ fœminæ sunt attributæ, istorum omnium aures atque animos sic occupauerunt, nihil vt loci pluribus relinquatur : sermonem etiam in multam noctẽ extraximus. Quod si in crastinum ista differamus (inquit Ducissa) plus erit otij: tum illæ immoderatæ mulierum laudes atq; vituperia istorum animis penitus excident, omnesq; ad veri perceptionem aptiores erunt. Hæc cum primum dixisset, attollit se Ducissa, & vnicuiq; summa humanitate (vale) dicens, in conclaue secessit :

reliqui confestim omnes cubitum discesserunt

# DE CVRIALI SIVE AVLICO

## Liber IV.

INstituenti mihi superiorum librorum sermoni, quartæ etiam noctis disputationes adjungere, grauis quædam & acerba recordatio occurrit, quæ mihi & humanæ vitæ miserias ante oculos proponit, & fallacē spem nostram fragilemq; fortunam, quæ inanes nostras contētiones in medio sæpe cursu frangit, aliquando in ipso portū atq; termino obruit, nonnunquam in ipsis initiis, ptiusquam portū conspicere potuerunt, anteuertit. In istas animi curas molestiasque incido, quoties luctuosam illam domus nostræ orbitatē, statim post istas disceptationes, trium illustrissimorum hominum morte comminiscor. Horum primus Gasparus Pallauicinus erat, qui morbo grauissimo affectus, & in extremum vitæ discrimen sæpenumero adductus, etsi inuita & repugnantē morte, summo animi vigore, corpº spiritumq; vnà aliquandiu contineret, tandem tamen nondum exacto naturali ætatis curriculo, immaturius vita excessit. Rem mehercule tristē & funestam, non domesticis solum, parentibus atq; amicis, sed patriæ etiam & toti Longobardiæ. Huius funeri Cæsaris Gonzagæ supremus dies accessit, qui omnibus illi necessitudine aliqua conjunctis, summum mœrorē atq; mœstitiam attulit. Natura enim cum tales viros raro atq; æque procreauerit, adeo cito illorum nos communitate priuare non debuit. Illum certe jam tum ex hac luce

*Ciceronis imitatio.*

ere-

ereptum licet dicere, cum & de se plus quam honorifi-
cam spem dedisset, & virtutū splendore inter cæteros
eluceret. Nam eximiæ nobilique familiæ, literarum
ornamenta rerumq; gestarū gloriam ita adjunxit, vt
illius ingeniū, consuetudines, scientiam, cum omnes
admirari cœpissent, nihil non sperari de illo atq; ex-
pectari potuerit. Non ita multo post Roberti Barrēsis
interitus, totam domū luctū atq; lamentis cōpleuit.
Vnusquisq; enim quasi ratione eo impellente, egregij
iuuenis mortē deplorandam putauit, cum in eo tanta
humanitas, tam suauis actio, tanta vultus dignitas,
tam aptā membrorum omnium cōpositio extiterit,
vix vt aliquid perfectius excogitari posset. Istis homi-
nibus, si fata longiorē ætatem concessissent, satis her-
cule ostendissent vniuersis, quantis laudib. Vrbinum
merito efferendum videbatur, quamq; illustres in eo
equites jam tum fuerant. Nam ex equo illo Trojano
tot egregios viros ducesq; virtutibus belloq; insignes
vix credo aliquando excessisse. Fredericus, siquidem
Fregosus (vt scitis) Archiepiscopus Salernitanus in-
auguratus est; Comes Ludouicus, Bajossensis: Octa-
vianus v. Dux Genuensis creatus: Bibiena Cardinalis
sanctæ Mariæ in portico: Petrus Bembus Leonis Papæ
Symmista, Iulianus & Dux Nemorosensis factus est, &
aliis illis honorib. affectus, quibus hodie est insignis:
Francescomaria Rouerensis Romæ Præfectus con-
stitutus est, deinde Vrbini Dux: quanquā non tam id
ei, quam illi familiæ honorificū puto, in qua ille altus
atq; educatus, tantis virtutibus cumulatus est, quas
quidem omnes ab illo tam nobili sodalitio atq; com-
munione profectas existimo. Ea itaq; siue sors siue vis
aliqua cœlestis, quæ Vrbino Principes tam eximios
hactenus elargita est, eandem (vt mihi videtur) etiam
adhuc virtutē retinet. Neq; desperandum puto, quin
fortunam adeo semper propitiam vrbs illa habitura
sit, vt vtriq; & domo & Reipub. felicitatis in posterum

magna fit acceſſio atq; incrementum. Huius rei præclarum ſane vel illud teſtimoniũ eſt, quod Aleonora Gonzaga noua Ducisſa diuinitus quaſi cœlo elapſa videtur. Nam ſi in aliqua vnquam muliere ſapientia, venuſtas, pulchritudo, ingenij acumen, humanitas, cæteræq; ſimul virtutes connexæ fuerint, in ea certe adeo conſpirare videntur, & tanquam catena aliqua colligatæ, vt vnumquemq; illius geſtum actionemq; iſtæ ſimul omnes effingere atq; exornare videantur. Pergamus itaq; de Curiali noſtro dicere, nec illud dubitemus, quin alij poſthac hodiernis Vrbinatis Aulæ exemplis ita vtentur, quemadmodũ nos in iſto tempore anterioribus illius teſtimoniis vtimur.

Communis jam iſta omniũ opinio fuit (vti facete Gaſparꝰ ſolitus eſt dicere) poſt ſuperioris diei ſermonem, Octauianum haud fere vſquam apparuiſſe, ſed omne illud tempus in acerrima atq; attentiſſima cogitatione poſuiſſe. Cum itaq; omnes hora cõſueta ad Ducisſam aduenisſent, Octauianum omnes ſedulo exquirunt: quem cum aliquandiu inuenire non poſſent, nobiles viri fœminæq; ſaltationi, reliquiſq; jocis ſeſe componunt, nihil eo veſpere de Curiali actum fore exiſtimantes. Cum igitur vnumquemque ſuum jam ſtudium ſollicitum teneret, inexpectato Octauianus ingreditur, & poſtaquam Cæſarem & Gaſparũ ſaltantes animaduertiſſet, officioſe Ducisſam ſalutauit: & hic ſubridens, credideram (inquit) fore, vt Gaſparum jam denuo mulieres conuitiis laceſſentem audirem. Sed cum illum videam cum vna tripudiantem, inducias ſpero cum omnibus feciſſe: ita controuerſias noſtras, aut potius de viro curiali diſceptationes intercidiſſe gaudeo. Nihil eſt, cur intercidiſſe putes, (ait Ducisſa) nam tu etſi mulieribus ſis acerbior, ego tamen viris inimica non ſum; neq; proinde pati poſſum Curialem veſtrum illo honore atq; apparatu ſpoliari, quem tu illi heſterna nocte pollicebaris. Hæc cum primum

dixiſ-

dixisset, desitum est diutius saltare, omnibus deinde imperatur, vt solito more locum capessant; cumque jam omnes in summa expectatione essent, in hęc verba præfatur Octauianus: Cum alia nonnulla præter ea quæ jam dicta sunt (Illustrissima Princeps) in nostro Curiali desiderauerim, promisso quodam obligari videor, aliquid vt vltra adjiciam. Id ego quoad potero præstabo, non quod omnia, quæ dicenda sunt, recensere me posse existimem, sed vt hesternā illam suspicionē facilius diluam atq; anteuertam: me nimirum Curiali viro aliquid posse adjici dixisse, non quod ita esset, sed vt majorem de eo omnibus opinionē afferrem; Aulicæ verò fœminæ laudes quoquo modo imminuerem. Ego itaq; vt me huic horæ (quæ serior paulo est) accommodem, differam breuius: & vt illa, quæ ab istis nobilibus jamdudū dicta sunt (quæ valde mihi arridēt) iisdem vestigiis insequar: Sic equidem sentio, eorū quæ bona dicimus, quædam simpliciter & sua natura talia esse, vt temperātia, fortitudo, sanitas, ea postremo omnia, quæ mentes nostras pacatas & tranquillas reddunt: Alia verò respectu quodam & relatione ad aliud quippiam adhibita, & finis gratia cui destinantur, vt leges, beneficia, diuitiæ, & eius generis infinita. Curialem itaque (si ita vndique absolutus fuerit, vti à Comite & Frederico describitur) virum bonum & laude dignum arbitror: non simpliciter tamen & per se, sed propter finem, ad quem actiones vniuersas dirigit. Nam si prosapiæ celebritatem, dignitatem, vrbanitatem, reliquaque tam liberalia exercitia sui solius causa expetat, nec eorum fructus ad alia propagetur; nulla ratio est, cur tantum studij atq; industriæ imperfectæ curialitatis consecutione impendamus: immò nonnulla eidem judiciis nostris attributa. scilicet saltatio, festiuitates, cantus, joci, futilia omnino essent atq; inania, & in tanto viro vituperio fortasse quam laude digniora. Quorsum

*Omnis Curialitas alio referenda.*

enim isti tam curiosi ornatus? quo tripudia, quo tendunt choreæ? nisi vt cum mulieribus (etsi alij fortasse aliter sentiant) liberius versentur: quæ & animos effœminatos, & iuuentutem luxu & lasciuia diffluentem reddunt. Vnde Italia in tantã ignominiæ turpitudinẽ nuper sublapsa est, nemo vt jam pro patria sanguinem effundere, nedũ semet periculis objicere audeat. Alia certe innumerabilia sunt, quæ pace belloque multo sunt vtiliora, quam ista tam mollis curialitatis ratio. Verum si omnia illius officia atque actiones bonum finẽ spectauerint, non est dubium, non modo animis nusquam officere, sed summa cum omnium commendatione prodesse. Hæc itaq; perfecti Curialis mera, hic terminus est (de quibus nulla adhuc mentio incidit) ita in principis animũ virtutib. ac benemeritis influere, libere vt ei liceat, vbi volet cũ eo conuenire atq; colloqui; quod dum facit, veritatem illi in omni re necessaria intrepide significabit, nec periculum aliquod veritus, nec illius iracundiam; cumq; illum ineo core aliquid molientẽ viderit, libere cõtradicat: tanta tamen humanitate, tanteq; officij cultu, vt vel ipsa gratia (qua cum eo est) ab omni conatu nefario eundẽ deflectat, & ad virtutis tramitẽ facillime deducat. Ita ille si eo ingenij acumine, suauitate, prudẽtia, cognitione sit (qua est ab istis hominibus nobis expositus) nullo negotio principi persuadebit, justitia, liberalitas, magnanimitas, reliquæq; virtutes bono principi quam bene conueniant: vitia verò iis contraria, quam turpia & ignominiosa sint, quantumq; ab homine liberali abhorreant. Quocirca musica, joci, oblectamenta, Curialitatis tantummodo flores sunt: principem v. ad virtutem incitare, eundẽ ab erroribus teterrimis reuocare, illi demũ verissimi illius fructus videri solent. Et quoniam bene agendi laus, duabus potissimum rebus continetur, quarum altera in finis electione consistit, altera in illis, quæ ad finem sunt desti-

destinata: quisquis operam dederit, vt princeps nec assentatoribus, nec maledicis, nec vanis hominibus auscultet, iisdemue circũveniatur, sed probos semper à malis & impuris discernat ac discriminet; ille meher cule finem longe præstantissimum propositum habet. Illæ verò virtutes, quæ Curiali nostro à se nobis sunt attributæ, optima istius rei subsidia atque adjumenta esse possunt. Omnium enim vitiorũ, quæ hodie sunt principibus vsitata, teterrima sunt ignorantia & p hilautia, quorum fons & origo mendacium est, id est, vanitas diis hominibusq; exosa: qua magnis viris nulla capitalior pestis esse potest; quoniam eorũ summa plerunq; penuria laborant, quorũ maximam copiam haberent, id est, hominum integrorum, qui veritatem semper illis probitatemq; inculcantes, vero amicorũ officio fungantur. inimici enim amore atq; beneuolentia (quæ nulla in eis est) impelli non possunt, vt ista faciant, cum omnia illorũ facinora, summæ illis voluptati sint: quæ si non essent, supplicij metu reprehendere non auderent. Quod si qui illis amiciores sint, liberum ad eos aditũ atq; ingressum non habent, & de eorum perinde, ac priuatorum erroribus dicere extimescunt: nonnunquam verò, vt chari atq; intimi putentur, spreta amicitiæ lege illis rebus libere assentiuntur, quibus illi delectantur, etiamsi fuerint turpissimæ. Ita ex amicis paulatim assentatores fiunt, & vt lucrũ aliquod ex ista familiaritate ferant, id vnum desiderant, semper vt placeant: cui auxiliaria quędam mendacia adjungunt, quæ rerum omnium sui, præsertim ipsius insciti am atq; ignorantiam ingenerant. Summa istęc maximeq; omniũ infesta vanitas est, quæ illas menti stultissimæ tenebras offundit, vt ipsa de se intrinsecus crassissime mẽtiatur. Hinc illud est, quod nihil magnates viri intelligant, quia in summa rerum licentia (quam secum vna potestas affert) temulenti, in voluptatibus & deliciis immersi, in omni denique

*Vanitatis incommoda.*

causa deuij, supini, hallucinantes videantur. Quorum judicium cum perpetuis obsequiis & veneratione præstringatur, cum nemo reprehendat, nemo cõtradicat: in eam rerum omnium obliuionẽ atq; ignorantiam prolabuntur, vt nihil officij, nihil opis, nihil consilij admittant. Hi cum facillimam regnandi imperandiq; rationem existiment, nec in eo vel artis vel literarum subsidia requirant, solam vim amplectuntur, eamque quam nacti sunt potentiã, confidentius retinent; eam demum felicitatẽ existimantes: *Quicquid libet, licet.* Iustitiam itaq; & rationem aperte nonnulli detestantur, quoniam libertati suæ frẹnos ex illis injectos putant: nec satis sinceram voluptatem, nec satis solidum imperiũ arbitrãtur, quod rationis & honesti limitibus coërcetur. Illa enim apud eos opinio inueterata confirmatur: Vere dominum non esse, qui alterius cuiuscunq; præscriptis obtemperat. Istis principiis deuoti atq; cõsecrati) & sui amore jam penitus deflagrantes, animi statim superbiam vultusq; nubeculã induunt, vestes addunt lautissimas, aurum, gemmas, monilia: deniq; raro in publicũ prodeuntes, authoritate existimationeq; apud vulgus ex eo majore se fore sperant: imò tanquã mortales dij adorari volunt; cum interim Colossis illis persimiles mihi videri solent, qui in superiori anno in Agonis profesto die Romæ sursum deorsum ferebantur. Qui cum hominibus equisque ingentib. exterius similes essent; intus stupa, scruto & lasciniis turgescebant. Colossis tamẽ in eo deteriores sunt, quod illi suo pondere atq; vi erecti consistant: hi adeo iniquis ponderibus examinantur, vt nec rectæ rationis lineis, nec fundamentis æqualib. consistentes, sua se grauitate obruant, & ex alio in alium indies errorem incurrant. Nam inscitia falsaq; opinione impliciti, dum se falli nõ posse suspicantur, dum potentiam suam sapientia quæsitam credunt, eo demum insaniæ redeunt: vt in aliorũ possessiones prẹcipitãter irru-

*Epicurea felicitas, viuere vt velis.*

*Colossi ingentes statuæ.*

irruant; vimq; pro voluntate, voluntatem pro ratione habeant. Istis si bene consultum esset (quod illi ferre non possunt) si omnia diligenter cum prudentia perpenderent, regnandi potius cupiditatem abjicerent, quam regnū appeterent. Satis n. perspicerent, quam plenum periculi & dedecoris esset, tum imperare, cum popul' suo principe multo esset sapiētior. In musicis, in saltatione, in equitando parū scire nemini nocet: qui tamen imperitior est, verecundia impeditur, ne istorū aliquid faciat. Verum in repub. administranda quis imprudentior fuerit, omnia rerum discrimina, mors, ruinæ, incendia, vastitates, omnes deniq; pestes & rerump. vlcera erumpunt: & multi tamen principes in summa rerū ignorantia ad regnorum gubernacula audacissime accedunt, clauumque non coram paucis tenent, sed aspiciente toto terrarum orbe: adeo enim alti & cōspicui sedent, vt eorum non modo scelera & flagitia, sed minimi etiā errores obseruētur. Cimonē siquidem memoriæ proditum est male audisse, quod vinum diligeret; Scipionē, quia somnum; Lucullum, quia epulas: sed vtinam per deos nostrorū temporum principes, cum quid peccatū est, illud ipsum tot tantisq; virtutib. expiarent, vt illi olim antiquissimi, qui sicubi errassent, dignis quibusdā viris nunc monentibus, nunc hortantib. nusquam defuerunt; imò verò summa cum industria ad aliorū arbitrium suā vitam atq; mores effinxerunt: vt Epaminondas, Lysiæ Pythagorei: Agesilaus, Xenophontis: Scipio deniq; Panætij; atque alij innumerabiles. Verum si ad nostros forte principes seuerus aliquis philosophus aut alius quispiam accederet, qui aperte sine aliquo artificio tremendam veræ virtutis majestatem illis ostenderet, bonique principis officium atque mores describeret; non dubito, quin ab eo primo aspectu abhorrerent, quin canpeius & angue oderint, quin omnibus deridendū proponerent. Cum igitur istius seculi principes, malis consuetudinibus, ignorantia, philautia

sic delirauerint, veritatem virtutemque vt amplecti facile non possint, cum homines vanissimi atq; assentatores, iniquissimis rationibus eorū beneuolentiam familiaritatemq; aucupentur; præclare curialis noster fecerit, si ea (qua est) prudentia, regis ad se animum sic alliciat, libere vt illi sine molestia, sine fastidio de reb. quibuscunque cum eo conuenire & colloqui liceat. Quod quidem facillime efficiet, si talis re ipsa fuerit, qualis est à Comite & Frederico descriptus, minimoq; negotio in veri inuestigatione semper cum eo versabitur: in cuius animum bonitatis naturam paulatim infundet, continentiam edocebit, magnanimitatem, justitiam, temperantiam, virtutumq; omniū dulcem jucunditatē instituet. Qui cum semel deguſtauerit, quantū suauitatis sub parua illa vitiorū profligandorū amaritudine lateat (quæ nunquā dispēdio, dolore, ignominia vacant:) tum illum summorū imperatorū exemplis cōfirmabit, quibus statuæ, nunc æneæ, nunc marmoreæ, nunc aureæ in locis publicis sunt positæ, vt & illis ad æternitatē valeant, & aliis ad virtutis calcar atq; incitationem, qui honesta quadam æmulatione permoti, eadem laudis & gloriæ trophæa insectētur. Ita aspera virtutis via, & frondiū integumentis & florum suauitate emollienda est: præsertim si summa sit imbecillitas eodē contendentis. Istis accedant aliquando musica, nonnunquam arma & equi, quandoq; carmina & inuenta amatoria, nihil deniq; omittatur, ex quo honestam voluptatem percipere possit: semper cum istis ludicris boni aliquid, & salutaris fallaciæ immiscens; vt medici acuti, qui cum teneris infantibus amarum aliquid ministrant, vasis semper orificiū dulcedine quadā perfundunt. Curialis itaq; si in omni loco, tempore atq; exercitio voluptatis inuolucra in istum finem accōmodet, facile quidem proposito tam honeste optato potietur, majoremq; ex eo quam ex alia re quauis laudem atq; remunerationem

*Virtus suauiter docenda.*

pro-

promerebitur: quoniam in tota hac rerũ vniuersitate bono principe nihil melius, flagitioso verò nihil inutilius. Nulla itaq; pœna, nullus cruciatus, aulicis illis satis magnus est, qui honestis, jucundisq; consuetudinibus tanquam velo aliquo vtuntur, quo principem occulte corruptum, ad vitia & improbitatẽ seducant, cum se illi istis modis semel insinuauerint. Illi enim non vnicum vasculum ex quo tantũ vnus, sed ipsum fontem ex quo omnes bibunt, veneno inficiunt. Hic quasi nihil præterea dicendum esset, tacuit paulum Octauianus. Verum Gasparus: Non video (inquit) quomodo istã animi bonitatẽ, cõtinentiã, reliquasq; virtutes, quas Curiali docendas præscribas, ediscere aliquando possimus: ego illas diuinitus vel à natura vel à deo aliquo concessas arbitror. Nemo enim adeo intemperatus & injustus, adeo improbus & flagitiosus est, quin si ab eo quæratur, talẽ se esse denegabit, oẽs contrà justi, continentes, probi haberi volunt: quod ita non esset, si virtus disci posset. Nihil enim est, cur pudeat id nescire, quod nunquam ediscere studuisti: sed turpe fœdumque ducitur eo carere: quod natura plerunq; elargitur. Vnusquisq; proinde naturalia tam animi quã corporis vitia, summo studio ab oculis remouet: vt in cœcis, claudis, incuruis, reliquisq; natura male insignitis, licet cernere. Nam ea etsi naturæ errori ascribi possint, vnusquisq; tamen eadẽ videri non vult: quoniam quasi signũ aliquod & occultum ipsius testimoniũ videtur, aut imperfecti animi aut depraua-tæ voluntatis. Istam certe sententiã Epimethei fabulà confirmat, qui cũ naturæ dotes distribueret, homines earũdẽ cæteris omnib. animantibus indigentiores reliquit: vnde artificiosam illã sapientiam, qua victũ homines, cultumq; acquirunt, à Minerua & Vulcano furtim Prometheus abstulisse dicitur. Neq; tamen politicam illam prudentiam habebant, qua se in vnum locum congregatos mœnib. atq; ciuitatibus continerent:

*Epimethei fabula.*

rent: quoniam eandē Iupiter alta turre repositam fir-
missimis excubiis custodiuit, quæ Prometheo tantum
terroris injecerunt, vt propius accedere non auderet.
Iupiter eandē hominū misertus, qui moralis virtutis
defectu conuenire non possent, sed per agros dispersi,
ferarū immanitati expositi erant, Mercuriū in terras
cum justitia atq; verecundia legauit, vt istis duabus
& ciuitates exornaret, & ciues in vnum cogeret. Neq;
verò istas ille tanquam artes, mortalibus concessit, in
quibus vnius scientia (vtpote medicina) multorū in-
scitiæ medetur, sed vnicuiq; seorsim sine discrimine
infudit: lege etiā cauit, vt qui nihil justitiæ, nihil pu-
doris haberent, tanquā capitales Reipub. pestes morte
præciderentur. Istæ igitur virtutes naturaliter homi-
nibus sunt inditæ & infusæ, nullis præceptis, nullis in-
stitutis, nulla scientia perdiscendæ. Arridēs hic leuiter
Octauianus: tunc, inquit, Gaspare, homines tam infe-
lice & peruerso judicio natos putas, vt cum arte atq;
industria vrsorum, leonum, luporum feritatem man-
suefecerint; cum volucres natura vagas atq; celeres,
huc illuc, quoquo velint, circumuolitare faciant, cum
eas è syluis atq; libertate in laqueos & seruitutē eum
velint alliciant, eodē artificio sibi ipsis prodesse, ani-
mosq; perfectiores facere non posse existimas? Hoc
perinde esset ac si medici leuissimos vnguiū ac gingi-
uarū dolores summa solertia curarēt, febres interim,
pleuritides, aliasque ægritudines truculentissimas
contemnerent. Quod quantū cum ratione dissideat,
quiuis aperte viderit. Ego sane morales virtutes o-
mnino à natura datas non opinor: nihil enim subito
in contrariam naturam degenerat. Nam lapidem etsi
millies sursum summa vi projeceris, nusquā efficies,
vt sursū ex se tēdat: ita virtutes istæ, si nobis sic essent
naturales, vti lapidi sua grauitas, nunquam hercule
vitiis assuescere possemus. Ne vitia quidem ipsa sunt
isto modo naturalia, quæ si essent, virtutib. nunquam
lice-

liceret imbui: tum in eo permagni errores essent, si propter ea mala plecteremur, quæ natura nobis sine nostra culpa cumulauit: peccarent etiam leges, quæ præterita corrigere non debent(cum facta infecta esse non possint) sed futura potius prospicere, vt nec in posterũ delinquatur, nec malo delinquentis exemplo alij inquinentur. Sed ita virtutes atq; vitia quodammodo discuntur, quoniam ad vtraq; aptos natura nos procreauit: vtriusq; deinde consuetudine habitus in nobis acquiritur; secundũ quem quoties operamur, vel studiosi sumus, vel vitiosi. In iis, quæ nobis sunt naturalia, non est ita. Primũ enim in nobis est facere; deinde ea facimus, vt in sensibus: audire enim, videre, sentire prius possumus, quam audiamus, videamus, aut sentiamus. Hæc fortasse postea disciplina cultiora in nobis atq; ornatiora redduntur. Vnde pædagogi quicunque approbati & periti sunt, non literis solum pueros, sed decenti quadam actione, loqui, edere, bibere, mouere iustituunt.

*Aristoteles Ethicũ.*

Quocirca in virtutibus, quemadmodum etiam in artibus magistro aliquo opus est, qui erudiendo hortandoq; ad morales virtutes nos excitet(quarũ semina in animis nostris inclusa & sepulta habemus:) deinde quasi frugi agricola, eadẽ excolat, vias quasdam eisdẽ patefaciat, spinas loliumq; libidinũ nostrarum radicitus euellat, quæ animos nostros ita sæpe obscurant atq; suffocant, vt nec flores illos nec fructus felices producere possint, qui soli in mentibus nostris pullulare debent. Atq; ista quidẽ ratiõe iustitia nobis atq; verecundia naturaliter insunt, quas tu Iouem ais ex æquo in terras omnibus immisisse. Verum quemadmodũ corpus quantumuis robustissimum, si absq; oculis huc illuc moueatur, labi necesse est, atque decidere: ita virtutes istæ, quarum facultates atque igniculos in animis nostris habemus, nisi disciplina adjuuẽtur, in nihilũ plerunq; recidunt. Nam si earum

actio-

actionibus vti velimus, si perfectũ habitum consequi
sola natura nõ sufficiet, sed rationis & iudicij subsidia
adjungenda sunt, è quibus & lumen aliquod in animo
appareat, & ignorantiæ vela (quæ errorum mater est)
penitus detrahantur. Nam si boni & mali natura pe-
tus nobis perspecta esset, bonum semper eligendum,
malum repudiandum putaremus. Virtutem itaq; pru-
dentiam quandã & qua si boni electionem; vitiũ verò
imprudentiã, ignorantiam, deprauatum iudiciũ licet
appellare. Homines enim malum non eligunt, quod
malum esse opinentur, sed falsa bonitatis specie atq;
effigie decepti. Multi tamẽ sunt (inquit Gasparus) qui
cum satis sciant, malum nihilominus agunt, præsen-
tem voluptatem futuris suppliciis præponderantes: vt
latrones, homicidæ, sicarij, & id genus nepotes alij.
Vera quidẽ voluptas (inquit Octauianus) semper bona
est, & ver[æ] contrà dolor perpetuo malus: sed illi valde
cœcutiunt atq; delirant, dum inanes voluptates pro
synceris insectantur, & verissimos dolores pro fictitiis
refugiunt. Vnde ex adulterina quadã jucunditate, in
infestissimas acerbitates prolabuntur. Ars itaque illa
quæ verum à falso discernere facit, edisci poterit. Ea
verò virtus quæ illud quod re verâ bonũ est, ab eo dis-
criminat, quod specie tantummodo tale est, verissima
scientia appellari poterit: cum ignorantiã propellat,
quæ (vt modo dictũ est) errorum omniũ origo est. Hic
Petr. Bembus: Nescio (inquit) Octauianue, quomodo
tibi Gasparus concedat, flagitia ab ignoratione pro-
fluere, scientesq; nos & prudentes nõ peccare, in verâ
fictaq; voluptate & dolore decipi. Incontinentes siqui-
dem recta ratione judicant, nusquam ignorant, alio
libidinem, alio officiũ impellere: sed summo impetu
reluctãtes, appetitũ rationi opponunt. Vnde acerrimæ
illæ voluptatum, dolorumq; cum judicio contentiõ-
nes exoriuntur: deniq; ratio auidissimis desideriis qua
si vento & marinis tempestatibus concussa, relicto cla-
uo at-

*Vitium occultũ non est occulta impotẽtia. Arist.*

uo atq; anchora, fortunæ se & periculorũ incertitudini committit. Incontinentes igitur suspenso & hæsitanti animo labuntur, & (vt dici solet) vis trahit inuitos. Quod ita non esset, nisi certo cognoscerent, malum id esse quod agunt: spreta n. & contempta ratione, præcipites appetitui se traderent, jamq; non continentes, sed (quod multo est deterius) intemperantes essent. Incontinentia enim quasi mancum est & diminutum quoddam vitium, quoniã rationis aliquid admistum habet. Continentia verò virtus imperfecta, quoniam perturbatione aliqua tanquã procellis agitatur. Quocirca incontinẽtiæ errores (vti mihi videtur) ab ignoratione proficisci dici non possunt; aut eos falli, & proinde min⁹ peccare: cum nihil certius sciant, quam seipsos grauiter delinquere. Tum Octauianus: Satis mehercule artificiosum (Bembe) argumentum: sed vide ne specie, quã reipsa melius. Nam incontinentes etsi in summa ambiguitate & sollicitudine peccent, ratioq; in iis impotentius cõtra libidines digladietur, deniq; vitia omnia mala esse cognoscãt: scientia tamẽ illorum inuolucris quibusdã obtegitur, nec ita (vt est necesse) exacte intelligunt; in iisq; leuis potius opinio quã certa cognitio videtur, quoties in illis ratio affectionib. turpiter concedit. Hic si vera scientia inesset, nihil sceleris, nihil peccati foret. Nam quoties appetitus judicium vincit, insciticæ semper ministerio adjuuatur. Neq; sane cognitio perfecta, ab affectione (quæ corporis magis quam animi est) superari potest: quæ si rationẽ audiret, virtus esset, sin repudiauerit, in vitiũ degenerat. Sed ea rationis sæper vis est, vt sensus nostros mirifice penetrans, fere obtemperãtes faciat, ne ignorantia aliquando in suas possessiones irrepat: vt etiamsi spiritus, ossa, nerui, rationem in se non habeant, in omni tamen animi permotione, in qua imaginatio seipsam erigit, & spiritibus q. frenos quosdam remittit, omnia confestim membra in promptu sunt,

pedes vt eant, manus vt apprehendãt. reliqua vniuersa vt faciant, quicquid mens præceperit. Hæc in illis manifeste perspiciuntur, qui nauseantẽ aliquem cibum & fastidiosum comedunt ita delicate conditum, vt gustui iucundissimus videatur: eundem cum qualis sit, postea intelligant, non solum cum dolore & fastidio ab eo abhorrent, sed animo cum corpore è vestigio conspirante, illum continuo euomunt & eiiciunt. Hic cum plura dicturus Octauianus videretur, interrupit illius orationem Iulianus, & ego te (inquit) Octauiane (nisi male intellexerim) continentiam virtutem quandam imperfectiorem dixisse memini, quoniã perturbationibus vndiq; septa atque obsessa est. Quod si ita sit, si acerrima in animis nostris iudicii cum appetitu cõcertatio sit, virtus illa, quæ post tot pugnas, tantasq; tempestates rationi victoriam reportat, iure optimo perfectior videtur, quam illa, cui nulla vis appetitus, nulla desiderii auiditas, nulla libidinis flamma resistit. Animus etiam ille, in quo inhæret; non tam virtutis amore à vitiis abstinet, quam quia nullis voluntatis illecebris impellitur. Vtrum obsecro (inquit Octauianus) imperatorem magis strenuum diceres, illum ne qui se suaq; omnia aperta pugna periclitatur, & hostẽ tamen superat; an eum, qui virtute atque scientia ita paulatim omnes illius neruos præcidit, vt cum eo periculose confligere non possit? Laudabilior certe est (inquit Iulianus) quisquis maiore securitate vicerit, dum ista victoria ex aduersariorum tarditate atque inertia non profluxerit. Placet hercule iudicium (inquit Octauianus:) nam ea continentiæ ratio est, vt illi imperatori persimilis sit, qui cũ inimicis vtiliter dimicat, eosdem quantumcunque validos & instructos profligat, tamen non sine aliqua nota atq; periculo. Temperantia vero ab omni molestia immunis atque libera, cum eo conferenda est, qui sine sudore atque sanguine triumphat. Omnes enim libidinis igniculos in suo regno non solum

*Continentiæ & temperantiæ comparatio.*

lum mitigauit, sed penitus etiam extinxit: vt princeps vsu rerum sapiens, cum bellum ciuile increbuerit, omne malum intestinū dissipat atq; dissoluit, sceptrumque rationis imperio committit. Ita virtus istæc mentem subito non distrahit, sed tempestiue placabili quadam suasione ad honestatem allicit, quietā & securam reddit ex omni parte, æquabilem & temperatam: nullum in ea dissidium, nulla contentio, nihil impatiens, omnia libera, pacata, tranquilla, omnia rationis monitui obsequentia, vt agni tenerrimi, qui matrē ad latus quoquo eat, insequuntur. Hæc itaq; virtus omniū longe perfectissima, plus quam cæteræ omnes principem exornat, cum ex aliis pluribus enascatur. Nescio profecto (inquit Cæsar) num principibus conueniant virtutes illæ, quæ ab ista temperantia profluunt, cum affectionibus animum liberent, sed Monacho aut Eremita quopiam non indignas putarē. Gubernatores enim cum animosi, liberales, magnifici fuerint, si iram odiū, beneuolentiam, indignitatem non ostendant, non video, qua authoritate apud plebem militesque existant. Non dico temperantiam (inquit Octauianus) omnes funditus ex animo affectiones radicitusque euellere: (neq; enim hoc vtile esset, cum aliquid in eis boni insit) sed tumultuantes tantummodo turpesq; perturbationes rationi subiicere. Quod si vt omnē animo molestiam exueremus, omnes etiam affectiones abiiceremus, perinde esset, ac si publico edicto vinum interdiceretur, ne forte in vinolentiam & ebrietatem incidamus: neue aliquādo curramus, quoniā aliquando currentes corruimus. Equorū domitores intuemini, num illi equum à cursu atque saltu deterreant, an id potius tempestiue ad equisonis arbitrium fieri velint? Affectiones itaq; temperantia limatæ virtuti suffragantur: Nam & ira fortitudinis coticula est, & odiū improborum iustitiæ desiderium est, idemq; in reliquis contingit: ita si omnes è medio tollerentur, imbecillem &

vacillantem rationē relinquerent; tanquam naturam qui ventis destitutus, summa tranquillitate nauigare non potest. Noli itaq; mirari (Cæsar) si è temperantia nonnullas virtutes enatas dixerim. Nam cum istum vndiq; concentū plusquam musicum animus habeat, veram facile fortitudinem induit, quæ illum & omnibus periculis liberat, & supra istam mortalitatem intrepidū & animi passionib. inconcussum facit. Accedit eodem justitia tanquam virgo incorrupta, eademq; modestiæ amica, bonitatis mater, virtutū regina, quæ omnia agenda præcipit, fugienda declinat, omnium reliquarum actiones, quasi sua fabrica perficit. Eam quicunq; habet, non sibi solum, sed etiam vniuersis prodest, verum vt videatur antiquū illud: Ipsum louē sine illa regnare non potuisse. Accedit etiam magnanimitas, quæ omnia reliquis rebus mediocria, majora efficit: verum ipsa per se nusquam soler consistere, cum qui alias virtutes non habeat, vere magnanimus esse non possit. Huius moderatrix prudentia est, quæ in boni electione consistit. In ista tam felici atque aurea catena, liberalitas, magnificentia, veri honoris cupiditas, mansuetudo, comitas, affabilitas, multæq; aliæ (quarum nunc non est narrandi locus) suauissime conjunguntur. Verum si illis vestigiis Curialis noster insistet, quæ nos illi jam antea proposuimus, istas facile omnes in principiis sui animo defixas atq; inhærentes reperiet, quæ illos flores fructusq; proferent, vt nullis hortis, nullis viridariis similes inueniantur: ipse v. sibijpsi magnopere in hoc vno satisfaciat, cū se meminerit, nō huiusmodi fortunæ ludibria dedisse, qualia alij homines leuissimi dare solent, non aurea atq; argentea vasa, non vestes, non monilia, non eius generis alia (quib. & ille indiget qui dedit, & ille abundat qui accepit) sed illam virtutē, qua nihil hominum generi diuinius contigit: nimirū rectam gubernandi imperandique rationem, quæ & sola homines beare

potest,

poteſt, & aureum illud denuo ſeculũ reducere, quod olim fuerunt regnante Saturno in terris fuiſſe.

Hic cum paulum Octauianus quaſi reſpiraturus conſiſteret, quam obſecro (inquit Gaſp.) felicissimam gubernãdi rationem exiſtimas? Quænam illa eſt, quæ ad auream illam (quam dicit) ætatem facillime conduceret? regnum ne, an verò forma Reipubl. aliqua? Ego ſane (inquit Octauianus) boni ſemper principis imperium reliquis omnibus anteponerem, quoniam naturæ videtur cõuenientius, & (ſi parua magnis licet conferre) ipſi Deo ſimilius, qui vnus ſoluſq; gubernat omnia. Sed vt illud tam altũ omittamus, in iis omnibus, quæ humana prudentia atq; induſtria conficiuntur (vt exercitus, naues, ædificia) vnius arbitrio omnia commiſſa videmus. In corporibus verò noſtris omnia membra ſic reguntur, quemadmodũ vni cordi videtur. Deinde peræque mihi conſentaneũ videri ſolet, homines vnius imperio perinde teneri, atq; cætera animalia: quorũ pleraq; naturæ inſtinctu, vni alicui obſequuntur. Ceruos intuemini, grues, aliaq; volatilia, infinita, ſi principẽ ſemper aliquẽ non proponant, quem ſolertiſſime inſequantur. Apes verò quaſi rationum momentis adductæ tanta reuerentia, atque ſedulitate regem obſeruant, vt cum obſequentiſſimis totius mundi nationibus conferendæ videantur. Quę quidẽ vniuerſa iſtuc innuũt: Principis vnius imperiũ magis eſſe ſecundum naturam, quam Rempublicam. Hic Bembus, at contra (inquit) mihi videri ſolet. Nam cum omnes homines natura liberos procreauerit; æquum non eſt tantum illius beneficiũ nobis iniurioſius extorqueri, & vni alicui pluſquam cæteris omnibus conferri: quod in monarchia contingit, quum in ea populus ſeruituti fere ſit obnoxius, & contra in omni Rep. bene conſtituta præcipua libertatis cura habeatur. In iudicijs verò atq; deliberationibus facilius vnius quam multorum opinio fallitur, vel amore, vel

*Vnius imperium præſtantiſſimum.*

odio, vel ira, vel libidine; quæ in vno aliquo facile incenduntur, in multos vero dispersa citius langueſcunt. Illa vero volucrum & ferarũ exempla, nullo pondere nituntur. Nam nec cerui, nec grues, vnum eundemque ſibi ſemper præficiunt, ſed alterna quadam viciſſitudine, iam hunc, iam illum inſequuntur: quod non tam regni, quam Reipub. ſpeciem in ſe habet. Nam illa demum vera libertas eſt, cum certis vicibus parent homines atque imperant. Illud etiam quod de apum rege dixeras, parui momenti videtur: quoniam non ſui, ſed alterius cuiuſdam generis illorum Rex eſt. Itaque qui dignum aliquem reliquis præficere velint, ex altero genere & nobiliore natura aliquem delibare oportet. Pecudes enim atque armenta, peeudi aut bruto non obtemperant, ſed paſtori aut bubulco, qui præſtantiori indole atque ingenio eſt. Iſtis ego rationibus adductus, Rempub. regno magis expetendam diiudicare ſoleo. Ego huic opinioni tuæ inquit Octauianus) vnico tantum argumento occurram. Tres tantummodo ſunt hominum regendorum rationes: prima Monarchia ſiue regium imperium eſt: ſecunda, Ariſtocratia, i.e. optimatum poteſtas: tertia, Demõcratia, ſeu popularis adminiſtratio. Eæ vero Rerump. labes, illa vitia, eæ corruptelæ, illæ peſtes, quibus iſtæ ſunt obnoxiæ (cum ſint omnino cõtrariæ) iſtis nominibus deſignantur: Monarchia degenerat in tyrannidem? Ariſtocratia, in Oligarchiam, i.e. paucorum diuitumq; potentiam; Democratia, in confuſam quandam & tumultuantem totius plebis ſine ordine adminiſtrationem. Harum trium tyrannis eſt omnium infeſtiſſima, atq; deterrima, quod infinitis rationibus licet oſtendere: & proinde conſentaneũ eſt Monarchiam eſſe optimam, quoniam peſſimæ eſt oppoſita. Nam contrariorum (vt ſcitis) contrarii ſunt effectus. Illi vero quod de libertate obieceris, id reſpondeo, eam non eſſe veram libertatem: Viuere vt velis: ſed pro legum ſynceriſſimarum præ-

*Rerump. ſpecies.*

pto, atque norma ſpiritum ducere. Neq; vero obtemperare minus naturæ congruum, vtile aut neceſſarium eſt, quam imperare. Immo ab ipſa natura quibuſdam iſta conditio impoſita eſt, vt pareant; aliis vero, vt imperent. Certum hercule eſt, duo eſſe gubernandi genera; alterum herile eſt, & violentum, vt domini in ſeruos, animi in corpus: alterum mite & placidum, vt boni principis in ciues legum miniſterio, rationis etiam in appetitum. Vtrunq; certe vtile, quoniam & corpus animo, & appetitus rationi vt obtemperent, ab ipſa natura informata videntur. Permulti ſane homines ſunt, quorum omnes actiones operationeſque ad corpus tantum ſpectant: hi à bonis ſtudioſiſq; hominibus tantum differunt, quantum corpus ab animo; & quanquam rationis capaces ſint, eam tamen facie tantummodo atque effigie cognoſcunt, cum illam nec poſſideant, nec fruantur. Iſti naturaliter ſerui atq; mancipia ſunt; quos ſi penitus interſpexeris, ſeruitutē illis, quam imperium, vtiliorem iudicaueris. Quomodo igitur illis imperandum eſt (inquit Gaſparus) quos natura ſeruili ingenio non inſtituit, ſed liberali, & ad virtutē propenſo? Ciuili nimirum illo, placabili, atq; regio imperio, reſpondit Octauianus. quibus non iniquum fuerit illos magiſtratus delegare, ad quos natura eoſdē aptos effinxerit, vt hominibus aliquando minoris prudentiæ imperent: ita tamen vt merū præcipuumq; imperium, ſoli principi inuiolatum reſeruetur. Tu vero cum vnius mentem, ſenſumque facilius quam multorum iudicium corrumpi diceres, illud etiam meminiſſe debueras, vnum facilius probum ſapientemq; virum reperiri, quam multos. Nequè ſane deſperandum eſt, principem illum vnum, bonum virum & prudentem fore: nam cum nobili familia ſit, quid ni ſua natura ad virtutem procliuis ſit, & eximia maiorum memoria allectus, & honeſtis ſtudiis à teneris annis educatus? & quanquam hominis naturam non reuincat (quod tu

aptũ exemplo vis fieri) tamen si liberaliter instructus, si optimis præceptis imbutus, si illo artificio suffultus fuerit, quo isti nobiles Curialem exornarunt, scilicet prudẽtia, fortitudine, tẽperantia, justitia, liberalitate, deniq; si majestate, pietate, misericordia, non minus hominibus charus fuerit, quam ipsi Deo (cuius beneficio istas tam heroicas virtutes cumulare cõsecutus est) non est dubium, quin & naturæ communis limites superare, & istam moralitatẽ excedere, & inter mortales semideus esse videatur. Deus sane illis principibus minime delectatur, qui eum magnitudine & potentia imitari studeñt, quiq; ab hominibus adorari volunt, (sunt illi quidẽ superis ridiculi) sed iis potius, qui in summa rerũ omnium potestate & licentia, pietati ac sapientiæ studeñt: quarũ ope cum & satis bene sciant, & satis bene velint, tanquam ministri fidelissimi, ad reliquorum vsum atq; commodum suas dotes atque beneficia elargiãtur, quæ paulo antea ab illo solo acceperunt. Quemadmodum itaq; in illo cœlesti globo sol, luna, reliquaq; sydera, tanquam in speculo aliquo Dei similitudinem mundo cõmonstrant: ita in terris multo magis expressam illius effigiem principes illi habent, quicunq; illũ syncere venerantur atq; amant, quiq; clarissimum illud illius justitiæ lumen populo exhibent, non sine vmbra quadam supremæ illius rationis & cœlestis intellectus. Cum istis Deus diuinum aliquid communicare non dedignatur, justitiam infundit, integritatem, æquitatem, aliaq; ita sublimia, vt à me nominari non possint: cum illius mirificam deitatẽ illustrius nobis repræsentant, quam vel illud admirabile solis lumẽ, vel illa perpetua cœli circumgyratio, vel multiplex ille stellarum cursus, & incredibilis operatio. Illius itaq; solius nutu populus principis custodiæ cõmittitur, quo major illius cura atq; animaduersio esse debet, cum vicariam Deo operam impendat, eiq; ratio exquisita reddenda fuerit: immò

*Princeps bonus Dei effigies.*

vero

vero in omnem rem atq; actionem ita diligenter excubare debet, ita plebem sollicite diligere, vt illius emolumenta atque incommoda, sua existimet, illius incolumitatem, vitæq; conditionem propriis semper commodis anteponat. Principem itaque non solum ipsum probũ esse oportet, sed reliquos etiam probos efficere; vt Architecti norma, quæ non tantum ipsa recta est & æqua, sed cætera etiam omnia rectiora atq; planiora facit. Illud enim vel maximum boni Principis argumentũ est, cum plebs virtuti atq; bonitati incumbit. Illius enim vita ciuium regula atq; lex est, ad cuius se mores & ingenium componunt vniuersi. Illud interim male cohæret, vt vel is, qui in summa insciti & ignorantia est, alios doceat vel qui nullo modo aut ordine contineatur, alios officio contineat; aut qui ipse in præceps sæpius ruat, alios teneat & sustentet. Quisquis itaq; istæc munera sincere exequi desiderat, sapientiæ omni industria inuigilet: deinde omni in re rationis leges diligentissime teneat, easq; non chartis inscriptas, non ære insculptas: sed animo defixas habeat, tanquam familiares quasdam atque intimas suiipsius partes, vt illum dies noctesq; omni tempore, omni etiam loco illarum perturbationum turbulentissimarũ admoneant, quibus mentes intemperatæ exagitantur: quæ nunc quasi alto ignorationis somno consopitæ, nunc cœcis libidinibus distractæ, eas turbas pariuntur, quas nonnulli solent extimescere, dum per insomnium prodigiosa quædam, & horrenda terriculamenta persentiunt: quorum quo majores desideriorũ faces sunt, eo semper truculentiores molestiarum flammæ apparent. Nam principi cum quicquid libuerit licet, periculum est, ne id semper velit, quod non debeat. Præclarum itaq; Biantis illud: *Magistratus virum indicat.*

Nam vt in vasculis rima aliqua fit, dum vacua sunt, haud facile deprehenditur; cum plena sunt, statim

*Malus animus felicitatem ferre non potest.*

effluunt, vitiumq; indicant: ita malus animus ægritudinem vix vsquã explorat, nisi cum in summa dignitate constitutus fuerit. Onerosam enim imperii vim sustinere non poterit, cum seipsum, i. e. rationem deserat; cum vndiq; superbia, ira, fastidio, tyrannide, ambitione, turgeat, cum probos, sapientesq; deiiciat, & iniquissimũ quenq; efferat; cum nullas amicitias, nullos congressus, nullum consilium ferre possit: cum neminem æstimet nisi exploratores, homicidas, delatores, vt hominibus & metum terroremq; incutiant & debiliores faciant, dum inter eos factiones contentionesq; enutriant. Vnde incommoda incredibilia, vastitates, ruinæ, interitus, consequuntur; nonnunquam etiã tyrannis ipsis timor quidam perpetuus. Nihil enim principes boni sibi ipsis solent metuere: sed ne quid mali ciuibus contingat. Tyranni etiã eos præcipue verentur, quibus imperant; Et proindequanto maior ciuium numerus est, quoq; illi potentiores sunt, eo timent vehementius, eo plures habent inimicos. Quanta quæso animi anxietate, quãto timore Clearchus ille tyrannus Ponticus in foro, theatro, in conuiuiis locisq; publicis interfuit, cũ in cista obseratus (vti memoriæ proditum est) semper fere dormiuerit? Quid de Aristodemo Argiuo dicam, qui lectulo tanquam carcere & vinculis vsus erat? Nam intra palatiũ, minutissimum quoddam latibulum construxit, ab omni domus parte disiunctum, & in aere adeo alte suspensum, vt eo sine scala ascendere nõ posset: ibi cum meretricula pernoctabat cuius mater vnoquoq; vespere scalam auferebat, eademque summo mane reduxit. Huic omnino contraria boni principis vita debet esse, libera, secura, nõ minus ciuibus, quam sibi ipsi chara & politicis actionibus & contemplatiuis studiis tantum dedita, quantũ multitudinis vtilitati videbitur cõducere. Tum Gasparus: Quam obsecro vitam (Octauiane) principi conuenientiorem existimas, moralemne & practicam, an speculatiuam & in-

*Clearchus tyrannus.*

*Aristodemus.*

& intelligentem? Subridens hic Octauianus: tu fortasse adeo me mihi placere existimas, vt me curialem nostrum putem, qui adeo multis scientiis ornatus harum vnaquaque exactissime vti cognouerim. Reminiscere (quæso) multas illi virtutes ab istis dominis attributas esse, quas ego in me nunquam agnoui. Primum itaq; in eo inuestigando demus operā; nam & in ista quæstione, & in reliquis omnibus principem bonum spectantibus, ego illi libentissime concesserim. Credo equidem (inquit Gasparus) aut parum tibi deesse eorū, quæ Curiali nostro sunt attributa: aut si quid absit, musicam id potius esse & saltationem, reliquaq; nullius ponderis ludicra, quam vel principis instituendi rationem, vel veræ curialitatis formam. Non sunt hercle parui momenti (inquit Octauianus) quæcunq; ad principis beneuolentiam atque gratiam conciliandam valent: eadem (vti iam antea diximus) cognita atq; perfecta esse debent, priusquam illius animo virtutē inserere conemur, quæ gradibus quibusdam ediscenda est, tantumq; semper prodest, quantum obest ignorantia, quæ & vitiorum mater est, & sui ipsius amorem ingenerat. Satis itaque iampridem dixisse mihi videor, & plus etiā fortasse quam vobis promiserā. Tanto tibi nos deuinctiores efficies (inquit Ducissa) quanto tuplus quā pollicitus es, præstiteris. Quocirca ne pigeat Gasparo hac in re satisfacere: & principem tuum amabo vlterius instituas, si aliis præceptis indigere putes, finge te illi iam nunc esse chariſſimum, libereq; licere, quicquid libuerit persuadere. Arrisit hic Octauianus, & si ego, inquit, principis cuiusdam mihi satis iam cogniti fauorē conciliassem, non dubito, quin eundem libere loquendo quam citissime amitterem; & priusquam ille docendus erat. necesse esset me aliquid dicere. Sed quoniam vestræ amplitudini ita placet, vt in ista quoq; re Gasparo respondeam, id dico: Principibus vtramq; vitam esse necessariam: magis tamen contemplatiuam, quoniam illa

*Ignorantia vitiorum mater.*

illa in duas partes distribuitur; quarum altera recte cognoscit & dijudicat, altera bene & cum ratione illi imperat, qui loco & tempore officiose obtemperare debet. Atq; id quidem est quod dux Fredericus solitus est dicere: *Illi semper morem geri, qui nouit imperare.* Illud v. imperare, præcipuum semper regis munus est, & nonnunquā tamen cum res agantur, necesse est eos ipsos interesse, & oculis (vt ajunt) præsentibus negotia perlustrare, cadē per seipsos nōnunquam exequi, quæ *praxis* & actionis pars est. Verū actiuæ vitæ finis atq; terminus speculatiuus esse debet, vt belli pax, laborum quies atq; tranquillitas. Probi itaq; gubernatoris officiū est, illis legib. atq; decretis ciues instituere, vt in otio sine periculo, & in pace cum dignitate possint viuere. Multi enim principes, multæ Respublicæ fuerunt, quæ bello & contentione, cum essent florentissimæ, sublatis belli incendiis, omnē subito potentiam splendoremq; amiserunt; non secus ac ferrum, quod sine vsu & exercitio rubigine plerunq; consumitur: cuius nulla alia ratio est, nisi quod recta pacis instituta non habeant, otijq; beneficio frui non possint. Neq; sane natura videtur permissum, semper vt bella geramus, nisi pace (tanquam fine) proposita. Etsi quorundam principum iste animus est, vt nullos se fore arbitrentur, nisi finitimos quosq; subditos sibi habeant; populumq; bellica quadā feritate enutriant, vt alios spolient, alios depopulentur, nōnullos interimant: istiq; immanitati tanquā virtuti cuipiam mercedem constituunt. Vnde apud Scythas cōsuetudo inualuit, vt qui hostem aliquē non occidisset, solennib. epulis cratera quadam vnà cum sociis bibere prohiberetur. Aliis verò regionib. mortuorū sepulchris tot lapides quadrato: pyramidis in morē (quos obeliscos vocant) solebant erigere, quot ij qui sepulti erant, aduersarios occidissent. Et hæc omnia in eum finem, vt homines strenui & bellicosi cum fierent, alij aliis imperarent;

*Oculus Regis justitiæ custos.*

quo

quod infinitũ in se aliquid habet, cum semper aliquid
resset, nisi totus terrarũ orbis (quod fieri non potest)
sub jugum mittatur. Neq; verò naturæ legibus valde
consentaneum videtur, quæ id nobis in aliis placere
non vult, quod in nobis ipsis minime approbamus.
Populum itaq; princeps bellicis rebus instituet non
propter dominandi libidinẽ, sed vt se meli⁹ defendat
ab iis, qui vel seruitutẽ vel injuriam minitãtur, vel vt
tyrãnos exterminet, vel vt eos liberos reddat, qui sunt
injuriosius tractati, vel vt eos in seruitutẽ redigat, qui
sunt natura serui, quos summa humanitate, pace arq;
otio gubernabit. Huc totius imperij jura, huc justitia
spectare debet, vt viri flagitiosi pœna plectantur, non
odio aliquo, sed ne mali amplius exi.stant, neue bonis
hominibus sua turpitudine infestiores fiant. Inique
enim comparatum esset, vt in bello (quod ipsum per
se malum est) magnifici & sapientes habeamur: in
pace verò (qua nihil melius) crassi, supini, oscitantes,
adeoq; insulsi simus, vt tanto bono frui nõ possemus.
Quemadmodũ igitur in bello vtilibus ac necessariis
incumbendum est, vt fine id est, pace potiamur: ita in
pace (cuius finis est securitas) honestati studendum,
quæ vtilitatis finis videtur. Ita & ciues boni erunt, &
principes plures habebit, quos præmiis atque laude,
quã quos pœnis afficiat: & regnũ vtraq; ex parte felix
erit, dum non imperiosa gubernatio sit, vt domini in
seruos; sed lenis & pacata, vt patris in liberos. Hic Gaspar. Intelligerem, inquit, id q; perlubenter, quænam
illæ virtutes sunt, quæ foris vtiles & necessariæ, domi
vt honestæ videãtur. Omnes mehercule (inquit Octauianus) boræ sunt, omnes percommodæ, quoniam
bonum finẽ spectant. Verum in rebus bellicis primas
partes fortitudo habet, quæ passionum imbecillitate
animum sic exonerat, vt periculum non modo non
extimescere, sed contemnere etiam putetur. Eam patientia comitatur constanti quadã aduersus fortunæ

*Pacis quã belli non minor cura.*

pro-

procellas, casusque humanos tolerantia circumsepta. Illæ etiam virtutes, quæcunque honestatem proposi-tam habent, vt iustitia, continentia, temperantia bellicis temporibus valde conueniunt: sed paci tamen & otio magis necessariæ. Nam sic sunt hominum mores, vt cum fortuna fœlicius afflauerit, cum in summa rerum securitate versetur, facile iniusti, & intemperati fiant, facileq; se voluptatibus diffluere patiantur. Quorumcunque igitur ea conditio est, iisdem istarum virtutum maximus vsus est. Humanus siquidem animus otio languescens, facillime corrumpitur; vnde antiquum est illud sermone prouerbiũ: Otium seruis non conceditur: adeo vt pyramides illæ Aegyptiæ, in nullum alium finem extructæ putentur, nisi vt plebi negotium facesserent, vnicuique enim nostrum nihil vtilius, quam tolerandis laboribus se assuefacere. Restant nonnullæ virtutes aliæ cum primis vtiles: sed istæ hoc tempore sufficere mihi videntur. Nam ego si ista ratione meum principem educare atque instituere possem, probi Curialis officium atque finem abunde mihi videret expressisse. Tum Gasparus, quoniam recta (inquit) educatio à te tantopere laudatur Octauiane, quoniam eam credis viros probos & fœlices afficere, illud valde cognoscerem, num Curialis noster vsu & quotidianis actionibus principem sic instituet, vt nihil cogitanti consuetudo vitæ optima enascatur: an potius colloquio & rationibus boni malique naturas patefaciet, priusquam quid expetendum, quid fugiendum ostendat: denique num in illius animo virtutes persuadendo, præcipiendoque, an assuefaciendo disseminandæ sint? Tu me (inquit Octauianus) in infinitum discurrere vis: tamen ne lentius & inuitius satisfacere tibi videar, illud non grauabor adiicere. Nos quidem vti ex duabus partibus consistimus, anima scilicet & corpore: ita ipsa quoq; anima distributa est in Rationem & Appetitum, Et quemadmodum in vniuscuiusq-

cuiusq; nostrum generatione, corpus anima prius est, ita quoque irrationalis animæ facultas, rationali est anterior: quod licet in infantibus cernere, qui statim vt nati sunt, iram quandam, vehementemq; appetitum ostendunt, progrediente deinde tempore ratio elucescit. Corporis itaque prius cura, quam animæ habenda est, appetitus antea quam rationis: & corporis tamen propter animum, & appetitus propter intellectū. Nam vt virtus contemplatiua, eruditione & doctrina: ita moralis, vsu & consuetudine perficitur. Cuius fundamenta exercitatione primum iacienda sunt, quæ paulum desideriis obsistat, nondum ad rationem accommodatis: eadem postea leuiter ad bonitatem adducat, in qua cum aliquantulum acquieuerint, intelligentia confirmanda sunt, quæ etiam si lumen suum nouissime ostendat, perfectissimum tamen virtutis moralis vsum (quod omnium primum est) præscribere videtur. Priusquam vlterius progrediare (inquit Gasparus) narra obsecro, quo pacto corpus nostrum curandum est, quoniam illius ante animum, curam habendam esse affirmasti. Subridens Octauianus, ab istis (inquit) scisscitare, qui bene alti & nutriti, cuticulam sic curant, vt obesi & rotundi appareant: Ego vero vix bene curatus gracilis & macilentus sum. Quanquam de eo etiam permulta dici possunt: nam de tempore nuptiis opportuno, de exercitiis, de educatione simulatque in lucem fuerint æditi, de totius ætatis cursu diligenter considerandum est, si liberos bene dispositos, viuidos, atque animosos esse velimus. Nihil hercule (inquit Gasparus) mulieribus magis placeret in liberis informandis, ornandisque, quam illam communitatem inducere, quam Plato in sua Republica desiderat. De eo nondum est conuentum (inquit Aemilia) vt tu de integro mulierib. maledicas. Ego me illas (inquit Gasparus) valde laudasse credideram, dum eas dicerem illius cōsuetudinis desiderio teneri, quæ à philosopho tam

*Corpus animæ in generatione prius.*

*Platonica Reipubl. communitas.*

tam diuino approbant. Arridens hic Cæsar, videamus (ait) num in omnibus præceptis ab Octauiano traditis (si saltem omnia tradiderit) hoc vnum reponi possit: deinde num istam legē principi promulgandam, nec ne decernat. Pauca equidem commemoraui, inquit Octauian. sed (vt nunc sunt gubernatores) satis multa quæ probū principem efficiant: quanquam arctius & subtilius in ista inquirenti, permulta dicenda restant. Tum Ducissa: Quoniā verborum tantūmodo dispendium erit, dicito sodes quæcunq; tibi præcipienda vlterius occurrunt. Multa mehercule (ait Octauianus) præterea instituerem, si eadem ipse cognoscerem: primumque admonerem vt statum nobilium numerum seligeret, qui essent omnium sapientissimi; omnia rerum grauissimarū momenta cum illis cōmunicaret, libere cum eo colloquendi persuadendique veniam concederet, facile vt inteliigerent, & quam grata illi veritas, & quam exosa vanitas esset. Deinde plebeios aliquot in consiliū etiam adsciscēret, qui de ciuitatis statu cum nobilibus, & de communibus & de priuatis rebus conferrent. Ita ex principe tanquam omnium capite, & nobilib. plebeisq; tanquam membris, vnum corpus constitueretur; cuius præcipua gubernatio ad principē spectaret, nec omnis tamē autoritas reliquis adempta esset: deniq; ex tribus illis optimis imperandi formulis, id est, Monarchia, optimatum potestate atq; populari ista Respubl. composita videretur. Istis bene positis initiis suaderem illi inter omnia principum negotia præcipuam justitiæ curam habendam: quam vt vndiq; inuiolatam conseruaret, viris prudentibus, & omniū longe spectatissimis magistratus mandandos esse, quorū sapientia cum probitate semper cōjuncta esset, ne nō tam sapientia quam versutia videretur. Quotiescunq; enim ista abest integritas, nihil aliud leguleij & causidici moliuntur, nisi (vt veteratores) subtili quadam astutia, legū & judiciorum

*Principū Consiliarij quales.*

vim

vim infringant: quorum omnium errores atque crimina illius ceruicibus imminent, à quo primum sunt delegati. In ista siquidem iustitia omnis in Deum pietas est implicita: quæ cum vniuersis hominibus vehementer excolenda sit, principi cum primis videtur necessaria, qui eam plus quã omnia amplecti debet. & omnes suas actiones ad eandem dirigere, Deus siquidem (vt est apud Xenophontem) cum semper diligendus sit, tum vel maxime, cum prospero fortunæ flatu vtimur: quia cum reflauerit, multo ex eo confidentius illius opem implorare posse videmur. Fieri enim non potest, vt vel se, vel alios sine Dei auxilio quisquam cõtineat ac gubernet, qui res aliquando secundas, tanquam suæ voluntatis ministras dat, vt nos calamitatibus liberent; nonnunquam vero aduersas, ne prosperitatis quieti ãlte indormientes, vel illum ipsum obliuiscamur, vel humanam prudentiam diuinitus ab eo concessam negligamus: quæ res nostras (si quid erratum sit) sic corrigit, vt illi solent, qui perite tesseris ludunt, si male iacta sit alea. Hic illud obliuisci non possum, ne princeps religionis integumentis vel superstitiosus, vel præstigiosus, vel vaticinis (omnium rerum vanissimis) intentus sit. Nam si veram pietatem cum humana sapientia coniunxerit, non solum propitiam semper præter spem fortunam habebit, sed Deum etiam pacebelloque propugnatorem. Dicerem etiam de illius in patriam atque populum amore: vt nec eos nimia seruitute opprimeret, ne in odium, coniurationes factionesque incidérent; nec nimia licentia indulgeret, nec vita libidinosa, rapinæ, furta, homicidia, legum contemptus, ciuitatis ruinæ, Reip. euersio consequerentur. Deinde qua charitate propinquos gradatim complecteretur, quomodo inter eos nunc æquabilitate vteretur, vt iustitia, magnificentia, nunc inæqualitate quadam prudenti, vt in præmiis & remunerationibus, cum vnicuiq; pro dignitate ãtq; meritis tribuendum

*Vaticinia rerum omnium vanissima.*

dum esset. Quæ si diligenter obseruaret, non solum amore illum omnes, sed veneratione quadam afficerent, nec corporis sui custodiam extraneis opus esset committere, cum illum omnes in rem suam propriis corporibus defenderent. Omnes enim legum authoritate religiosissime obtemperarent, cum eum ipsum legum maiestatem venerari, earundemque custodem & defensorem intuerentur: omnes tantum in eo fiduciæ reponerent, vt si aliqua forte in re eorum expectationem non expleret, bono tamen consilio factum putarent, non minus illius voluntatē, quam leges reueriti. Vnde ita temperati ciuiū animi essent, vt nec boni plus appeterent, quam est necesse: nec mali in summa rerum penuria funditus deperirent. Magna siquidem rerum externarum affluentia, magnarum sæpenumero calamitatū mater est: vt in Italia nostra quę & hodie est, & longo iam tempore fuit exterorum dentibus præda atq; pabulo, dum eadem & malis institutis & rerum omnium abundantia, in luxuriam atque mollitiem degenerauerit, Maior itaque ciuium multitudo, nec in summa copia viuat, ne superbi & temerarii: nec in summa inopia, ne furaces & fraudulenti fiant. Quicunq; vitam in mediocritate quadam transigunt, nec aliis insidiantur, nec aliorū insidias reformidant: quoque numero maiores sunt, eo potentiores semper existunt. Vnde nec viri inopes miserique, nec diuites & superbi (etiamsi maxime velint) in regē aliosue coniurare, aut seditiosos concitare possunt: cum istuc malum, fortunarum semper mediocritate temperetur. Illud itaque diligentissime princeps viderit, ne quid sit in quo ciues nouis rebus studere, aut Reipublicæ statum labefactare & commutare desiderent, quod illi plerunq; vel lucro, vel ambitione, vel spe, vel dispendio, vel repulsa, vel timore commoti faciunt: nonnunquam vero odio impelluntur, superiorum insuriis, cupiditate, fastidio, crudelitate lacessiti: sæpe-

numero

numero contemptu, & despicientia incitantur, quæ rectorum incuriæ & imprudentiæ sunt attribuenda. Istis erroribus; & amore quodam populari, & authoritatis maiestate occurrendum est; quod facile fiet, si & bonos præmiis, ne remissiores, & malos pœnis afficiat, ne insolentiores fiant, cum id minoris negotii sit prohibere ne eueniat, quam cum euenerit, radicitus euellere. Hæc dum obnixe moliatur, sedulo præuidendum, ne populus in mores & consuetudines vitiosas prolabatur, eas præsertim, quæ occulte & pedetentim in hominum mentes solent irrepere. Illæ enim peste teterrima ciuitates prius inficiunt, quam vel sanari, vel deprehendi possint. His ego rationibus principi persuaderē, vt populi quieti & tranquillitati prospiceret, cui primū animi bona, deinde corporis, postremo fortunę (quoad posset) conferret: corporis tamen & fortunæ, istis conditionibus, vt melius animi bonis vterentur, quæ quo sunt maiora, eo semper vtiliora putantur, quod in reliquis non contingit. Populus itaque si bene institutus, & ad veram beatitudinem probe dispositus fuerit, eo princeps beatior & augustior erit. Nam illud tandem verum magnumq; imperium est, in quo bonis hominibus bene iusteq; imperatur. Hic Gaspar, credo equidem, inquit, perpulsum regulum fore, cuius plebs bona est: perpauci enim vbiuis gentium boni reperiuntur. Quod si Circe aliqua (respondit Octauianus) Gallos omnes in feras commutaret, nonne Gallorum regem, principem despicatissimum diceres, etiāsi imperiū in tot belluas haberet? deinde si omnia hæc armenta, quæ nostris montibus circumuagantur, in sapientes & equites strenuos per metamorphosim transferentur, nonne pastores & bubulcos tanquam dominos potentissimos suspiceres? Ita non multitudo, sed ciuium virtus atque dignitas, principes magnos & fœlices efficit. Hic Ducissa, & Aemilia cæterique vnisone risi attendissime subauscultare videbantur. Tandem

*Prohibere malum facilius, quā euellere.*

quasi exantlato labore, cum paulum respiraret. Dicis, ne non potest, inquit Cæsar, quin recta atq; vtilia præcepta, Octauiane, tradideris: tamen si illis principem erudires, ego te probum potius pædagogum, quã Curialem dicerem, eumque honestum potius gubernatorem, quam Regem magnificum appellarem. Quod tamen ita intelligi nollem, quasi nulla iustitiæ, beneque viuendi cura esset; sed ad istas res satis est magistratus inferiores subrogare, cum illius munus & officiũ (meo iudicio) sit multo superius & præstantius. Proinde si me illum Curialem egregium putarem, si tanta apud principem gratia atque dignitate essem, ego sane illius animum ad vitia propensiorem non redderem: sed vt propositum Curiali eximio finem facilius pertingerem, ego omnes confestim rationes inuestigarem, quibus illius mentem ad magnitudinis cuiusdã & potentiæ desiderium impellerem. De splendore regali, de inuicto animo, de armorum gloria dicerem; nihil deniq; eorum prætermitterem, quæ illum reliquis omnibus vel amabilem, vel reuerendum facerent, quæque illius nominis celebritatem, per totum terrarum orbem propagare possent. Illud etiam admonerem, huic tanto splendori humanitatem adiungendam esse, suauitatem in sermone, affabilitate in omnes tum suos, tum etiam extraneos, prout quisque optime meritus esset: maiestatem interim sic retineret, vt dum omnibus copiam sui faceret, nec quicquam de illius authoritate diminutum appareret, nec nimia seueritate in odium suorum venisse videretur. Istis admiscenda nonnunquam liberalitas, sæpenumero magnificentia, nullus elargiendi finis esse debet. Deus siquidem principibus magnificis thesaurum infinitum suppeditat. Epulas igitur magnificas faciant, ludos, spectacula, triumphos: equos alant ad bellum cataphractos, canes, accipitres, belluas ad voluptatem: vt nostra memoria Franciscus Gonzaga, Marchio Mantuanus, qui istis in rebus totius

torius potius Italiæ Monarcha, quam vnius ciuitatis dominus videbatur. Ego illi præterea animos addere, vt ædificia ingentia struerent, monumenta sempiterna erigerent, quæ & viuendi honorem, & posteris æternitatem tribuerent: vt nuper in ista regia Dux Fredericus, hodie Pontifex Iulius in templo sancti Petri, & in vico, qui inter palatium & domum Belsiederensem interiacet, multisque aliis ædificiis. Quibus adiungi possunt antiquissimæ Romanorum reliquiæ Romæ, Neapoli, Pozzoli, in Baiis etiam ciuitas Vecchia, atq; Porto; & extra Italiam nonnullis præterea locis diuinissima tantorum animorum trophæa. Magnus siquidem Alexander, cum totum fere orbem subiugum misisset, satis se diu gloriæ vixisse non putabat, nisi Alexandriam in Aegypto Bucephaliam in India, aliasq; vrbes aliis regionibus ædificasset: quibus vix dum peractis, montem Athum in viri formam reducere putauit, in cuius sinistra ciuitas amplissima sita esset, dextra vero cauerna ingens, circularis, in modum cuiignæ effoderetur, in quam omnes riuuli illac prætelabentes, se reciperent, deinde in mare decurrerent. Opus me hercule egregium, & Magno Alexandro non indignum. Hæc ego (Octauiane) studia vero nobilique Principi conuenientia putarem: hæc illum pace belloque gloriosissimum redderent. Neque vero illi aliquando res illas friuolas minutissimasque inculcarem: illos nimirum armis subigere, qui seruitute digni sunt, plebis vtilitati consulere, male imperantibus imperium adimere. Quod si Romani, si Alexander, si Hannibal, si alii innumerabiles illis se limitibus continuissent, nunquam certe ad illud gloriæ atque dignitatis fastigium ascendissent. Ridens hic Octauianus, quicunque, inquit, istis se limitibus circumscribi noluerunt, melius multo atque præclarius fecissent, si essent circumscripti: quanquam si altius ista tecum euolueris, permultos iſtis rebus curam adhibuisse plane perspi-

*Alexandri magni ficentia.*

cies; antiquissimos præsertim, vt Theseum, & Herculem. Quid enim dicemus fuisse Procustem, Scyronem, Cacum, Diomedem, Anthaeum, Geryonem, nisi tyrannos crudelissimos, quibuscũ heroes isti perpetuo bella gesserunt? cumq; importunissimis istis monstris (sic enim tyranni appellandi videntur) humanũ genus liberassent, multa Herculi templa, multa sacrificia decreta atque consecrata sunt; quoniam tyrannos interfecerat, adeo omnib. vtile putabatur, vt præmio maiore remunerandum videretur, quam humanæ naturæ angustiæ paterentur. Et quoniam in illius mentionem incidisti, nonne Alexandri victorias, victis saluti atq; commodo fuisse existimas, cum nationes immanitate barbaras, moribus adeo ciuilib. deliniuerit, vt è feris in homines subinde commutauerit? Multas ille quidem vrbes multis prouinciis fundauit, moralẽ vitam instituit, Asiam atque Europam quadam quasi amicitia, sanctissimisq; legibus coniunxit. Ita maiora victis quam inuictis emolumenta propagata sunt, cum aliis matrimonium præscripserit, aliis agriculturam, aliis religionem in Deum, nonnullis pietatem in parentes, qui eosdem antea solebant occidere, quibusdam pudicitiam, qui incestuose cum matribus concubuerant, cum alia deniq; infinita edocuerit: è quibus licet perspicere, illius victorias ad communem totius orbis vtilitatẽ redundasse. Sed vt ista peruetera omittamus, quid obsecro magis egregiũ excogitari posset? quid glorioſius? quid Reipublicæ Christianæ vtilius? quam si omnes neruos, omnem vim atque industriam in Ethnicis & infidelibus superandis, homines Christiani conferrent? Nonne istuc bellum pie susceptum feliciterque confectum, tam victis, quam victoribus commodissimum putares, cum tot hominum Myriades à tenebricosissima Mahometæ superstitione, in verum Euangelii nostri lumen atque spiritum vindicaret? Themistocles olim cum è patria exul magno honore, magnisque muneribus

*Themistocli exilium saluti fuit.*

ribus à Persarum rege acciperetur, exilii sociis ita locutus dicitur: O comites, vere hercle cecidissemus, nisi nobis videremur cecidisse! Idem quoque Turcæ omnes. Maurique iustissimis de caussis possent dicere, cum istuc eorũ naufragium, maioris incolumitatis, & lætitiæ origo esset. Ista tandẽ aliquando fruemur (vti spero) beatitudine, si Dei beneficio vixerimus, dũ Engolisini regulus (quem superiori nocte Iulianus tantopere laudauit) diademate Gallico potiatur: dumque Henricus VValliæ princeps, rex Anglus fiat, qui nunc in omni virtutis genere sub illustrissimo patre, non secus quam summæ spei surculus, sub arboris eximiæ vmbraculo crescit, quasi eandẽ vberiore fœcunditate (cum tempus erit) renouaturus. Nam sic ex Anglia Castilio noster scribit: nosque cum redierit certiores facturus est) Naturam in isto principe vim suam, ac peritiam mirifice ostendisse, cum in vnum tot tantasq; virtutes contulerit, quot infinitis prope hominibus sufficerent. Carolus etiam Hispaniarum princeps (inquit Bibiena) magna omnes spe tenet, qui decem vixdum annos natus, illud ingenii, modestiæ atque animi lumen ostendit, vt si illi Christianitatis imperiũ (vt speratur) contigerit, credibile sit, antiquissimorum imperatorum gloriæ tenebras offusurũ, præstantissimorum vero famam facile æquaturum. Pergit deinde Octauianus, & credo, inquit, principes istos tam diuinos à Deo in terras emissos, similesq; animis, indole, armis, membrorum compositione atque forma ab eo constitutos, vt hac tanta & tam excellenti in causa vno animo sint, eademque voluntate. Quod si aliqua forte inuidia aut æmulatio obrepserit, non dubito quin huc spectet, certatim vt cõtendant, quis in re tam pia, & incepto tam honorifico, primas & potiores partes habeat. Sed istis intermissis, ad institutum sermonem redeamus. Tibi itaq; (Cæsar optime) id respondeo, res illas quas tu in principe tuo desideras, magnas quidem illas

*Henrico octauo laus.*

*Carolus V. imperator.*

illas esse & dignitatis plenas: verum nisi illam prudentiam admisceat, quæ à me modo descripta est, nisi sic animum ad virtutis viam deflexerit, vix sane, aut ne vix quidem magnanimus, liberalis, iustus, animosus, sapiens euadet. Nec istam illi in aliũ finem attribuo, nisi vt veræ virtutis vsum intelligat. Nam vt omnes qui ædificant, architecti periti non sunt: ita qui elargiuntur, nõ sunt omnes liberales. Nunquã virtus obesse potest, cum interim multi vt aliis dent liberalius, aliis eripiunt iniustius; aliorumq; fortunis imminẽt, vt suas augeant. Alii in eos propensiores sunt, quibus non oportuit, eosque miseros & calamitosos relinquunt, quibus multum debuerunt. Alii adeo lente & inuite tribuunt, vt necessitate coactos videre liceat. Alii beneficia non modo nõ occultant, sed vel testes aduocãt, vel apertis quasi præconiis agunt. Alii ipsos liberalitatis fontes, adeo subito exhauriunt, vt iidem deinceps sicci perpetuo appareant. Hæc itaq; largiendi ratio (vt cæteris in rebus fit) prudentia quadam gubernanda est, tanquam omnium virtutum comite necessaria: quæ quoniam vniuersæ in medio consistunt, duobus extremis (quæ in vitio sunt) valde sunt vicinæ & obnoxiæ in quæ facile quisque labitur, si nescius, & imprudens fuerit. Nam vt in circulis ipsum centri punctum difficile est inuenire, cum in medio sit: ita minutissimum illud virtutis punctum, arduum est reperire inter duo vitia repositum; quorum alterum deficit, alterum redundat. Horum nunc vni, nunc alteri procliuiores sumus: quod nostri in nobis dolores ac voluptates facile declarant. Nam & vnius appetentia id facimus, quod non debemus; & alterius defectu id infectum relinquimus, quod facere debueramus. Periculosior tamen semper voluptas, quia iudicium ab ea nostrum facilius occœcatur. Sed quoniam difficile est intelligere, quantũ absumus à mediocritatis centro, ab illo extremo gradatim nos recidere oportet, ad quod nos natura propensiores effinxit,

*Mediocritas tanquã punctum.*

finxit, vt illi solent facere, qui ligna distorta recta efficiunt. Hac vna siquidē industria proxime ad virtutem accedimus, quæ in ipso (vti iam diximus) mediocritatis puncto collocatur. Vnde illud euenit, vt ab eo desciscere & declinare multis modis liceat, vna tantū ratione officio satisfacere: vt sagittarii qui infinitis errāt, vno tantum loco metam pertingunt. Nonnulli enim principes, vt humani & affabiles videantur, multa præter decorum agunt, adeoque se demittunt, vt contemptiores fiant. Alii vt maiestatē quandam præ se ferant, crudeles & importunissimi existunt. Quidā vt eloquentes habeantur tantis ambagibus, tamque inaudito sermone vtuntur, vt dum se nimium audire delectent, reliquos audiendi defessos & fatigatos relinquant. Noli itaq; Cæsar aliquid minutum aut exile appellare, quod principem quoquo modo meliorē possit efficere. Neque veroquicquam meis præceptis detractū existimari velim, cum probum me potius gubernatorem, quā regem dicas instituere. Nihil enim principi laudabilius potest contingere, quam illud probi gubernatoris nomen. Quocirca si mihi edocendus esset, non solum illi de istis præciperem (quæ à me iam antea recitata sunt) sed de rebus etiam multo inferioribus. Nihil enim eorum ignoraret (si fieri posset) quæ vel particularia aliqua ratione, ad vulgi commodū atq; incommodū spectarent: nihil vsquam adeo cuiquam crederet, vt cum laxas iustitiæ habenas intelligeret, liberi⁹ arbitrio priuato vti, aut abuti posset. Omnes siquidē homines ad omnia non sunt apti, & procliues. Et principes credendo, sæpius quā diffidendo peccant. Timere siquidem & diffidere nō modo non obest, sed valde etiā sæpenumero prodest: sed in eo iudiciū præesse oportet. Absonum enim à principis prudentia esset, recte non discernere. cui vel satis confidere, vel tutius diffidere possit. Magistratuum proinde actionibus, & interesse sæpius & aliquando præesse optarē, plebis controuersias dirimere,

lites arbitrio finire, affinitatibus eam conglutinare, cõmunicinitatis amicitiæ prouidere, eandẽ tanquam priuatã domum disponere, populi numerum coloniis ordinare, inopiæ, quieti, artificib., mercatoribus, vectigalibus consulere, omnibus liberalem esse, extraneis & religiosis hospitalem, denique luxum, & superuacanea summa industria præcidere. Quo etiamsi parua videantur, maximas tamen vrbes demolita sunt. Rationi proinde consentaneum videtur, priuatis hominib. in ædificando, in epulis, in dotibus, in mulierum monilibus, deniq; in victu cultuq; modum imponere quem si forte prætereant atq; excesserint, summæ stultitiæ, & pene amentiæ argumentũ est. Nam præter ambitionem inuidiamq;, quæ ex istis enascuntur, ita etiam patrimoniũ fortunasq; profundunt, ita sæpe fœminæ viros circumueniunt, vt nõ solum res suas omnes, sed honestatem etiam venalem prostituant, si emptorẽ reperiant, gemmis & monilibus licitantem. Subridens hic Bibiena, tu mehercule, inquit, Octauiane, paulatim in Gaspari & Phrisii sententiam sublapsus videre. Arrisit quoq; leuiter Octauianus, & tota illa rampridem, inquit, sublata est controuersia: ego eandẽ non conabor refricare, nec quicquam de mulieribus adiiciam, sed ad principem meum reuertar. Immo illum quoq; missum facito (inquit Phrisius) satis magna sunt, quæ illi iã antea inscripseras: facilius certe Iuliani mulierẽ reperies, quam tuum principem: vereor ne Platonis Reipub. persimilis sit, neue illum vsquam (nisi forsan in cœlo) videamus. Quæcunque possibilia sunt, inquit Octauianus, etsi difficillima sint, contingere tamen possunt: & proinde desperandum non est, quin nostris quoque temporibus eundem in terris conspiciamus. Nam cœli, etsi adeo ieiuni, parcique fuerint in bonis principibus efformandis procreandisq;, vix vt multis seculis vnum concedant, ista tamen ætatis nostræ potest esse felicitas. Ego quidem (inquit Ludouicus Comes) in magna spe sum,

*Periculosa luxuria.*

sum, istuc aliquando fore. Nam præter tres illos magnos à nobis modo cõmemoratos (de quibus summa omnia sperari poterunt) sunt etiã nonnulli Italicorum principum filii, qui etiamsi potentia atque opibus aliquantulum absint, virtute tamen, animiq; magnitudine quibus præstabunt: quorum facile primus Fredericus Gonzaga est Marchionis Mantuani hæres, idemque Ducissæ nostræ nepos. Nam & in ista tenera ætate singulari indole, moribusque humanissimis videtur, & admirabilia etiam de eo illius institutores prædicant: de ingenii acumine, de honoris cupiditate, de magnanimitate, liberalitate, clementia, de iustitiæ amore, prope incredibilia pollicentur: adeo vt de principiis tam faustis nihil nisi finis felicissimus expectandus videatur. Hic Phrisius, de istis (inquit) hactenus satis: Deus faxit, vt spei tuæ & fiduciæ omnia prospere succedant. Tum Octauianus in Ducissam ita conuersus, quasi nihil dicendum supereset: Audisti, inquit, spectatissima Domina, illa, quæ de proposito Curialis fine dicenda habui: & quanquam omni ex parte vestræ expectationi non satisfecerim, sufficit tamen aliquid me attexuisse, quod ab istis nobilibus esset prætermissum. Neque tamen eos vel istuc, vel alia quæcunque credo omisisse, quia melius de his differere non possent, sed quia tantum laboris versutius subterfugerent. Illis itaque per me procedere licebit, si quicquam vltra adiiciendum habuerint. Tum Ducissa: Quoniam sero iam est, nihil est, cur alium sermonem orationi tuæ commiscere desideremus, in qua res tantas, tam diuersas, tam præclaras cumulasti, vt de vero Curialitatis fine, non solum perfectum illum te Curialem (quem expetimus) nominare liceat, sed adiuuante etiam fortuna, probum illum principem, de quo dixeris: quod patriæ profecto tuæ magno emolumento erit. Arridens istis Octauianus, quod si ego, inquit, ad illos dignitatis gradus ascenderē, ita fortasse mecũ ageretur,

quem-

quemadmodum etiã cum aliis, qui meliusloqui, quam facere solent. Hic cum inter omnes aliqua de re proposita altercatio esset, deinde laus aliqua orationi eius attributa, consensum est omni ex parte, nondum somni tempus instare. Tandem Iulianus, fraudi, inquit, atq; dolis adeo sum ex professo hostis, vt non possim non aliquid in Octauianum dicere: qui quoniã nunc (quod ego semper dubitaui) tacite cum Gaspario sentit, in geminum errorem incidit. Nam propter odiũ in mulieres inueteratum, dum suum Curialem Aulicæ fœminæ multis gradib. anteferret, ipsi etiam principi (quod est valde absonum) longe anteposuit. Deinde cum finem illas metas illi præscripsit, quæ semper difficiles, nonnunquam impossibiles videntur: ea que si aliquando pertigerit Curialis viri nomen penitus amittit. Ego equidem non video, inquit Aemilia, vel quorsum ad istum finẽ peruenire non possit, vel quo modo eundem Octauianus principi prætulerit. Nihil est, cur id concedas, inquit Octauianus, cum à me commissum non sit: de fine vero perfectissimo nihil me cœcutire aut delirare ausim dicere. Istuc negare nõ potes (inquit Iulianus) Propter quod vnumquodq; tale est, illud ipsum magis tale esse. Curialis itaque cum sui præceptis principem adeo præstantem & absolutum faciat, necesse est eum ipsum multo esse præstantiorem: quod cum ita sit, regula Lesbia præcipi videtur. Quod vero de fine attulisti, tum locum habet, cum vterque pari ætate fuerit, quo nihil difficilius. Nam in ista annorum æqualitate nulla plerunque cognitionis differentia est. Quod si princeps ætate maturior fuerit, necesse est senem principẽ Curiali iuuene peritiorem esse, etsi non semper, at certe sæpe: & quotiescunque ita fuerit, actum est de fine. Sin vero princeps iuuenilis fuerit, Curialis ætate prouectior, haud facile illis virtutibus, quas tu illi attribuisti, regis beneuolentiam conciliabit. Arma enim, cæteraq; iuuentutis exercitia, quæ illam ætatem cum primis

*Regula Lesbia præposterè ratio.*

primis decent, in senili ætate valde sunt indecora. Musica vero, saltatio, epulæ, ludicra, amor, omnia sunt in senibus ridicula, iisq; vniuersis qui principum animos moresque effingunt, quos annis atque authoritate (vti mihi videri solet) graues esse oportet, vsu atque experientia confirmatos, philosophos etiam (si fieri posset) ducesque belli egregios, rerum deniq; prope omnium scientia valentes. Curialis itaque appellandus non est, quisquis principem instituet, sed nomine magis honorifico insigniendus. Dabis itaq; mihi veniam Octauiane, si istam calliditatem tuam denudauero: quod ego mihi necessarium duco, si Aulicæ meæ dignitatem tueri velim, quam cum tu minoris momenti esse optes, quam tuum Curialem, ego mehercule id pati non possum. Arrisit hic Octauianus: & multo (inquit) Iuliane, Aulicæ tuæ honorificentius erit, ita seipsam erigere, vt æquis passibus cum Curiali incedat, quam eundem sic deprimere, vt cum Aulica tua æqualis habeatur. Neque vero fœmina tua indignum erit, dominam suam sic instituere, vt ad illum Curialitatis finē tendant omnia qui est à me vtcunque descriptus. Verum plus tu molirisCurialem vt vituperes, quam vt Aulicam laudes: itaque me est æquum à viro Curiali aliquantulum stare. Sed vt tuis calumniis respondeam, illud meminisse debes, me sola Curialis præcepta sufficere non dixisse ad regis animum quoquo velit impellendum. Nam nisi natura ad virtutem propendeat, irrita omnis illius cohortatio, atque inanis est futura. Frustra mehercule agricola insudauerit quisquis in littoris arenis grana frumentacea disseminauerit, cū naturalis eo loci sterilitas insit. Verū quoties semini, solo fertili imm isso aeris primum, & cœli temperies, deinde humana industria accesserit, magna hic segetis vbertas est: nec solum tamen agricolam in causa esse dicendum est, etiamsi sine illo reliqua parum proficerent. Multi itaque principes sunt, qui satis probi essent, si eorū animi sedulo excole-

tem-

rentur: de illis instituta est oratio nostra, non de iis, qui adeo ieiuni sunt, & à bonitatis natura adeo dissiti & disiuncti, vt nullis monitis, nullis præceptis eos in rectam honesti viam deducere possumus. Et quoniam agendo consuetudines, moresque probos acquiri diximus, virtusq; ipsa in actione consistit, minime mirū est, si Curialis principē virtute potius instituere, quam ipse secundum virtutem operari possit. Iustitiam enim, liberalitatem, magnificentiam, rex (cui satis suppetit) quoties velit, ostentare possit, cum alter interim istarū rerum neruis careat: ita princeps Curialis ministerio virtutibus assuetus, multo eodem præstantior quam citissime efficietur. Cuticula enim etsi ferrum acutū reddat, eodem tamen acutior non est dicenda: ita Curialis etiamsi principē, nunc cohortetur, nunc instituerit, excellentior tamen putandus non est. Quod vero istum curialitatis finem semper difficilem; sępe impossibilem dixeris, quod Curialem suo nomine quoties illum assequitur, spoliaueris: ego quidē de difficultate tibi assentior (cum nō minus arduum sit istum Curialem, quam illum finem repetire) nec tamen in eo quod est à te allatum, rei impossibilitas consistit. Nam si ætatula tam iuuenili Curialis fuerit, vt ea rū rerum peritiam non habeat, quam habere debuerat, quid est quod de illo verba faciamus, cum idē non sit, quem nos iam inuestigamus? Neq; enim fieri potest, vt paulo iuuenilior sit, quē tantarum rerum scientia valere oportet. Quod si feliciter contigerit, vt ea prudentia, atq; probitate princeps sit, vt aliorū neq; consiliis, neq; cohortationibus indigeat, (quod quam sit in se difficile omnes intelligunt) satis est, eam esse Curialis indolem, ac præstantiam, vt regi (si opus esset) ad virtutem suffragari possit. Tum enim alteri illi officii sui parti incumbere poterit, dum principem falli non patiatur, dum veritatē omni in re significet, dum assentatores, maledicos, & honesti animi corruptelas ab eo secludat. Ita quod est in illius pro-

*Diuitiæ & potentiæ virtutum organa.*

proposito fine præcipuum pertinget, cum totum assequi nō poterit, quod illi vitio non erit, cum id iustissimis rationibus faciat: medicus si forte intersit, vbi omnes sani ac viribus valentes sunt, nihil profeciſſe dicendus non est, cum nihil sit in quo proficeret. Eadem omnino ratio est viri Curialis, in principū vitiis corrigendis, quæ medicorum est in morbis curandis, quia vtrisq; satis est, insita hæc & infixa retinere, cū subiectæ materiæ absentia, nihil sit in quo operentur. Verum si ita ætate Curialis prouectus esset, vt musicis, epulis, iocis, armis, aliisq; corporis exercitiis vti non posset, eorum tamen ope, atq; opportunitate non posse illū cum rege gratiam inire, concedendū non est. Nam ætas etsi eorū vsum sustulerit, non tamen intellectum eripuit. Et si iuuenis illis in rebus exercitatior fuit, iudiciū illius diuturna experientia confirmatum, id efficiet, vt multo facilius principē in iis erudire possit, quantumuis nihil horum ipse per se exerceat. Illum si iam tum Curialem non appellaueris, mihi nulla ex eo fiet iniuria. Natura enim hominū dignitati tam angustas metas non præfixit, quin gradibus quibusdam ex alia in aliam ascendere liceat. Vnde gregalis miles post aliquot annos imperator: priuati, reges: sacerdotes, pontifices: discipuli postremo magistri fieri possunt, vnaque cum dignitatibus nomina quoq; commutant. Minime itaque absurde quicunque dixit: Principem instituere, Curialis finem atque officium esse: neq; video, quid sit curiſtam perfecti Curialis appellationem quisquam recusset, quę meo iudicio nonnihil laudis, atque honoris promeretur. Homerus cū duos viros egregios tanquam humanæ vitę exemplaria depinxisset, alterumq; agentem, id est, Achillem; alterum patientem, id est, Vlyssem, efformasset: ita quoque Curialem exactiſſimum (nimirum Phœnicem) describere volebat: qui cum suos amores infinitos, aliaque iuuenilia demonstrasset, ad Achillē à Peleo patre missus dicitur, vt eundem

*Achilles.* *Vlysses.* *Phœnix.*

dem inducendo, faciendoque institueret: quæ vtraque nihil sunt aliud, quam præscriptus Curiali nostro finis. Neque vero adducor, vt existimem, Platonem atque Aristotelem Curialitatis nomen cum indignitate repudiasse, cum alter apud Alexandrum Magnum, alter apud reges Siculos, verum illius officium præstiterit. Quod quoniam in eo potissimum consistit, vt cognita principis natura, gratiâ cum eo facilius ineat, ne vllus illi aditus in persuadendo intercluſus esset: Aristoteles adeo perlustratum Alexandri ingeniũ semper habuit, eiusq; voluntati ita se effinxit, vt eum plusquam patrio amore atque honore prosecutus sit. Quod vt planius eluceſceret, Stagiram ciuitatem (vbi ille natus erat) paulo ante direptam & excisam restauraverat. Aristoteles vero præterquam quod eundem ad finẽ omnium longe glorioſissimum subornaret, scilicet vt totũ terrarum orbem vnam quandam vniuersalem omnium patriam efficeret, in qua omnes concordia, atque amicitia coniuncti, sub vno gubernatore, vnaque lege tanquam vno communi solo viuerent: scientiis etiam naturalibus, animaque virtutibus instruxit, quę illum sapientiſſimum, magnanimũ, continentiſſimum, & philoſophum vere moralem, nõ verbis tantum, sed re ipsa effecerunt. Nulla enim nobilior philoſophia est, quam ferum illum, & immanẽ Bactriæ, Caucasi, Indiæ, Scythiæque populum ad vitam politicam & ciuilem traducere, matrimonium, agriculturam, parentum reuerentiam, à rapinis & cæde abstinentiam edocere, tot vrbes præclariſſimas regionibus longinquis extruere, deniq; tot homines à feritate ad humanitatem reuocare.

*Aristot. Vere curialis. Callisthenes reprehensor intempestiuus.*

Harum rerum in Alexandro tam excellentium author & quasi fundator Aristoteles erat, dum veri Curialis officio fungeretur: quod Callisthenes facere nõ poterat, etsi methodum illi Aristoteles præscriberet. Adeo enim seuerus philoſophus erat, adeo reprehẽsor intempestiuus, adeo inconditam suaui curialitate veritatẽ inculcauit,

cauit, vt nihil profecerit, sed vita demum cum summo Alexandri dedecore priuatus sit. Hac ipsa Curiali Philosophia, Plato Dionem Syracusanum informauit: cum vero postea idem in Dionysium tyrannum tanquã librum lituris, & maculis ita plenum incideret, vt omnino delendus potius quam corrigendus videretur: quoniam illam tyrannidis labẽ penitus inhærentem euellere non poterat; omnem curialitatis rationem inanem putauit. Quod nostro quoque Aulico faciendum existimo, sicubi forte principi tam deprauatæ naturæ inseruierit: in eoque id obseruet, quod medici solent in morbo inueterato, seruitutem nimirum excutiat, atq; deserat, ne vel regiæ turpitudinis ignominiã ferat, vel illos dolôres sentiat, quibus omnes boni conficiuntur, dum malorum libidinibus parêre cogantur. Hic cum paulum respiraret Octauianus, non credideram (inquit Gasparus) talem virum fuisse Curialem nostrum: nunc vero cum Aristotelem & Platonem comites habuerit, nõ est quod quenquam illius nominis pudeat: valde tamen dubitare mihi videor, num Plato atq; Aristoteles saltatores satis periti, aut musici vnquã fuerint. Vix hercle fas est credere (inquit Octauianus) diuinissima istorum hominum ingenia, vllius vnquã rei fuisse expertia: & propterea verisimile est, iis vniuersis fuisse deditos, quæ veram Curialitatem illustrare putantur. Quoties enim ita res ferebat, vt de illis rebus scribendum esset, ita easdem ad viuum resecarunt, vt ipsi artifices, ex eorũ scriptis facile intelligerent, ipsas rerum illarum medullas, atque radices eosdem tenuisse. Curialis itaq; seu principis institutor (licebit enim quolibet nomine appellare) qui bonum illum finem, quem modo descripsimus propositũ habet, illa etiam omnia quæ Aulico nostro ab istis nobilibus attributa sunt habere potest, etsi fuerit grauitate philosophus, sanctitate Theologus. Nulla enim ætate, nullo loco, honestatem, prudentiam, scientias excludunt. Memini

*Aristoteles & Plato, musici ac saltatores.*

tamen pace tua (inquit Gasparus) istos homines cum hesterno vespere de Aulici viri officiis dissererēt, amorem illi permisisse: quod si cum istis, quæ à te hactenus dicta sunt coniunxeris, concludere licebit: Curialem qui & literarum scientia, & longo rerū vsu (quod soli senectuti conceditur) principi grauissime consulere debet, amatoriam etiam artem profiteri oportere: quod quidem qua ratione cohæret non video, cum amor (vt illi postridie lepide) cum senibus non conueniat, Illa enim iuuenilis agilitas, illæ deliciæ, illa humanitas tam curiosa, tam grata mulierculis, omnia sunt in sene inconcinna, eumque proponunt fœminis miserandum, aliis omnibus deridendum. Tuus itaque Aristoteles senex Curialis, idemque amator iuuenilis, si sic amaret, quomodo nos plerosque meminimus: vereor ne principis erudiendi penitus obliuiscereturr, pueri fortasse absentem eluderent, fœminæ præsentem conuitiis insectarentur. Tum Octauianus, Cum reliqua omnia Curialis officia, eidem etiam senescentī conueniant, iniquum mihi videtur, istam illi in amando fœlicitatem adimere. Immo æquum est (inquit Gasparus) & nescio an diuinum beneficium dicam. Quicunque enim ab amore immunis est, idem multis ærumnis liberatus, fœlicior est. Hic Bembus, an non meministi (inquit) Gaspare, Octauianum cum superiori nocte suum iocandi genus excogitaret (etsi ipse ea in re artifex non sit) quosdā amatores dixisse, fastidia, iracundiā; inimicitias, cruciatus, in amore suauissima putare? deinde istius suauitatis causam à nobis edisscere voluisse? Curialis itaque noster si illos amores deguſtauerit, qui nullam acerbitatem admistāhabent, nihil mali, nihil infœlicitatis persentiet: idemque si sapiens fuerit (quod illum esse volumus) nihil sibi dissentaneū putabit, quod iuuenibus consentaneum videtur: & quoties illi cum amore res erit, adeo omnia prudenter, & consulto aget, nō modo vt nihil turpitudinis,

sed

sed multum eo honoris illi contingat: nulla hic indignitas, nullum fastidium occurret, quod in iuuenili amore perraro euitatur: nusquam à principis institutione excludetur, nusquam puerorum conuitiis eludetur. Tum Ducissa: Gaudeo equidem (Bembe) non mediocriter, nihil tibi laboris, aut molestiæ, istius noctis disputationem attulisse: possumus sane eo confidentius differendi tibi iam onus imponere, Magnopere profecto de isto tam felici amandi genera audire desideramus, quod cum nullam secum ignominiam, nullam notam, nullum malum adferat, vnum fortasse est ex omnibus Curiali nostro maxime necessarium. Tu itaque amabo id quod scis hac in re, ne nos celaueris. Arrisit hic Bembus, & nollem (inquit) dum ego amare senibus licere dicerem, istæ proinde me dominæ senem putarent: quod non eueniat, istuc obsecro munus alteri cuipiam delegato. Non est quod te, doctrina senem diffiteare, inquit Ducissa, licet annis aliquanto fueris iuuenilior. Perge itaque obsecro, nihil est quod nobis te excuses. Quod si mihi necessitas aliqua dicendi incubuerit, inquit Bembus, Lauinellus eremita prius mihi consulendus est? Hic Aemilia quasi subirata, nemo (inquit) omnium est Bembe, quin te multo sit in istis obsequentior: bene hercule Ducissa fecerit si pœna aliqua plectare. Noli mihi (optima) succensere, inquit Bembus, ego quiduis potius dicam. Perge itaque, inquit Aemilia.

Hic Bembus cum aliquandiu siluisset, & quasi de re grauissima dicturus, seipsum composuisset, Ego, inquit, viri optimi de senili amore facilius, vt dicam, *re*, eumq; non turpitudine solum & crimine vindicem, sed iuuenili persæpe fœliciorem esse ostendã, longius fortasse oratione discurrere cogar; & ambagibus quibusdam explicare quid amor: deinde qua in re omnis omnium amantium beatitudo consistit. Oro itaque vt me attente audiatis. Minime n. dubitare mihi videor, D. *Gero ac senilia amo-*

quin facile probari possit, nemini nostrum dissonum esse amorem, & minus conuenientem, etiamsi Morello nostro quindecim aut viginti annis prouectior esset. Hic cum aliquandiu arrisum esset, procedit Bembus. Amor itaque (vti sapientibus antiquissimis videbatur) nihil est aliud quam formæ ac pulchritudinis potiundæ desiderium. Et quoniam appetitus nisi rem cognitam non desiderat, necesse est cognitionem semper præcedere desideriũ: quod etsi natura fortasse rectum expetat, ex se tamen occœcatum idem non cognoscit. Et proinde instinctu quodam comparatũ est, vt omni virtuti cognoscibili, virtus quædam appetitiua coniungatur. Et quoniam in animis nostris triplex cognoscendi modus inest, nimirum per sensum, per rationem, per intellectum: ex sensu nascitur appetitus, qui nobis cum brutis animalibus est communis; à ratione proficiscitur electio, quæ est hominis propria: ab intellectu (quem homines cum Angelis communicant) voluntas exoritur. Quemadmodum igitur sensus tantum sensibilia cognoscit, ita appetitus eadem sola desiderat: & vt intellectus nihil nisi intelligibilia contemplatur, ita voluntas illa solis spiritualibus fouetur, ac sustentatur. Homo itaq; naturæ instinctu ratione imbutus, tanquam horũ medio inter duo illa extrema positus, electionis ope, vel ad sensum propendere, vel ad intellectũ se erigere poterit. His itaq; modis desiderari pulchritudo potest, cuius nomẽ vniuersale rebus omnibus siue naturalibus, siue artificialibus porrigitur, iusta quadam proportione, & debito temperamento consistentibus. Verũ cum de ea forma loquamur, quam nos nunc intelligimus (quæ in corporibus nostris, & facie præcipue humana consistit, quæque ardentissimum sui desiderium nobis ingenerat) nihil aliud esse dicimus, nisi cœlestẽ diuinæ bonitatis influentiam. Quæ etiamsi per reliqua omnia tanquam solis lumen propagetur, tamen cum in vultum inciderit, apta compositione, iucunda

*Triplex cognoscendi modus.*

cunda colorum concordia, luminibus quibusdam, & quasi vmbraculis, spatijs, terminis, lineis affabre cõstitutum; in eum confestim seipsam infundit pulchritudinem admirabilẽ ostendit, subiectum exornat, gratia, suauitate, splendore illustrat, nõ secus quam radius solaris, cum vas aureum, gemmis vndique distinctum feriat. Vnde summa cum voluptate oculos ad se omnium allicit, quos cum subtiliter penetrauerit, in animam se imprimis eamq; incredibili iucunditate commouens perfundit, cumque paulatim accenderit, summum sui desiderium in ea relinquit. Anima proinde cum formę tanquam boni alicuius cupiditate deflagrauerit si sensus iudicio nitatur, in errores grauissimos descendit. Nam cum corpus aliquod tantę pulchritudinis causam existimet: vt tanto bono fruatur, necessarium arbitratur, cum illo se corpore quam fieri potest intime vnire: quo nihil est à veritate disiunctius. Fallitur enim quis quis se forma frui existimat, cũ solo corpore potiatur: nec vera cognitione, aut rationis electione mouetur, sed falsa opinione, & sensus appetitu decipitur, ipsaque adeo voluptas, quæ subsequitur, fallax omnino est, & errorũ pleniſſima. In alterum itaq; duorum vitiorum incurrunt vniuersi, qui amatis mulierculis vtuntur, vt suam libidinem expleant. Quoties enim optatum desiderii finẽ pertingunt, non solum satietatẽ, & fastidium sentiunt, sed amatas etiam oderunt, quasi appetitũ erroris sui pœniteret, planeq; ipsi recognoscerent, quantũ falso sensus iudicio decepti essent, cũ illi credendo, malum pro bono amplecterentur. Aut si hoc tum primum non agnoscunt, eadem cupidine, atq; auiditate, præcipites in maiora mala feruntur, quasi metam propositam nondum contigissent. Et quanquam opinionis cœcitate; tanquã ebrioſi hocipso temporis articulo voluptatẽ percipere videantur (vt homines ægroti qui claro se fonte bibere aliquando somniant) tamen nec illic consistunt, nec in eo sibi satisfaciunt: cum interim

*Non fruitur forma, qui solo corpore fruitur.*

rim vere bonum à nobis diu multumq; desideratum, si aliquando possideamus, summa in eo tranquillitas inest, summeq; nobis satisfacimus. Quod illis itidē euenire, nisi boni specie decepti, ad effrœnē libidinem perpetuo redirent, iisdemque molestiis, quas primum sunt perpessi, in gmtam illam furiosamq; sitim illius rei prolaberentur, cuius perfectā possessionem frustra delirantes aucupantur. Isto amantium genere nihil est infelicius, qui vel nunquam potiuntur, vel si quando potiantur, aliud ex alio malum incurrunt, paruasque miseriarum magnis sepe accumulant. Nam istius amoris, neq; principia, neque media, quicquam habent aliud quā molestias, dolores, cruciatus, defatigationes: adeo vt miserum, & squalidum esse, mœrore, gemitu, tristitia sollicitudine perpetua torqueri, semper tacere, semper lamētari, semper mortē optare, denīq; in summa infelicitate semper debacchari, certa amantium signa, certæq; actiones existant. Tantarum in hominum animis rerumnarum præcipua causa sensus est, qui ætate iuuenili facillime propterea dominatur, quia iā tum carnis & sanguinis tanta vis est, omnino mentē vt à ratione deto queat, facileq; ad appetitum adducat. Nam cum se reperiat terreno huic carceri religatam, & quasi sepultam, idque muneris ei à natura deligatum sit, vt corpus gubernet: cœlesti iam cōtemplatione priuata, veritatem ex se perspicue intueri non potest. Quocirca cum aliquid cognoscere desideret, à sensibus primum opem implorare cogitur, quibus cum se crediderit, ab iis circumueniri se patitur, præsertim cū tanta illorum vis sit, vt iam non tam volentem ducant, quam nolentem inerrores, falsissimasq; opiniones trahant. Vnde plerunque fit, vt iuuenes sensuali isto amore implicentur, intestissimo rationis inimico, seq; ex illo indignos faciant ea gratia, iisq; beneficiis, quæ amor solet in veros clientes suos conferre: nec vllas alias voluptates percipiunt, quam bruta solent rationis expertia, sed

*Amantiū mores.*

maio-

maiores multo dolores, atque molestias. Hæc cum ita sint (vt certe sunt) necesse est omnia istis cõtraria maturiori ætati cõtingere. Nam senes si pulchritudinis, & venustatis studio incendantur (cum anima iam corporea mole oppressa non delũbetur, & calor ille naturalis deferuescere occœperit) omnis eorum cupiditas cũ ratione coniungitur, nusquã hallucinantur, nusquam offendunt sed perfectissimam formæ possessionem obtinent, è qua omnis bonitatis vis enascitur: quoniã forma ex se ipsa bona est, ipsius quoque formæ amor purus, atq; sincerus, nihil nisi castũ, integrumque eorum animis ingenerat, qui sensus nequitiam rationis frœnis cohibent: quod senibus in promptu est, iuuenibus raro conceditur. Absurdum itaq; non est amorem illis permittere, qui multo amant fœlicius, quam iuuenes: non loquor de illis, qui iam decrepiti organa corporis adeo habent debilia, vt suas virtutes anima exercere non possit; sed de his, qui integris sensibus, ingenio, atq; sapientia valent. Nec illud tamen tacere decreui, quod etiamsi in omni ætate sensualis ille amor reprehensione dignus putetur, in iuuenibus tamẽ quodammodo excusandus, fortasse etiam tolerandus aliquando videtur. Nam illis etiamsi dolores, pericula, molestias, miserias adferat, multi tamen vt nobilis fœminæ cuiuspiã amore non indigni existimentur, multis virtutum, actionibus incumbunt, quæ etiamsi ad finem bonum non tendant, ex seipsis tamen bonæ sunt. Ita ex multa acerbitate dulcedinem aliquam eliciunt: & post multas res aduersas errorem agnoscunt. Vti igitur illos adolescentes qui appetitũ in amando rationi subiiciunt, pios dicerem, ita eos quoq; excusarem, quĩ sensibus nimiũ amando indulgerent, cum eodem illos humana imbecillitas alliciat: dũ tamen humanitatem, modestiam, magnanimitatem ostenderent, dumque inclinante iam adolescentia appetentem, istam affectionem, tanquam infimum veri amoris gradum deserent,

*Ratio dominæ. Sensus seruus.*

rerent. Verum si ingraueſcente iam ætate appetitus flammas frigidiſſimis cordibus etiamnum retineant, dominamq; rationem ſeruili ſenſui ſubiiciant, vix dici poteſt, quã grauiter ſint reprehendendi. Nam tanquam inſenſati, inter animalia rationis expertia enumerandi ſunt. cùm amor illi, qui ab appetitu defluxerit. proiectæ ætati valde diſſentaneus videatur. Hic cum paulum Bembus reſpiraret, ſummumq; vndique ſilentium eſſet: Quod ſi ſenum aliquis, inquit Morellus, multis iuuenibus viridior & valentior fuerit, cur illi iuuenilem amorem non concedes? Iuuenilis amor, inquit Duciſſa, ſi adeo infortunatus ſit, quid eſt (Morelle) quod iſtam ſenibus in amando infelicitatem exoptes? quod ſi tu re ipſa ſenex fuiſſes (quod iſti te eſſe affirmant) nunquam iſtuc mali ſenio infligeres. Si quid mali, inquit Morellus, id nõ à me, ſed à Bembo proficiſcitur; qui eis illum in amando modũ præſcribit, quem ego plane non intelligo. Nam iſta ſine corpore formæ poſſeſſio tantopere ab eo laudata, quid aliud eſt, quam delirium & inſomnium? Tum Ludouicus Comes: Tune, inquit, Morelle, formam tam ingens bonum exiſtimas, vti eſt à Bembo deſcriptum? Minime ſane, inquit Morellus, Multas equidem mulieres formoſas deprauati ingenii fuiſſe memini, crudeles, inſidioſas: imo prope fatale hoc malum eſt, vt cum forma ſuperbia concurrat, ex ſuperbia crudelitas enaſcatur. Tibi fortaſſe, inquit Ludouicus, crudeliores proinde videntur, quia votis tuis & deſideriis non ſatisfaciant: ſed effice, obſecro, vt id tibi Bembus explicet. qua ratione forma muliebris à ſenibus deſideranda, quid ab amiculis expectare, quouſque contenti eſſe debeant. quib. niſi egreſſus fueris limitibus, facile ſenties, nec faſtidioſas eſſe, nec inhumanas, ſed tuis ſemper deſideriis obſequẽtes. Hic paulum commotus (vti videbatur) Morellus: Ego, inquit, id ſcire nõ deſidero, quod me nulla ratione tangit: ſed tu effice, vt nobis cõmonſtret, quomodo iuuenes, minus ſæpe.

sæpenumero viribus valentes, minusq; ad amorem dis. positi, quam senes istam quam dicis formam expetere debeant. Tum Fredericus, vt Morellum iam incalescentem mitigaret, istumq; sermonem alio contorqueret, Ludouico responsum præripuit: & minime mehercule (inquit) errasse mihi Morellus noster visus est, cum formam semper bonam non esse affirmauerit. Pulchritudo siquidem muliebris, multarum sæpe calamitatum, odiorum, incendiorum, vastitatũ, bellorum causa fuit, cuius flebile illud vrbis Troianæ excidium, testimonium esse potest longe amplissimum. Ipsę vero mulieres formosæ vel plerunque superbæ, vel crudeles, vel impudicæ sunt. Sed extremum hoc fortasse vitium Morello non videtur. Multi præterea homines conscelerati honesta facie sunt, itaque à natura fabricati videntur, vt ista aspectus iucunditate, tanquam hamo sub esca recondito facilius decipiant. Tum Bembus, nolite, inquit, aliquando existimare, quin forma semper bona sit. Ludouicus, vt ad superiorem quamprimum orationem rediret, eundem statim interpellauit: & quoniam, inquit, id Morellus intelligere non vult, quod illi adeo est necessarium: me, obsecro, in hoc fac eruditas, quomodo istam in amando felicitatem senes assequi poterunt. Nam id dum mihi prosit, ego nihil moror, si omnes me senem existiment. Arrisit leuiter Bembus, & ego; inquit, istum prius errorem nobilibus istis ex animo eiiciam, tibi deinde satisfaciam.

Tum quasi de integro exorsus, Nollem equidem, inquit, amplissimi viri, cum forma res adeo sancta & cœlestis fuerit, quenquam nostrũm, profano, impioq; de ea sermone diuinam maiestatem inconsultius lædere. Morellum itaque & Fredericum admonitos velim, ne (vt Stesichorus olim) oculis priuentur. Dignum sane illis supplicium, qui in formam temere inuehuntur, quæ ab ipso Deo proficiscitur, similisque habetur circumferentiæ, cuius medium ipsa bonitas videtur. Proinde vti

*Stesichorus Poeta.*

nullus circulus sine centro consistit: ita nec forma sine aliqua bonitate potest esse. Vnde in corpore bene constituto malus animus perraro habitat. Exterior itaque forma, interioris boni indicium est. In corporibus vero ista venustatis effigies magis minusue imprimitur, vt ex ista effigie atq; charactere extrinsecus anima cognoscatur: vt in arboribus, quarum flores atque geminula, quo pulchriores sunt, eo fructus meliores semper sperantur. Idem in nobis plerunque contingit, vt in Physiognomia licet animaduertere, qui ex vultu sæpenumero mores nostros, cogitationesq; intelligũt: & quod multo magis est, in ipsis belluis animos quosdã & spiritus inesse ex aspectu iudicamus, qui sese semper in corpore quantum possunt, explicant atq; ostendũt. Ponite vobis ante oculos Leones, Equos, Aquilas? videre si in ipso eorũ aspectu ira, ferocia, superbia, non emineat: in Agnis vero & Columbis simplex & aperta innocentia: in vulpibus atque lupis, subtilis quædam & versipellis fallacia: quod fere in reliquis animalibus licet obseruare. Informes itaq; vt plurimum mali sunt, formosi vero boni, ipsaque adeo forma nihil aliud est, quam facies quædã iucunda, hilaris, decora, tanquam bonum aliquid appetenda: deformitas vero obscura, molesta, insuauis, tanquam malum fugienda. Quod si omnia quæcunque à primis rerum initiis constituta sunt animo euoluere placeat, plane perspicietis, in iis omnibus quæ bona atque vtilia sunt; formam quandam, pulchritudinemq; inesse. Intuemini (obsecro) ingentem illam totius vniuersitatis machinã, ad salutem & incolumitatem rerum omnium à Deo fabricatam. Intuemini cœlum rotundum tot diuinis luminib. vndiq; distinctum. Intuemini in horum medio terram, elementis omni ex parte circumscriptam, propriaque grauitate mirifice sustentatam. Intuemini solem, qui circũgyrando istæc illustrans vniuersa, in hieme per signa inferiora fertur, deinde gradatim, ad summũ contendit,

*Forma & deformitatis descriptio.*

tendit. Intuemini Lunam quæ ſuam ab illo lucem mutuatur, clariorq; apparet quoties ad illum prope accedit, obſcurior vero quoties longius deſciuerit: denique reliquas illas quinq; ſtellas intuemini, quæ vario & diuerſo motu eundem omnino curſum conficiunt. Hæc omnia tam pulchro ordine, tanta vi, tantaq; neceſſitate ſunt connexa, vt vel minutiſſima parte commutata, conſiſtere nō poſſint, ſine totius interitu: tanta præterea pulchritudine, tantaq; venuſtate ſunt, vt pulchrius aliquid mortale ingenium ne excogitare quidē poſſit. Veniamus tandem ad humanam formam, quæ paruus mundus (nec iniuria) appellatur. Videte num non omnes partes ea neceſſitate cohæreant, vt arte potius, quam caſu conſtituta videantur: tota deinde compoſitio tam concinnam in ſe harmoniam habet, difficile vt ſit diſcernere, nū oculi, naſus, os, aures, brachia, pectus, reliquaq; membra, maiorem vultui, corporiq; vtilitatem an dignitatem adferant. Idem in reliquis perinde animalibus dici poteſt. Volucrum deinde pennas animaduertite, folia etiam, atque ramos arborum: quæ quantumuis ad earum conſeruationem, neceſſitatemque à natura ſunt data, aſpectum tamen habent longe iucundiſſimum. Sed naturam paululum omittamus, veniamus ad artem. Quid queſo poteſt in nauibus tam eſſe neceſſarium, quam prora, ratis, antennæ, malus, vela, clauus, remi, anchoræ, ampluſtra? iſtæc tamen vniuerſa ita oculis noſtris arridēt, quaſi ad voluptatem peræque atque vtilitatem eſſent fabricata. Columnæ etiam & trabes ingentiſſimæ quæ tecta noſtra atq; palatia ſuſtinent, non minus aſpicienti iucunda, quam ædificiis neceſſaria videntur. Cum initio templa ac domos ædificare homines cœperunt, culmina in horum medio ſic erexerunt, nō tam ad ornatum quam vt aqua vtrinq; velocius diſcurreret: & tamen (neſcio quomodo) vtilitati ſtatim ea venuſtas acceſſit, vt ſi fanum aliquod ſub ea cœli parte extrueretur, vnde nec

grando

grando, nec pluuia decidit, si erectum in eum modum culmen non haberet, nihil neq; pulchritudinis, neque dignitatis habere videretur. Inter omnes itaq; omnium rerum laudes, nihil nobis familiarius aut vsitatius est, quam pulchram rerum vniuersitatē dicere, pulchrum cœlum, pulchram terram, pulchrum mare, pulchros riuulos, pulchras denique syluas, arbores, hortos, vrbes, domos, exercitus: nihil postremo est, cui sacra istæc & gratiosa pulchritudo incredibile quoddam ornamentum non attribuat. Neque sane valde absonum est, si formam, bonitatemque vno communi nomine appellemus, in corporibus præsertim humanis in quibus si insit venustas, proximā illius causam, animæ venustatem ego quidē existimo: quæ diuinæ formæ particeps, illud omne informat atque illustrat quod contigerit, corpus præsertim in quo habitat, nisi adeo turpis atq; ob fœcenæ materiæ fuerit, vt veram sui ipsius effigiem imprimere non possit. Formā proinde anima, tanquam verissimū victoriæ suæ trophæum relinquit, quando illa materiale naturam deuicerit, & tenebras corporeas diuinissima sua luce dispulerit. Neque vero dicendum est (etiamsi Morello ita videatur) formam mulieres superbas, aut crudeles efficere. Neque illarum calamitatum, bellorum, incendiorum, mulieres formosæ causa sunt, sed effrœnes virorum cupiditates. Nunquā sane negauerim, venustissimas quasdam impudicas esse, non tamē ratione venustatis (quæ illas semper dehortatur & ad virtutem sui similem impellit) sed vitiosa plerunque educatione, amantiū illecebris, inopia, spe, timore, fallacia, mille præterea artibus, quę etiam sinceriſſimarum fœminarum constantiam labefactarent, immo optimorum hominum sensum iudiciumque perstringerent. Hic Cæsar: quod si (inquit) id verum sit, quod heri à Gasparo commemoratum est, dubium non est quin formosæ magis pudicæ sint, quam informes. Et quid obsecro (inquit Gasparus) à me est dictum? Tu (si recte

*Vitio materia forma sæpe latet.*

recte commeminerim (inquit Cæsar) mulieres dixisti orantibus nunquam satisfacere: illas vero quæ à nemine rogantur, alios semper exorare. Hoc si ita sit, dubium non est, quin formosæ sæpius orentur: & tum si semper negent, quis dubitauerit, quin lõge sint castiores quã deformes illæ, quæ alios rogare coguntur? Arrisit vehementer Bembus, & huic (inquit) argumento responderi non potest, deinde sic pergit. Illud sæpenumero fieri videmus, vt quemadmodũ reliqui sensus, ita etiã visus decipiatur, vultumq; minime venustum, formosum iudicet & cum in ipsis oculis, totoq; aspectu lasciuiam quandam & inhonestas blanditias depictas viderint, multi quib. ille obtutus placet, quiq; potiundi spe trahuntur, venustatẽ appellant, cum re ipsa nihil sit aliud, quam fucata quædã inuerecundia tam sacro & honorifico nomine multo indignissima. Tacuit hic Bembus: verum instabant vniuersi, vt de isto amore plura adiiceret, deinde quomodo ista forma vere frui liceret. Tandem ille, satis (inquit) hercle probasse mihi videor senes multo facilius quam iuuenes amare posse: quod cũ mihi in istius sermonis initio propositum erat, non est quod vlterius progredi velim. Tum Ludouicus: Multo certe lucidius adolescentũ infœlicitatẽ, quam senum beatitudinem aliquam expressisti, cum eos minime institueris, quibus gradib ad istũ illorum amorem contendant. Solam illis magistram rationem concessisti, cum communi omnium opinione, summa sit rationis cum amore contentio. Voluit hic Bembus nihilominus desistere, sed Ducissa cum illum ad dicendum reuocasset, ille quasi denuo exorsus: Nimis (inquit) infœlix natura humana esset, si anima nostra, in qua vehementes isti appetitus facillime oriuntur, eosdem hac vna parte foueret, quæ illi cũ brutis est communis; nec vllum in eo subsidium haberet, quæ nobiliori vi consistens, propria est & sua. Quocirca cum ita vobis visum fuerit, de re tam excellenti dicere, non recusabo

cusabo, Et quoniam indignum me scio, qui de sanctiſſimis amoris mysteriis dicam, Illum oro qui cogitationem, linguamque mouet, easdem vt ita dirigat, vt ego præstantissimo huic nostro Curiali amorem sincerum, non communem illum aut vulgarem ostendam. Et vt ego ab ineunte ætate totũ vitæ anteactæ curriculum illi dicauerim, ita faxit vt & meo desiderio, & illius gloriæ, oratio mea respondeat. Cum itaque natura nostra florente adhuc adolescentia, adeo violenter à sensibus distrahatur, dabimus Curiali nostro, vt in illa ætate aliquid sensui concedat. Verum cum illi annorum maturitas accesserit, si illius amoris cupiditate incendatur, omni cura atque diligentia caueat, ne illis sponte miserias prolabatur, quæ in illo iuuenili impetu miserandæ potius, quam reprehendendæ videntur: in senili vero impotentia, deridendæ potius, quã quoquo modo tolerandæ. Quoties itaque in mulierem inciderit, quæ cum forma singulari morum suauitatem coniunctam habet, cum ille in amore expertus, suã cum illius natura Sympathiam animaduertat, cum oculos præsenserit, formæ ad se imaginem cum auiditate quadam rapere; cum eandẽ ad cordis penetralia deferri, ab anima magna voluptate perlustrari intellexerit; cum vim illam atq; influentiam se interius commouentem paulatim incalescere viderit; cum subtiles illos spiritus in oculis scintillantes, noua semper fomenta incendio subministrare perceperit: initiis prudenter obstare debet, rationem sopitam excitare, illius præsidiis cordis propugnacula munire, omnes illius aditus appetitui sic recludere, vt ad eandẽ neq; vi aperta irruere, neq; fraude, & insidiis subintrare possit. Ita restinctis iudicio incendiis, omne quoq; periculũ rescindetur. Quod si flamma aliqua etiamnũ restiterit, si casu aut incuria excreuerit; tũ Curialis, cũ se deprehensum animaduertat, omnem vulgaris amoris turpitudinem abiiciet: & sic ratione duce, sanctã quandam in amando pietatẽ ingredietur,

*Obstandũ principiis.*

vt

vt corpus existimet, in quo pulchritudo apparet, venustatis fontē non esse, sed formā (cum res incorporea & cœlestis radius fuerit) multū de sua dignitate detrahere, cū vili huic & mortali subiecto se coniunxerit: cum quo quanto se minus cōmunicauerit, tanto est splendidior: cū vero penitus disiuncta fuerit, tum quidē multo est omnium perfectissima. Et quemadmodū nec palato audire, nec aurib. olfacere cōceditur: ita nec pulchritudine tangendo frui, nec illis animi voluptatib. satisfacere possumus, nisi solo viuendi sensu, cuius proprium obiectū forma est. Alios itaq; sensus in ea re cœcutiētes declinet, eumq; tā admirabilē splendorē, gratiam, scintillas amabiles, risus, gestus suauissimos, cætera deniq; formæ ornamenta, solis oculis percipiat: vocis suauitatē, verborum consonantiā, musicam etiam (si musicæ incubuerit) audiat, vt isto duorū simul sensuū tam dulci pabulo animū reficiat, qui cum parū in se corporeæ molis habeant, rationis facilius inseruiunt, nec desiderio aliquo, nisi tantū honesto, per corpus ad appetitum transeunt. Deinde amatā mulierē colat, reuereatur, veneretur, eidemq; omnib. officiis placeat, omnia illius cōmoda suis præferat, vita deniq; propria chariorē habeat: ita tamē vt animi pulcritudinē, corporis anteponat. In qua excolēda ita euigilet, vt in errorē aliquē labi nō sinat: sed inseruiendo, hortandoq; ad temperantiā, modestiā, honestatē impellat, omnem cogitationū impuritatē, omnem vitiorū turpitudinē stirpitus euellat. Ita dū virtutes in animi hortulo disseminauerit, & fructus pulcherrimos percipiet, & dulcissimos deguſtabit, & verā tandē formā, veræ formę imprimet, atq; ingenerabit, qui verissimus amoris finis à quibusdā existimatur. Istis vestigiis si Curialis noster insistat, & dominæ suæ gratissimus semper erit, & illa vicissim in illi⁹ desideriis officiosa, dulcis, affabilis, nec minus illi placere quā ab eodē diligi optabit: in vtroq; vna eadēq; voluntas erit, vtriq; summa felicitas cōtinget. Hic Morellus: vera (inquit)

quit) forma, tum demum formæ optime imprimitur, cum in muliere formosa, pulchra proles ingeneratur: hoc ego manifestius amoris argumentum putarem, quam si me millies, ista (quam dicis) verborum suauitate deliniret. Arrisit hic Bembus: & minime (inquit) oportuit Morelle, limites quosdā, isto modo transire. Non est (mihi crede) exiguum amoris signum, cum formam muliercula (rem tanti momenti) amatori concedat, cum per illos animæ meatus, i. e. videndi, audiendique organa, oculorum obtutum, vultus imaginem, vocē, verba (quæ omnia illius cordi infunduntur) tanquam beneuolentiæ testimonia libere illi permittat. Falsi mehercule testes (inquit Morellus) aspectus, atq; verba & sæpe sunt, & sæpius esse possunt. Quisquis igitur certiora amoris pignora nō habet, is mihi stulte securus videtur. Expectabam sane multo hanc tuam in Curialem nostrum humaniorē fore, quam Iuliani fœminam: sed illis iudicibus persimiles vtriq; videmini, qui vt sapientes habeantur, contra suos sententiam ferunt. Ego sane (inquit Bembus) meam Aulicam, Curiali meo minime iuuenili affabiliorem esse volo, quam suam Iulianus etiam iuueni vult esse: quod eo cum ratione melius cōuenit, quia meus ille, nihil nisi honesta efflagitabit, quę sine reprehensione concedi poterunt. Verum Iuliani muliercula, cui de iuuenili modestia vix constat, honesta sola cōcedet, reliqua repudiabit. Multo itaq; meus iste fœlicior, cui nihil denegatur, quam ille, cui aliquid conceditur, aliquid nō permittitur. Et vt planius perspiciatis, quantum ille amor qui ratione nititur, eo præstantior est, qui à sensibus oritur, illud audeo confirmare illi permulta concedenda esse, cum eadem ipsa huic posteriori deneganda sint: quoniā in altero turpia, in altero honesta existunt. Et proinde fœmina, vt sincere amanti satisfaciat, non solū iucundissime cum eo ridere poterit, familiariter & priuate colloqui, iocari, ludere, manu suauiter apprehendere, sed impu-

impune etiam osculari: quod in illo sensuali amore non licet, si Iuliani regulis credamus. Osculum enim cum & corporis & animæ conjunctio sit, metuendum vehementer, ne ille amator sensualis, corpori quam animæ sit procliuior. Amator verò rationalis, etiamsi os corporis partē esse non ignoret, tamen cum verba (quæ animæ sunt interpretes) ex eo tanquā illius vestibulo exeant, cum spiritus etiam noster (qui anima à multis appellatur) illac effluat, suum cum amatę mulieris ore conjungit, non vt illam honesto aliquo desiderio incendat, sed vt ex eo vinculo, animatū aditus vtrinq; patefaciat: quarum cum altera alterius studio efferatur, alternatim sese in vtrisq; corpus infundunt atq; commiscent; vt è duabus vna fiat quæ duo corpora mirifice gubernet: ita osculū animæ potius quam corporis est connexio. Nam & istam ad sese subtiliter attrahit, & ab omni fæce corporea quodammodo disjungit. Vnde omnes pudice amantes osculū tanquam animarum catenam aliquam expetunt. Plato igitur diuino quodam amore incensus, quoties oscularetur, animam summis se labris, tanquam è corpore euolaturam tenuisse affirmat. Et quoniam animam à rebus insensibilib. segregare, nihil est aliud, quam eandē cum intelligentib. vnire: quoniam ista tam mirifica combinatio, nulla re aptius quam osculo exprimitur, diuinissimo illo Salomonis Canticorum libro sic scribitur: *O vtinam ore me exoscularetur!* Quod est ab eo dictum, facilius vt ostenderet, quanto cœlestis formæ desiderio, anima illius quasi in ecstasin raperetur, quando (vt cum illa intime conjungeretur) terrenum corp' exuere desideraret. Stabant arrectis jam omnes auribus, & Bembum diuinitus disserentē attentissime audiebant: & quamuis paulum jam statim respiraret, omnes tamen quasi illum admirati, siluerunt. Tum ille, quoniam vobis hortantibus (inquit) sermonem istum de felici amore Curialis minime juuenilis sum

*Osculum quare virtutis.*

ingressus, eundem longius aliquanto insequar, quō-
niam hic consistere periculosum esset, cum animus
noster ad sensus fere sit procliuior. Et quamuis ratio
bene cum deliberatione eligat, formamq; cognoscat
à corpore nunquam oriri, & proinde libidinibus fræ-
num imponit, tamen cum semper illam in corpore
defixam intuebatur, cum solam contemplari per se
vix possit, sensim labascit judicium, & longiore spatio
sæpenumero corrumpitur. Et si nullum aliud incom-
modum persentisceret, sola tamen amatæ absentia
cruciatur, quoniā formæ vis illa cum præsens fuerit,
mirifice delectat, humores cordi suffusos calefacit,
sopitas & quasi cōgelatas in anima facultates resoluit
atq; excitat: quæ cum interius ebullientes, cordi se
profuderint, tum spiritꝰ illos subtilissimosq; vapores,
i.e. purissimas sanguinis partes per oculos emittunt;
quæ cum obuiam formæ atq; pulchritudinis imagi-
nem exceperint, eandē secum mille modis exornant
& effingunt. Quod dū obnixe & sollicite faciunt, ani-
ma nunc incredibili delectatione, nunc admiratione
inaudita commouetur, dumq; sola apud se lædatur,
stuporem simul cum voluptate communicat: cumq;
illum timorem & reuerentiam persenserit, quæ rebus
sacris & cœlestib. attribuitur, tum se tanquā in campis
Elysiis positam, multo beatissimā existimat. Quisquis
itaq; amantium corporis tantummodo pulchritudini
inhiat, illud cito tam fragile bonum lubricamq; feli-
citatem amittit. Nam simul atq; mulieris splendor ab
oculis remouetur, animus tanta voluptate orbatus
languescit: quoniam vis illa amoris, absentes minus
quam præsentes vrit. Vnde omnes illi meatus appe-
titui deseruientes, paularim exarescunt, restat tamen
aliqua venustatis memoria, quæ virtutes animæ non-
nunquam sic mouet, vt spiritus exerere sæpenumero
cōtendat: qui cum omnes poros exstipatos reperiant,
exitum vndique aliquem exquirunt, dumq; sese huc
illuc

illuc fruſtra concitant, quaſi ſtimulis quibuſdam animã exagitant, illamq; doloris acerbitatẽ admouent; quem infantes ſentiũt, cum per gingiuas tenerrimas dentes enaſcũtur. Hinc lachrymæ, mœrores, ſuſpiria, hinc omnia amantiũ tormenta. Anima enim male ac moleſte ſe habet, vixq; apud ſe cõſiſtere poteſt, donec optatam effigiem denuo præſentẽ videat: quod ſi caſu aliquo fiat, ſtatim acquieſcit, in eamq; vnam intenta, illius aſpectu tanquam paſtu ſuauiſſimo nutritur, nec eo vnquã, ſi fieri poſſet, carere deinceps vellet. Ab iſtis moleſtiis vt liberior Curialis noſter exiſtat, vt veram formam ſine perturbationib. contempletur, rationis ſubſidia adjungenda ſunt, ipſaq; adeò forma ab omni corporis deſiderio ſejuncta, ſimpliciter & per ſe conſideranda eſt: cumq; illã imaginatio ab omni materia abſtraxerit, animæ familiarẽ charamq; faciat, ſecum noctes dieſq; habeat, omni loco, omni tempore vnà gaudeat, nunquã amitti poſſe exiſtimet, ſemper denique meminerit corpus à forma alieniſſimũ quiddam eſſe, cui perfectioni nõ modo nihil prodeſt, ſed valde etiã obeſt. Hac vna ratione curialis iſte minime iuuenilis ab illis malis immunis erit, quib. omnes plerũq; iuuenes ſunt obnoxij: quos ſuſpiciões, indignitates, iræ, deſperationes, furores eo inſaniæ redigunt, non ſolum vt amatis mulierculis vim inferant, ſed vitam etiam ſibiipſis aliquanto auferant. Ab iſtis tam craſſis erroribus ille noſter tantũ aberit, vt nec amatæ mulieris marito, nec patri, nec fratrib. nec cõſanguineis, vllam injuriam faciat: nihil cõmittet, quod ad illius quam reueretur, ignominiam redundare poterit: linguam atq; oculos ita vbiuis continebit, nunquam vt animi myſteria explorent: nunquam diſcedens in mœſtitiam atque luctus incidet, quoniam illum tam diuinum theſaurũ intimo corde repoſitũ vna ſecum ferat. Et quod multo magis eſt, conceptam jam antea formam, imaginationis virtute multo illuſtriorem

*Forma non eſt corporea.*

reddet. Verum præter istas tantas, & tam expectatas commoditates, vnam multo omnib. excellentiorem amantes percipient, si istum amorē tanquam gradum aliquem ad diuiniorem superioremq; accommodent. Quod facile quidem efficient, si altius secum agant, quanta illis vincula sunt injecta, dum vnius tantummodo formæ contemplationi sunt addicti. Ex istis se angustiis tandē aliquādo vt euoluant, infinita rerum diuersarū ornamenta cogitatione paulatim complectentur: cumq; omnes simul formas generali quodā mentis conceptu comprehenderint, multitudinemq; immensam ad illam vnitatē reduxerint, quæ per vniversum genus humanum diffusa est, tum non indiuiduam vnius mulieris pulchritudinē, sed vniuersalem illā, quæ omnia simul corpora exornat, intuebuntur: istoque tam claro lumine stupefacti, in obscurius aliquod aciem non intendent: sed flammis quibusdam sublimioribus incensi, inferiores illas nihili pendent, quibus antea deflagrabant. Iste amoris gradus etsi plane heroicus sit, eiusq; dignitatis, vt eo pauci perueniant, perfectus tamē dici non potest. Nam phantasia cum potentia organica sit, ex iisq; solis principiis cognitionē habeat, quæ à sensibus deferantur, à tenebris tamen materialib. omnino peruagata nō est. Proinde etiamsi formam vniuersalē per se abstractam intelligat, satis tamē perspicuè sine aliqua ambiguitate non discernit, propter eam quā habent phantasmata cum corpore conuenientiā. Vnde amantes istiusmodi auiculis illis persimiles mihi videri solēt, quę plumis vix dum satis vestitæ, etsi paulum se ad voltaū attollant, à nido tamē discedere nō audent, nec vento se cœloq; aperto committere. Curialis itaque noster, cum huc tandem aspirauerit, etsi felix appellari poterit, si cum illis conferatur, qui sensuali amore sunt immersi, hic tamen illū nolumus consistere, sed semper progredi, illam viam, illum ducem insequi, qui eum ad veram demum

Abstractio

demum beatitudinē adducet. Ita non modo in amentiam aliquam non incidet (quod illi fere faciunt, qui corpoream tantummodo pulchritudinem adamant) sed in se sapienter recedens, illam formam aspiciet, quæ solis animi oculis cōspici poterit: qui tum demū acuti atque perspicaces esse incipiunt, cum corporis oculi heberudinē quandam atq; caliginem contraxerint. Anima itaq; à vitiorum impuritate aliena, Philosophiæ studiis exculta, rebus spiritualib. insistens, intelligendo exercitata in suipsius cōtemplationem conuersa, tanquā somno altissimo excita, illos oculos aperit, quos omnes habent, pauci exercent. Cumq; in se illius luminis radium viderit, quem cum cœlitibus communem habet, cuius vel minimam vmbram cum corpore communicat: tum in rebus terrenis cœca sit, in cœlestibus multo oculatissima. Cum verò virtutes corporis motiuæ vel seria contemplatione abstractæ, vel somno sic ligatæ fuerint, nihil vt obstare aut impedirē possit: occultū quendā angelicæ pulchritudinis odorē sentit, illius lucis splendore rapitur, deinde paulatim inflammatur, eumq; adeò auide insequitur, vt eodem nunc inebriata, nunc ecstasi correpta videatur: dumq; cum eo se vnire desiderat, ipsius Dei vestigia reperisse existimat, in cuius contemplatione, tanquam fine vltimo atq; beatissimo acquiescere desiderat. Ista tam felici flamma cum vndiq; incendatur, ad nobilissimam sui partē, id est, intellectum se erigit, & terrenis vmbraculis nusquā amplius occœcata cœlestem pulchritudinē apertissime intuetur: eadē tamen perfecte non fruitur, quoniam particulari tantum intellectu contemplatur, qui vniuersalē complecti non potest. Amor itaq; cum isto beneficio sibi non satisfaciat, majorem animæ felicitatē attribuit. Nam vti è singulari aliqua forma ad generalē illam omnium corporū perduxerat: ita ex infimo gradu intellectus particularis ad vniuersalis illius fastigium euehit. Ita

anima veri, diuiniq; amoris sanctissimis ignibus ac censa, ad cœlestem naturam aduolat, nec sensus tantummodo commercium repudiat, sed rationis etiam momentis amplius non indiget, cum in angelum transformata omnia intelligat, cum omni velo, omniq; nube discussa, amplissimũ illud pelagus diuinæ pulchritudinis videat: eamq; in se recipiens, ea felicitate gaudet, quam sensus percipere nõ possunt. Quod si igitur illius formæ (quam oculis cœcutientibus indies tanquam insomnium aut vmbram cõspicimus) tanta vis sit, vt magnas sui faces in nobis cõmoueat, vt nullam cum ea voluptatem conferendam arbitremur, quam ex vnico mulieris aspectu percipimus: quanta, quæso, & quam felix admiratio, quam beatus stupor illas animas occupat, quæ ad diuinæ formæ conspectum accedunt? quæ tam dulcis flamma, quod suauius incendium putandum est, quam illud, quod ex ipso fonte veræ & cœlestis pulchritudinis exoritur? cum omnis venustatis principium sit, quod neque augeri, neque diminui poterit, cum semper pulchra, semper eadem, semper sui similis appareat, nihil alterius participans, nulla ex parte inæqualis: postremo cum vndiq; suauis & formosa sit, cum cætera omnia, quod formam habeant, ab ista forma acceptam referant. Hæc illa pulchritudo est, quæ à summa bonitate seperari atq; diuelli nõ potest, quæ sua luce omnia ad se attrahit, quæ & intellectũ intelligentibus, & rationem rationalibus, & sensum sentientibus, & appetitum animantibus, & vitam, motum, instinctum (tanquam sui vestigium) plantis, lapidibusque infundit, tanto itaq; amor iste reliquis præstantior est, quanto illius causa cæteris est excellentior. Et quemadmodum ignis omnes auri fæces exurit, mirificeque diuidit: ita sanctissimus iste animarum nostrarum ignis illud omne, quod in iis impurum atq; mortale est, rescindit, cœlestẽ illius partem exornat atq; excitat, quæ

quæ in illa jam antea sensus iniquitate obruta atque sepulta erat. Hic est ille ignis, quo Hercules in Oetæ montis vertice flagrasse à Poetis fingitur, cui⁹ incendio diuinus & immortalis est effectus : hic Moysis rubus igneus, hic dissectæ linguæ ardentes, hic currus Eliæ inflammatus, qui gratiam beatitudinemq; illorum animis ingeminat, qui illius aspectu dignantur, cum terreno carcere, & pedore soluti, ad antiquum domicilium, id est, cœlum, reuertuntur. Huic itaque diuinissimæ luci omnes curas, cogitationesque conferamus, quæ cœlestem viam commonstrat : eique omnes affectus postponētes, quibus depressi fuimus, per illam scalam, quæ infimo gradu amoris sensualis vmbram habet, supremam illam stationem ascendamus, vbi cœlestis illa, amabilis & verissima omnium forma habitat, quæ in intimis Dei penetralibus ita reconditur, vt eam mortales oculi intueri non possint. Ibi verissimum desideriorum nostrorum terminum, laborum requiem, miseriarum perfugium, ægritudinum medicinam, deniq; tempestatū ac procellarum huius vitę omnium portum tutissimum inueniemus. Quæ itaque vox (ò Amor sanctissime) quæ tandem mortalis lingua tuas laudes satis digne justeq; cōmemorare possit ? Tu omnis pulchritudinis, bonitatis, sapientiæ thesaur⁹, à diuina pulchritudine, bonitate, sapientia deriuatus in eadē perfistis, & ab ea per eandē in circulū reuolueris. Tu dulcissima mundi cathena, tu medo inter cœlestia ac terrena repositus, suauissimo quodā temperamento superiorum virtutes rebus inferioribus immittis, & animos mortales ad suum principium reducens, cum eodē mirifice conjungis. Tu cōcordia quadam elementa commisces, tu naturam ad producendum excitas, rerumq; species successione sustentas. Tu res dissitas ac separatas adunis, imperfectis professionē attribuis, dissimilibus similitudinē, inimicissimis amicitiam, terris fructum, mar-

tranquillitatem, cœlo lumẽ vitale. Tu veræ voluptatis, gratiæ, pacis, mansuetudinis parens es, eadem rusticitatis, feritatis, ignauiæ hostis: omnis deniq; boni & initium primum, & finis vltimus. Et quoniam te in ipso flore pulchrarum mentium atq; corporum habitare delectat, non dubito, quin hic apud nos versere, eorumq; oculis atque animis aliquando te commonstres, qui tuo aspectu non indigni putantur. Tu itaq; ô summe Deus) votis nostris attendere digneris, cordib. te nostris infunde, tuo splendore, tuo sanctissimo igni in caliginẽ nostram dilpelle, tanquam dux nidus in isto Labyrintho tenebricoso, veram viam ostende, falsos ac hallucinantes sensus corrige, & post istam tam inanem & deuiam peregrinationem, sinceram rectamq; lætitiã concede. Odores illos spirituales, qui intellectũ virtutes viuificant, sentiamus: harmoniam illam cœlestem concentumq; sic audiamus, nihil vt loci in nobis perturbationum discordiæ relinquatur. Inexhausto illo quietis & tranquillitatis fonte nos inebriato, qui semper delectat, nunquam satiat, qui omnibus ex ea tam limpida aqua potantibus veræ beatitudinis gustũ ministrat. Lucis tuæ radiis adumbratam oculorũ nostrorum ignorantiã ita discutias, vt mortalem posthac pulchritudinẽ contemnant, deinde intelligat res illas, quas primo vidisse se credunt, omnino nullas esse: eas verò quas nondum viderunt, esse verissimas. Accipe animas nostras sese tibi tanquam sacrificiũ humillime offerentes: illis eas flammis adure, quæ omnem scoriam & spurcitiem expurgant, vt à corpore disjunctæ, perpetuo dulcissimoque vinculo cum cœlesti forma conjungantur. Nos verò, à nobis ipsis separati, tanquam veri amatores in amatam cõmutemur, deinde à terra sublati, ad conuiuium illud angelicum admissi, ambrosia & nectare saturati, felicissimam illam, & semper viuentem mortem obeamus. Vt antiquissimi olim Patres, quorum animas

aelo ardentissimo contẽplantes, tu è carcere corporeo eripuisti, & cum ipso Deo collocasti. Cum hactenus Bembus tanta vehementia peroraſſet, quasi œstro aliquo diuino percitus fuisset, stabat tandem tacitus, & immobilis, & oculis in cœlũ eleuatis, in ecstasin sublapsus videbatur: cum tandem Aemilia, quæ vnà cum reliquis attentissime auscultabat, illũ toga vellicans, quid est, inquit, Bembe? Caue ne tute etiam ista tam diuina cogitatione animã quoq; à corpore disjungas. Id si fieret, inquit Bembus, ne hoc quidem primum in me amoris miraculum esset. Instabat jam valde Ducissa, cæterique promiscue omnes, vt in isto sermone longius progrederetur, nemoq; omnium erat, quin diuini illius amoris scintillam se aliquam jam nunc persentiscere putaret, pluribusq; vehemẽter inhiaret. At Bembus: Ego (ait) hactenus, viri optimi, id vobis differui, quod mihi sanctissimus amoris furor, nec præmeditanti, nec opinanti dictauit. Nunc vero cum nihil amplius ille suggerat, nescio, quid ego adjiciam. Neque verò ipse fortasse amor sua vlterius mysteria proferri vult, nec Curiale illos limites præterire, quos ego illi demonstraui: & proinde plura attexere fas fortasse non erit. Sane verò (inquit Ducissa) si Curialis noster minime juuenilis illis vestigiis insistere possit, quæ tu illi expresseris, nihil est, quod tanta felicitate satisfactum sibi non putet, nihil quod juuenibus inuideat. Tum Cæsar: Illa (inquit) via, quæ ad istam beatitudinem adducit, adeò erecta & difficilis, vt verear, ne eò peruenire non possit. Credo equidem (inquit Gaspar?) id viris difficile, mulieribus impossibile esse. Subridens hic Aemilia, si adeò sæpe (inquit) in nos deliqueris, nos tibi amplius nõ ignoscemus. Nihil herculè deliqui (respondit Gasparus) si dixerim, fœminarum animas à passionibus adeò liberas non esse, vti hominum mentes sunt: nec adeò contemplationi deditas, quemadmodum illis necesse est (vt Bembus

confirmauit) qui cœleſtem illum amorem deguſtare deſiderant. Neq; verò hoc vnquam mulieribus contigiſſe legitur, ſed viris nonnullis, vt Platoni Socrati, Plotino, multiſq; aliis: ſanctiſſimis item Patribus, vt D. Franciſco, cui ardentiſſimus amoris ſpiritus, ſacratiſſimum illud quinq; vulnerum ſigillum impreſſit. Neque ſane alia virtus aliqua niſi amatoria ſanctum Paulum ad illa myſteria rapere potuit, quæ reuelanda non ſunt: nec S. Stephano clauſtra cœlorum aperientia commonſtrare. Hic Iulianus: Ne iſta quidem in re viri fœminis præſtantiores ſunt. Nam ipſe Socrates omnia amorum arcana illi à muliere nimirum Diotima, explicata fuiſſe oſtendit. Idem quoq; Angelus qui ſacram illam effigiem D. Franciſco impreſſit, multas noſtra ætate fœminas, eodē charactere dignas effecit. Illud etiā meminiſſe debes, Mariæ Magdalenæ multa peccata remiſſa eſſe, quoniam multū amauit. Eadem fortaſſe nō minus quam ipſe Paulus angelico amore in tertium cœlum eſt euecta. Aliæ præterea innumerabiles (vt heri cōmemineram) quæ Chriſti nominis amore, vitam deſpicientes, pœnarum atrocitatem, mortemque omnibus terribilem nihili pendebant. Neque illæ ſane vetulæ erant (quod in noſtro Curiali Bembus requirit) ſed molles teneræque virgunculæ: in qua ætate (ſi illi credamus) amor ille ſenſualis tolerandus videtur. Hic Gaſparus plura dicturus erat, ſed illi Duciſſa orationem præripuit, & iſtius (inquit) rei Bembus judex eſto, nū cœleſti illi amori mulieres æque atq; viri non ſint aptæ & idoneæ. Sed quoniam his illa longior fortaſſe futura eſt, pæſtat in craſtinū differre. Imò hac nocte terminetur (inquit Cæſar.) At hoc quomodo fiat, non video (ait Duciſſa.) Recte ſane (inquit Cæſar) nam jamdudum dies eſt, lucemq; oſtendebat, quæ jam tum per feneſtrarū rimas penetrare cœperat. Attollunt ſeſe confeſtim omnes non ſine ſumma admiratione, quod iſtas diſputationes lon-

longiores non putassent: quod necesse fuisset, nisi & serius paulo, quam solebant, exorsi essent, & mira quadam suauitate, ita omniũ animos ista disceptatio demulsisset, vt horas sensim labentes animaduertere non possent. Nemo sane somni grauedinem aut stuporem aliquem persensit, quod illis solet euenire, qui horam dormiendi consuetã præterierunt. Cum igitur fenestræ omnes apertæ essent, quæ in illa palatij parte sunt, quæ ad montem Catrium vergit, rosea jam se aurora per Orientem ostendit, omnesque jam stellæ abierant, vna excepta Venere dulcissima cœli gubernatrice, quæ diei noctisque crepuscula custodiuit, à quibus aura suauissima perflare videbatur, quę aërem tenui quadam frigiditate perfundens, aues ad cantillandum prouocabat. inter syluas murmurantes, collesq; vicinos. Vnde omnes Ducissæ sereniss. summa reuerentia valedicentes, cubitum sine tædarum luce discedunt, cum diei lumen sufficeret. Cumq; Camera ingenti excederent, Præfectus in Ducissam conuersus, vt Gaspari (inquit) & Iuliani litem componamus, citius hac nocte quam fieri solet, coram judice conueniemus. Hac conditione id fiet (inquit Aemilia) vt si Gasparus mulieres (vti solet) falso calumnietur, pignora aut fidejussorem det, rationis se judicio sisti. Nam ego illum inconstantem fore & fugitiuum suspicor.

IN

# IN BALTHASARIS CASTILIONIS AVLICVM A BARTHOLOMÆO Clerko Latinum ex Italico factum.

*Qvalem Plato* Rempublicam
*Diuinus olim finxit, &*
*Qualem* Beatum *prodidit*
*Regis magister maximi,*
*Et ille qualem* Rhetorem
*Descripsit omnium optimus*
*Rhetor Latinus Tullius:*
*Talem* Aulicum *Castilio*
*Coloribus verissimis*
*Depinxit Hetruscis suis.*
*At illud ô factum male,*
*Quod non erat fas gentibus*
*Et cæteris cognoscere*
*Tam insigniter pictum* Aulicum,
*Donec Quirinalem togam,*
*Hetrusco ablato pallio,*
*Insigni huic dat* Aulico
*Clercus Britannus Aulicus:*

Cler-

*Clerus, Minerua cui fauet,*
*Cui lingua, cui pectus sapit.*
*Vulgare qui profert nihil.*
*Ergo illud ô factum bene,*
*Quod cæteris & gentibus*
*Nunc (Clerce) per te fas fiet*
*Illum* Aulicum *cognoscere*
*Tam insigniter pictum* Aulicum.

T. Bingus.

# JULII BORGARUCII,

## Doctoris Medici,

### *Carmen Hendecasyllabum.*

ISTos, Docte, tuos labore summo
Præter, Clerke, animum omnium virorum
Factos, & salibus libros refertos
Non mirabitur omnis hæc pigra ætas?
Factos dixerit ipse noster author
Qui si viueret, osculis Latinos
Ornatos melius, jocis repletos
Fixis, in medio sinu locaret:
Oh nunc Ausonia ipsa quid fatetur,
Prisce cum videat tuos loquentes
Aulæos! Decus omne conferendo
Priscas (Clerke) tibi parat coronas.

Iul.

TVllius, Oſorius, Clerkus, flos, gloria, laurus,
Florẽs grata, virens, floret, abundat, ouat:
Tullius Auſonii dicatur floſculus horti,
Oſorius patriæ gloria ſola ſuæ,
Clerkus & Angliaci memoretur germen agelli,
Et merito patriæ laurea laus a ſuæ.

Henricus Dethik
Oxonienſis

AVLA,

# DIALOGVS

GVLIELMI INSVLANI MENAPII GREvibrugensis:

*QVO LIBELLO PARTIM REFELLVNTVR ET DEriuantur, partim attenuantur Aeneæ Syluÿ & Vlderici Huttenĭ in Aulam criminationes.*



FRANCOFVRTI

*Sumptibus Heredum Lazari Zetzneri.*

ANNO CHRISTI

M. DC. XXXIIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778428311/phys_0355
DFG

# GVLIELMVS INSVLANVS MENAPIVS PRÆPOSITVS ECCLESIÆ Diui Adelberti Aquen. Bonifacio Amorbachio suo

S. P. D.

SOlet genus hominum literatorum, Bonifaci charissime, contractam semel familiaritatem crebra inuitatione, vicissitudineq; mutua literarum ac xeniorum stabilire, confirmareque. Id nos inuicem facere, vt minime est necesse, manente videlicet eadem vtrobiq; amoris constantia: ita forte per distantiam nimiam locorum non licet, te Basileæ, me Dusseldorpij commorante. Cæterum, ne videamur prorsus à vulgi sensu opinioneq; discedere, amicitiæ hominum passim metienti à necessitudine, fructuq; officiorum: en tibi pignus & documentum perpetuæ meæ beneuolentiæ studiiq; dedicatam

nomini tuo Aulam, Dialogum meum. Neq; hoc solum, sed delatum etiam tibi arbitrium super re tota pronuntiandi. Vides modo, quanta sit fiducia tui amoris mea, nisi potius audacia dicenda est, qui munus tibi injungam plenum molestiæ & periculi. Constat namq; palam, quanto in odio & inuidia fuerit hactenus aula versata, quantoque studio & ardore ipsius causa sit ab æmulis quibusdam impugnata. Verum enimuero facta diligenti collatione, non tam formidandam nobis puto authoritatem, facultatemque scribendi aduersariorum, qua plurimum certe potuerunt, quam arbitror obfutura præjudicia jam olim facta, & inuidiam multitudinis suapte natura plus satis procliuis ad criminandas opes, amplitudinem, splendorem & ornatum Aulæ. Cæterum intuentibus nobis acrius altercationem illam cum Aula abs Ænea Syluio & Hulderico Hutteno susceptam, qui soli apud Latinos (quod quidem sciamus) partes sibi sumpserunt, & professionem cum ministris regiis dimicandi, apparet rem ipsam parum distincte & luculenter acceptam, dum vnius acerbitate censuræ omnes simul aulas, & cuiusq; generis ministros perstringunt, ac per locos communes fere ingressi rem ita tractant, vt non, quales per sese necessario sint Aulæ Principum, describant, sed cuiusmodi esse potuerint, si tali ingenio præditi sint alumni regij, quali finguntur abs Ænea & Hut-

Hutteno: cum alioqui in confesso sit, magnam vbique ingeniorum & naturarum esse varietatem. Nam qui ita damnant Aulam, vt formam sibi displicere gubernationis significent, ij pari argumento omnem quoque politiam conuellunt. Quæ verò multa inibi committi vitia queruntur, meminerint iidem velim, nullos omnino conuentus aut societatis hominum suis vacare criminibus. Hæc quum ego apud me forte perpenderem, gauisus equidem sum, datam mihi materiam & occasionem, bonis quisque Principibus, & horum consimilibus ministris gratificandi, si, quod hucusque nemo in tanta copia nostri temporis scriptorum fecit, si, inquam, vindicarem, quomodocunque Aulam ab impositis criminibus per speciem lusus ab ociosis quibusdam scriptoribus. Fuit igitur in suscepto argumento præcipua mihi cura & studium deriuandorum participandorumq; criminum, si quando viderem negatam facultatem refutandi. Hic sæpenumero vsus tum nominum, tum rerum distinctionibus, diuisionibus, iisdemq; interdum replicatis, ex more consueto Platonis id quidem. Tametsi quid nos ad hunc? Quo quidem in negotio quantum præstiterim, tuum ego in primis facio judicium hominis doctissimi simul & integerrimi, vt non dubitem, te & pro excellenti tuæ eruditione posse, & pro æquitate animi justam sententiam ferre velle, ita vt tuum vnius suffragium,

si à parte mea, sicut confido, stabit, pro multorum mihi calculis sit futurum. Accedit altera causa, quæ me hortata est, vt tuo arbitrio censuraque Dialogum meum permittendum putarem, quod vtramq; tu vitam complexus sis, & aulæ publicam & priuatam istam domesticam, iterumq; & consularem & philosophicam, sic vt ad studium vsus, ad doctrinam accesserit peritia, & judicandi promptitudo. Contenditque de te apud Iacobum Sadoletum, Episcopum Carpentoractis, Erasmus Roterodamus in epistola quadam passim euulgata, vt videri velit te tua sponte declinantem principum frequentes congressiones, conuersumq; ad curam & instaurationem rei familiaris, amplissimæ illius quidem, & studia philosophiæ, nihilominus maxime idoneum interesse sermonibus & consiliis, futurumq; auguratur, vt eo loci inuitus olim tu pertraharis. Cuius interim mentionem facientibus nobis in memoriam venit id, quod ego ad cumulum laudum tuarum arbitror pertinere, quod summo vir ille judicio, multarumq; rerum vsu ex omnibus amicis suis, sed paucis illis, quos haberet charissimos, te potissimum sibi deligere maluit authorem vltimæ suæ voluntatis exequendæ, vt, in cuius fide, pietate, amore pridem in humanis agens conquieuerat, mortuus etiam consisteret, & viuentis suam de te opinionem, vltima quoq; fata testarentur. Et reliquerat ille quidem materiam satis

aptam

aptam & copiosam irritandæ cupiditatis, sed à qua te sciret multo alienissimum. Quam egotanti viri suffragationem integritatis tuæ maximi faciendam censeo. Verum ne vnius saltem quamuis grauissimi sapientissimiq; viri, sed tamen vnius iudicio niti videamur, præsto est famæ tuæ lux clarissima, longe lateq; terrarum diffusa. Quæ tot decora & ornamenta tua facile me excitauerunt ad amorem, obseruantiamq; nominis tui, eoq; adduxerunt, vt mecum statuerem, nostram beneuolentiam argumento aliquo publico testificandam. Nam vtipse interim homo sim parum forsan compositæ vitæ, nihilo tamen segnius feror ad cultum & amorem excellentis alicuius virtutis in alio conspectæ. Verum de tuis laudibus copiose dicendi alius est loci, & modestia ac pudor tuus vix mihi laturus videtur illustrem & amplam prædicationem laudum tuarum. Quapropter hac parte ad præsens omissa transibimus ad dialogos nostros, audituri sententiam Hutteni super vita & moribus aulicorum hominum. Qui si minore spiritus impetu vehementiaque, quam olim, loqui videbitur, mitigatum tempore ingenium existimabimus. (Quid enim non domat tempus?) & sed. um animum hominis, à, nescio, qua recens concepta offensione aduersus certos Germaniæ Principes: nisi forte putabimus, quod ego libentius sequor, non paniendi doloris sui, sed exercendi styli gratia lusisse ipsum in Aulam.

*Cæterum, quomodo tandem res habeat, Hutteni linguam & ingenium amamus, nihil adeo in ipsum dicturi asperius, vis nec Socrates & Adimantus apud Platonem agant inuicem familiarius. Sed nunc ad opus accingimur. Simoni Gryneo & Oporino salutem. Vale.*

*Dusseldorpij, Calendis Martiis,*

*Anno M. D. XXXIX.*

AV-

# AVLA, DIALOGVS GVLIELMI INSVLANI MENAPII, Greuibrugensis.

*MENAPIVS.*

SVm quandoq; mecum admiratus, Huttene, susceptum abs te consilium fuisse migrationis ex Aula Moguntini Principis, quippe vbi conditionem satis honoratam & vtilem habueras: viderenturq; mihi cuncti propemodum aulici præcipuo erga te amore affecti. Sed tamen dum super ea re disputationē tecum aggredior; sic habeas velim, nō id me facere studio adducendi nomē tuum in periculum inconstantiæ leuitatisue alicuius, sic vt criminationis inuidiam accuses: sed magis adeo, vt collatione argumentorū inuicem facta, justæ videlicet disputatiōis ad instar, inter nos postremo constet; tantum ne commodorum & suauitatis in se habeat aulica vita, vt bono frugiq; viro videatur expetenda: an contra potius tantum incōmodorum & molestiæ, vt vitanda sit & fugienda? Priusquam autem ad caput quæstionis accedamus, gratum mihi feceris, vbi consilij factiq; tui rationē de relicta Moguntini Principis aula mihi forte explicueris. HVTT. Quia visum erat non ex honore meo futurum, si sententiam damnatæ vitæ aulicæ proprio redarguerem exemplo: poteratq; habere ridiculum, si in aulica vita colenda perseuerassem, qui nihil ea miserius aut infelicius paulo ante edito libello docueram. Et certe res sic habet. Male igitur factum abs te, quod secus, ac oportuit, de grauitate prudentiaque consilij nostri existimaueris, etsi

verbis te dissimulare mentē intelligo. Nam quod ad initum genus seruitutis illius attinet, rem tibi significabimus simpliciter ac ingenue. Illecti captiq; fuimus specie quadā aulici splendoris factusque. Namq; pulchra res & jucunda videbatur, vnà cum Principe primoribusque nationis nostræ viuere & colloqui familiariter, cedere nobis loco & assurgere turbam inferiorem, amplis magnificisq; titulis appellari passim cōsalutarique. Vestitus præterea nouitas & discrimen à vulgari placebat: vt concessæ authoritatis insigne quoddā circumferemus vbique, vnde sic attollebatur animus, mutabaturque, vt tragici histriones cum nova veste nouam subinde personam non sine decoro quodam actionis & scenæ plausu solent induere. Cæterum postquā res tota penitus perspecta est, nullam ego viuendi conditionem judicaui deteriorem. Quod igitur aulam sum ingressus, præcipitis consilij erroriſq; fuit. Quod reliqui, magistra rerū humanarum experientia suasit & docuit. MENAP. Omitto delibationem omnem dignitatis nominisq; tui, nec sicuti tu putas, id in præsentia à me quæritur. Erit hæc saltem liberalis inter nos disputatio, aberit inuidia contentionis. At verò ne existimes absque legitima causa disceptationem hanc mihi tecum institutam fuisse: duæ sunt res, quæ me coegerunt admirari in te pœnitentiam pristini consilij migrationemq; ab Antistite tuo. Altera quod certissimam tibi spem sublimioris conditionis, amplioriſq; fortunæ propositam videbas ab eo sane principe, qui & pro sua liberalitate amoreq; erga doctos bonosq; viros voluisset, & pro authoritate sua facultatumq; magnitudine potuisset virtutes tuas meritis afficere præmiis: ita, vt nullam ab ea parte stetisse culpam putemus. Altera causa nostræ admirationis est, & quæ tua fortasse culpa fuerat, quod Antistiti tuo seruiendo præclaras naturæ ingenijq; tui dotes ac munera conferre potueras ad studiū

de

se Repub. bonisq; omnibus bene promerendi. Honorificum illud tibi quidem inprimis, propterea quod non largitionum ambitione, vel precum vndecunq; emendicatarum improbitate ad aulam penetraueras, sicut interdū fieri videmus: sed optimorum grauissimorumq; quorundā virorum cōmendationib. fretus, immò verò Principis ipsius studiis vocisq; expeditus aduueneras. Cuius ego factum mirifice laudo proboq; pro eo, quod cum Platonis sententia in ea parte conuenit. Voluit summus ille vir & diuinus Philosophus in sua Republ. vt ad munerum publicorum administrationē Philosophi accederent rogati. Fieri siquidē putauit Plato hoc populorū studio, & hac inuitatione liberali honorisq; plena, vt difficultates ac molestiæ laborum pro Repub. forte susceptorum, ab eo genere hominum facilius leuiusq; sufferentur, deniq; delationem eam honoris ad officiū dignitatemq; Rerumpublicarum est pertinere arbitratus. HVT. Quæ de liberalitate beneuolentiaq; Principis commemoras, præcepta meditataq; habeo, & debetur illi à me gratia. Quæ subjungis de neglecta facultate bene merendi. Sic respōdeo, vt negem eandē mihi facultatem in vita priuata ereptam. Siquidē scribendo docendoq; alios tam promouere vtilitatē publicam licet, quam in aulis Principum officiū suum vnicuiq; præstando. Tametsi optabile sit, vt otium philosophicum conjungas cum negotiis publicis, quo gemina vtilitas ex te prouenîat. Nam quod postea adducis ex Platone de priuilegio Philosophorum gentis, vt ij non nisi multis precib exorari capessant munia Rerumpublicarū, debeatur hoc sane illis: quippe quibus multum pro eo ac decet, tribuo. Mihi porro Philosophi nomen vix audeo sumere, tantum abest, vt honores huic generi hominū debitos, mihi velim vendicare. MEN. At percurrisse te Philosophiæ campos omnes, libri abs te æditi testantur. HVT. De hoc aliorum facio

judicium, ac tuum quoq; vt interim nonnihil mihi de tuo blandiar, tibiq; vicissim de judicij tui approbatione. Veruntamen quod ad propositũ argumentum attinet, opinor aulæ sordes, indignitatesque satis copiose luculenterq; à me descriptas fuisse eo libello, cui titulum Aulæ feci: legisse te puto. MEN. Legimus & quidem diligenter, tum excitati fama nominis tui, expectationeque, tum ipsius natura argumenti delectati. HVT. Ecquod tuum judicium? MEN. Postea, si voles, audies. HV. Edocti proprio periculo visi nobis sumus melius potuisse judicare de re tota, credimus vel curioso cuique ad cognoscendam aulicam vitam nos satisfeciisse, adde verò etiam quod ad vitandam. MEN. Absterruisse ne te ab aulica vita mortalium genus omne? falleris multum, si ita credis. Contemplare Regum, Pontificum & Principum omnium nostri temporis palatia, si vacat & libet. Videbis nihilo minorẽ solito frequentiam omnis ordinis ministrorum. Adeo igitur dehortationes tuæ non extinxerunt studia hominũ circa ambitionem aulicæ vitæ, vt nec remissiora quidem facta videas. Sed tamen demus, quando ita vis, terroris pauorisq; paululum te certis hominib. injeciisse, vtpote natura fastidiosis & delicatis, quo minus putẽt appetendam seruitutẽ aulicam, nunquid nam ideo prorsus abalienatæ mentes cunctorũ in diuersam sententiam abiere scilicet vt relinquendas domos, familiaritatesq; Principum putent? Minime, inquam, mea sententia. Etenim vt quisq; est optime natus & susceptus, ita demum ex regia clientela suis ornamentis accessionem factam remq; suam melius constabilitam arbitratur & sperat. HVT. Quæ spes sint & expectationes hominum, deniq; quantum sibi quisque promittere possit, aut merito debeat ex fiducia Principum beneuolentiæ, difficile est pronunciare, præsertim in tanta varietate, diuersitateque ingeniorum, animorum, judiciorum, fortunarum, meri-

meritorum, fatalium quoq; neceſſitudinum. Dicam tamẽ aliquid de fructu aulicorũ ſpei, dum illud prius interjecero, peruerſe videlicet, judicia nos auſpicari à factis & euentis, adeoq; multitudinis ipſius, quæ, quod turbationibus plerunq; obnoxia ſit, nec ſerena tranquillaque mente polleat (quali ad contemplationem rerum acrium & ſubtilium opus inprimis eſt) turba ſolet appellari, rem ſignificatã nomine ipſo veriſſime tuente comprobanteque. Quin potius ſpectare nos oportet, quod pauciſſimi, hoc eſt, ſapientes fere decernunt & faciunt. Tametſi nec illud quidẽ ſatis adhuc videtur, imò quæ ſapientem hominem decent, nos intueri & obſeruare neceſſe eſt. Iam verò conſidera mecũ diligenter, vt me interim conuertam quo volebam, & fructus regiæ ſeruitutis tibi dem deguſtandos. Nunquid in numero ſapientũ habendi ſint, qui duro jugiq; ſeruitio ſpes incertas mercantur apud Principes, & libertatem theſaurum pretioſiſſimum juxtaq; ſuauiſſimum cum ſeruitute cõmutant, de ipſo habitu ac ſpecie ſeruitutis pueriliter gloriantes? Quaſi v. referat aureis an ferreis catenis quis reuinctꝰ teneatur. Tanto interim ſtultiores Glauco Homero, quanto hic rem inferioris quidẽ, ſed tamen æſtimandi pretij cum Diomede in argumentum & pignus initi fœderis permutauit. Iſ(ſi diis placet) ſapientes certiſſimam ſimul & optimam interdum vitæ conditionem mittunt in arbitriũ fortunæ vel potius vnius hominis, imò plurium, quorũ vno forte offenſo formidanda continuo ſit ira domini & excluſio ab aurib., ab oculis, in ſpeiq; blandiſſime locũ, vnde ſæpe tanquam per ſomnium ſeſe oblectabat ſapiens ille factus aulicus, pœnitẽtia comes ſuccedat ſequaturq; perpetuo. Intelligere te nunc credo, quorſum euadant plerunq; ſpes alumnorum regiorum. Sed cedo interim, deſcriptionem aulici apud Lucianum vidiſtin? MENAP. Vt modo viderim, quid poſtea? HVT. Quid ſi ſimulachrum

adeo

adeò pulchrum rursus exhibeam? Men. Feram æquo animo, tametsi nullus mones. HVT. Dignũ hercule est, viuam te imaginem aulæ putes videre. MEN. Et placet per Iouem plus adhuc προσύλεγον istud, quam imaginaria Luciani aula. HVT. Sed pergo ad rem, tu interim ne interturbes diligentiã nostram. Pingatur vestibulum sublime inauratumque, non humi situm in solo, sed procul à terra in edito collis fastigio, prætereaq; ex omni ferme latere inaccessum abruptumq; aditu lubrico, sic vt plerunq; qui se jam ad summum verticem penetrasse sperauerat, lapso pede in præceps frangat ceruicem: Intus autem opulentia sedeat tota sic, vt videatur aurea majorem in modum formosa amabilisque. Porrò amator vbi vix tandem conscendit, jamque ad fores accesserit, obstupescat oculis in aurum intentis. Deinde spes, quæ & ipsa specioso vultu est, ac versicoloribus amicta, manu prehensa introducat, mire jam ipso ingressu attonitum. Atque ab eo quidem tempore spes vsq; illum antecedat ducatque. Tum aliæ mulieres ipsum excipientes, videlicet fallacia seruitusq; tradant labori. At is miserum penitus renudatum tandem senectæ tradat jam morbidum coloreq; commutato. Postremo contumelia arreptum illum ad desperationem pertrahat, & hoc quidẽ tempore spes auolans euanescat. Tum ille non per aureũ illud atrium, per quod ingressus fuerat, sed per posticum quoddã & occultum exitum extrudatur nudus, ventricosus, pallidus, senex, læua quidẽ pudorem occultans, dextra autem seipsum strangulans. Occurrat autẽ pœnitudo exeunti frustra lachrymans, & bis seipsam misere conficiens. Atq; hæc descriptio Aulæ. Sentis nunc, quam author ille foueat soleturq; spes aulicorum? MEN. Scimus Lucianũ satis arguẽtum, & illustrem, & facetum circa fabularũ narrationem, ita vt in exponenda te gesta pauci reperiantur meliores. Sed ille respexit ibi dubio procul ad Princi-

pes

pes regionũ quas ipse incoluit, putes Syriæ aut Persarum Reges. Siquidem ij suum imperium exercent in seruos tanquam empta mancipia, barbari videlicet in barbaros sæuientes. At Aulæ Principum Germaniæ circumjacentiumq; nationũ ortos ex nobilibus & ingenuis fere suscipiunt. Liberũ ipsis jus relinquentes datam fidem soluendi, non depactos videlicet passim mercenariorũ istorum more. Nec inter seruiendum vt apud Græcos Poetas comicos Phryx aut Lydius, vel vt apud Latinos Dauus aut Geta trucibus plagis retinentur in officio, sed bonitate & clementia. Quod si grauius delictum admiserint, quodq; vulgarem istam juuẽtutis insolentiã excedat, tum sane in ipsos animaduertitur, sicuti dignum est. Cęterum quoniã fabulæ illius propositione valde me vrges, videriq; vis depictam suis coloribus Aulam: agedum & concedamus à Luciano quandam Aulæ descriptionem generatim cõprehensam. Consentaneũ tamen est, non omnem simul aulam ab ipso fuisse designatã, sed eam saltem, vbi perfid⁹ temerariusq; seruus sese cum duro & inclementi Principe conjunxit, id quod persæpe cõtingere videmus. Quod si fabulæ narrator nullius exceptionẽ aulæ admittere voluit, tanquã vniusmodi omnes illæ fuissent, quæso quis illis temporibus sustinuisset vlli Principi suam obligare fidẽ seruiendi, aut quis spem aliquam suscepisset futuræ remuneratiõis euentusq; melioris, si nec vlli nec vsquã bene cessisset officiorũ promtitudo diligentiaque? Nemo quippe (tanquam offensus alieni mali exemplo) serui postremi crudeliter inhumaniterue accepti successionem sibi duxisset optandã. Nemo, inquã, in quo vlla mica fuisset sanæ mentis. HVT. Fortassis simili cautione hodie vtantur homines, nisi si quis forte vsquã sit, qui se norit attemperare ad regulã Apostoli Petri ostendentis in priore epist. parendum nõ solum bonis & modestis dominis, sed etiam discolis, & objecto patientiæ (sic vt dicam)

clypeo

clypeo, contumeliæ omnis injuriam & impetũ sustinere didicerit. Atqui illud homine libero indignum videtur, adde verò quod difficillimum quoq; solidam inire gratiam apud dominum sæuum & morosum, quum vix fieri queat interdum, vt lenes & commodos dominos nobis penitus demereamur officij nostri sedulitate. Prætereaq; spes omnis dubia sit & suspecta fides, leuique momento pereat fructus obsequiorum præteritorum. Adeò in ancipiti discrimine versatur aulicorum fortuna, sintq; posita officia eorum in interpretis domini arbitrio, sic, vt nec benefaciendo bene faciant quandoque, vt verum cernas Ennianum vetus illud: Benefacta male locata malefacta arbitror. MENAP. At nos in primis fidei officijq; nostri decet meminisse, nihil interim anxios solicitosue de interpretis studio. Quod si fortuna nostra nos detulit in aulam durioris Principis, adhibendã operam censeo, vt quamprimũ fieri cõmode poterit, cum bona gratia illinc discedamus: Ita fiet, vt opiniõe boni hominis de nobis suscitata, desiderioq; nostri relicto, locum gratiæ illic perpetuo inuenerimus. HVT. Recte mones. At quotusquisq; Princeps erit, qui ministrũ ab initio statim quærentem fugæ materiam & occasionẽ vllo suo beneficio dignũ deputet, aut cuius merita (si quæ sunt) grata memoria apud se recolat, quum veteres ministri & ætatis jam affectæ sic interdum habeantur, vt canes antiqui venationibus inutiles, & ablegentur aliquo, vbi necesse sit, viuere misericordia aliena, eademq; tandem incerta. MEN. Imò bonus Princeps facit ex more priscorũ imperatorum belli. Nam vt ij defessos, emeritosq; militia, veteranos puto milites, donabant immunitate & agris: ita ille fidem ministri jam inde multis annis cognitam perspectamq, præmio ducit munerandam, vitæ subsidia præsens in ætatem vlteriorem. Erga nouitium autem seruum flagitantem missionem, sic erit affectus, vt cogitet

apud

apud se: Nisi ego essem homo rigidus & intractabilis, nunquam me omisisset seruus iste frugi & prudens. Quare cõcessa venia ipsi vtpote nihil male cõmerito, posthac naturam studiumq; meum ad mores comparabo meliores. HVT. Cedo tu tam acris defensor Principum causæ, forsan hac vafra calliditate quasi sinuoso calle gratiam alicuius eorum ambiens. Sunt ne vsquam boni Principes? MEN. De ratione suscepti argumenti viderimus alias. Ad propositam interrogationem sic respondeo, vt dicam, reperiri passim bonos Principes, alios ingenio & natura bonos: alios vitæ quoq; institutione. Et facile, manifestoq; constat, paucos esse, quibus vtrunq; eorum contigerit: Nempe, vt naturæ bonitatem par educatio moresq; commendent. HVT. Cõfiteri tamen audes aliquos bonos esse? MEN. Ea bonitate, qua virtutibus moralibus præditũ significamus esse bonum. Cæterum naturæ ipsius propensio in hanc aut illam partem nonnunquam facit, vt bonus malus ue quis dicatur. Ex vsu & ratione viuendi judicia de hominibus sumentur. HVT. Qui de censes de sublimioribus illis virtutibus, quas duinitus vocant, pietate sc. & religione? Præstiterit ne multum iisdẽ præditum esse Principem, qualem nos hic fingimus, bonum scilicet? MEN. Magis eas optare licet Principi ad finem authoritatemq; sibi conciliandam, quatenus ad vitam exteriorẽ attinet (putabitur siquidem omnia recto bonoq; animo facere) quam quod per sese credantur id efficere posse, vt Reipub. gubernatio legitime justeq; constituatur. Cæterum, magis sunt in amore & admiratione populi morales illæ virtutes, nẽpe justitia, continentia, tẽperantia, fortitudo, liberalitas, magnificentia, huiusq; generis aliæ: quædam. HVT. Verum enimuero quidam Ecclesiastæ ad spiritũ diuini benignitatẽ & vim cuncta referẽtes suadent Principib. jugem sacrarum lectionem litterarum quod hinc pariter cũ doctrina sacra spiritũ quoq; Dei

inibi

inibi latentem credant hauriri, vno negocio piũ doctumq; juxta Principẽ facere conantes. MEN. Aut summus Theologus erit Princeps ille, aut nullus. Quia aut totũ se tradet meditationi rerũ diuinarum cœlestiumq; posthabita cura Rerumpublicarum, aut studiosius hanc persecutus illã præteribit. Cedet actio contemplationi, aut hæc illi. Certe quod Plato in libro suo, cui titulus, ciuilis, à Principe requirit contemplationem scientiarum, intellexit philosophiam vtpote ad justam regni administrationẽ apprime conducentem, in primis autem moralem, sic à Cicerone quoq; appellatam in disputatione sua de fatorum vi & natura, ne quis nouitium aut barbarũ nomen putet: Sed ita, vt fateatur primã eius nominis inuentionem impositionemq; à se factam, tanquã ab eo, qui omnibus modis conaretur augere linguam latinam, porro ad moralem philosophiam nos referimus quoq; jus ciuile, historiam, præsertim veterum temporum, apophthegmata sapientum, & fabulas eruditas. HVT. Omissa contentione hac tanquam aliena, continuo ingredimur aulam nostram percunctaturi, quicquid erit illic boni, si modo quid erit. MEN. Prope erat, vt ab instituta via decliues abiissemus, sed tamen nihil dum aberrauimus, quandoquidem eo sermo noster pertinuerat, vt exquirerem⁹ mutuo, si boni Principes vsquam reperiri queant. Quo sane cõcesso, sicuti par est, consequitur necessario, ministros etiã bonorum Principum in bonorum censu haberi posse. Præstabit hoc nimirum studium imitationis, cuius magna sane vis, multo tamen efficacior, vbi conuictus domesticus & familiaris vsus interuenerint. Frequens enim est, vt familia mutuetur & retineat aliquid domini sui morum. Hinc tam lepide quam blande Domitianum Cæsarem alloquitur Martialis:

*Nemo suos (hæc est aula natura potentis)*
*Sed mores dominus Cæsarianus habet.*

Nam

Nam etsi contagio morũ valeat inter vicinos & æquales quosque, violentius tamen penetrat, hæretq; tenacius, quę à Principibus in subditos, à dominis ipsis mittitur in seruos: adeo, vt, iuxta Platonis sententiam; canicula quoq; videatur à domesticis morib. domini sui aliquid acceptura. Nosse vis domini studia & mores? intuere familiam. Quin quotquot vsquam sunt Principes sapientes, & honoris famæq; studiosi, libenter sibi probatæ vitę nominisq; familiã adhibent, existimantes hoc ingenio leuem suspicionem, quæ de se forte cõcipiatur, facile deleri: propterea quod vulgare sit, accipi coniecturã vitæ nostræ interioris à moribus familiariter nobiscum viuentium. Pares siquidẽ, vt est in veteri prouerbio, cum paribus facillime congregantur. HVT. Video, quo pergis, sed tamẽ à me nunquam obtinebis, vt ingenia aulicorum probanda putem. MENAP. Quid ita? HVT. Ad fraudem quippe & malitiam fere sunt instructa, & quæ acceptam optimam indolem facile breuiq; valeant deprauare. MEN. Si istuc verum nossem, hortarer bonos omnes, vt liberos suos domi retinerent potius, quã talibus magistris darent erudiendos. HVT. Quid, si docẽa verum? Sunt namq; duæ artes apud aulicos in frequenti vsu, quarum altera se sola satis est ad tollendã boni hominis opinionem, & ad peruertendam communẽ quietem. MEN. Quænam illæ? HVT. Adulatorum mendacia, & insidiæ delatorum. Præterea sunt alia pleraq; eius gentis vitia, quæ suo loco postea notabuntur. Verum duorũ illorum criminum, quorũ statim memini, infamia sunt aulici insignes supra reliquũ genus mortaliũ. Quare ab iis tanquam capitalibus ordiemur. MEN. Iusto ordine rem digeris. At ego sic statuo, illic multa peruerse, quædam iniq; fieri & administrari, vbi delatorũ adulatorumq; vocibus faciles porriguntur aures, & plurimũ defertur. HVT. Cui dubium? MENAP. Præsertim cum ipsi forte in leuem & credulum & furiosum Principẽ inciderint. At prudentes Prin-

cipes cautione vtuntur, qua inter nauigandum Vlysses: & ad huiusmodi Syrenarum cantus aures obstruunt cera, ne inuitati alliciantur, allecti capiantur. Videbimus autē prius de delatore, quo paucis valere iusso ablegatoq;, tractabimus adulatorē, qua decet gratia scilicet. Quamuis enim delatores in maiori versentur odio & contemptu, quam adulatores, mihi tamen videntur ii nocentiores illis. Etenim comparatione eorū inter se facta, similes videri possint adulatores iis, qui delicatū cibum veneno temperatū homini famelico propinant. Delator autem per insidias quidem te aggreditur, sed aperto Marte fortassis tecū congressurus. Sed paratum te forte suspicatus ad quemcunq; ipsius impetum excipiendum, Sed præoccupare studens animū Principis, dum factum tuum ante tempus aggrauat verbis, non ignorans interim dubium euentum accusationis, & futurum, vt obiecta crimina refellantur, aut saltem extenuentur. Itaq; etsi pessimis artib. vtitur, dū in inuidiam plus satis te conatur adducere, non tamen celat personam suam, & forsan habet animum in frontem tibi resistendi. Cæterum adulator mentitur personam suam, & sub habitu boni viri, sub specie fidei & amoris tibi, nisi diligenter caues imponit. Aptius igitur in Phædro suo Plato, quem nos statim venefico (tametsi non abhorrebat similitudo lōge à natura rei) aptius, inquam, Plato adulatorem comparat sacrilego, qui rem sacram iudiciū scilicet rationis sub imagine boni surripiat atq; subducat. Sed enim deprehēdimus bifariū esse genus delatorū, & qui vera Principi denuntiant, & qui vana. Iterum partimur eos, qui vera denuntiāt. Nam aut res æstimatione dignas ad Principem deferunt, aut leues, & quas sciat nec ne Princeps, parum interfit. Sunt præterea res graues, & cognitu dignę, varię adhuc & multiplices, ceu tentatum veneficiū, coniuratio, seditio, victoria, casusue in bello. Nam qui hæc supprimūt causa non turbandæ regię mentis, plus interdum nocent, & maiorū periculo-

culorum materiam suscitant. Etenim malis tempestiue cognitis remedia quæri poterunt, quæ forte viribus aucta nullum admittant auxilium aut consilium. Qui igitur & veras & graues res Principi suo annuntiant, nequaquam sunt improbandi, nec ii etiam offendentur aliena inuidia, eorum inquam, quibus bono fuisset celari Principem de rebus cognitu necessariis, fide scilicet in custodienda regia dignitate, saluteq; metum odii alieni superante. Qui leues, futilesq; res Principi indicant suam pariter ipsi leuitatē produnt, nisi hic appareat criminis augendi studium, nam id foret improbitatis cuiusdam. Sed quoniā in more est, vt delatores passim vocentur, qui calumniam alicui intendunt: cum hoc nihil nobis negotii. Siquidē bonus princeps, qualem nos intelligimus, calumniatorem in suam aulam non recipiet, nec receptum diu patietur, imo neq; malus Princeps facile vel studio retinendæ animi tranquillitatis; vt modo fingamus neglectum honorem & decus regium. Enimvero qui præbet aurem quotidie calumniatori; fidemque habet; is infinitam sibi materiam arcessit litium & turbationum. Laudatus est scriptorum historiis Domitianus Cæsar, cætera fere illaudatus, quod exclusisset ab aula sua delatores. Hinc Martialis surgit in laudem ipsius his versibus:

*Turba grauis pacis placidæque inimica quietis,*
*Quæ semper miseras sollicitabat opes,*
*Traducta ad Getulos nec cepit harena nocentes,*
*Et delator habet quod dabat exilium.*
*Exulat Ausoniæ profugus delator ab orbe,*
*Impensis Cæsaris Principis annumeres.*

Vt rem igitur totam percipias & Poetæ mentem, non contentus Cæsar Domitianus à se missos factos delatores, in asperrimas insuper & remotissimas insulas eosdem ablegauerat, Suetonio referente, tanquam maleficum & pestilens genus hominum. Leuioribus siquidem delictis mitior exilii pœna olim statuebatur, ita, vt

Romani Ciues in propinqua loca relegarentur, Præneste Tyburue. Vnde Ouidius exilii Pontici acerbitatem & miseriam deplorans, sic loquitur secum in primo de Ponto:

*Quid referam veteres Romanæ gentis? apud quos*
*Exulibus tellus vltima Tybur erat.*
*Persequar vt cunctos, nulli datus omnibus auis*
*Tam procul à patria est horridiorue locus.*

Nos mitiore vtentes iudicio ac consilio fortassis meliore censemus potius claudendã aurem & fidem abrogandam delatoribus, posita vt confidentia omni desinant malis artibus vti apud Principes, quam quod vnquã putemus admittendos, vt culpæ materia dempta, nullus etiam pœnæ relinquatur locus. Fertur prouerbium Cæsaris eiusdẽ fuisse: Delatores qui non castigat, irritat. Placeat hæc sententia quasi ab authore magis idoneo pronuntiata, Huic opponimus è diametro Hadrianum Cæsarẽ. Cuius splendorẽ & gloriam nonnihil offuscauit procliue studium in delatores. Cæterũ quoniam multitudo & varietas ingeniorũ conuenientium in aulam verisimilem facit suspicionẽ, esse illic vtriusque generis delatores: quorũ retro adhibuimus distinctionem. Vel hoc boni nobis præstat illud hominum genus, vt metu insidiarum circumspectius viuere discamus, minusq; licenter peccare. Delatorẽ porro nemo peius odit, quam ille quem scelerum suorum conscientia vexat, & sicuti est ingenium vt perpetuo verses animo formidines insidiarũ, attentiusq; obseruari se putet. Sed quid causamur reperiri delatores in domib. Principum? Quum in vrbibus sint frequentissimi & ingenti precio certoq; ducantur stipendio Corycei isti, totaq; illa natio τῶν δούλων ἀκροαματικῶν, vt aptius exprimunt Græci Et id quidẽ consilio valde necessario. Etenim in magnis populosisq; vrbibus multæ sunt causæ & oportunitates perficiendorũ scelerum, apparetq; inibi pleraq; tectim & occulte fieri, quæ nisi speculatorũ

indicio

indicio nunquam aut vix patefcerent, & per hoc quoq; aleretur licētia flagitiorum ſpe propoſita impunitatis. Optime igitur aduerſus tantas cōmoditates excogitatę&adhibitæ delatorū auſcultationes obſeruationeſq;. Quin meminimus quaſdam ciuitates ſuſpectis temporibus publico edicto prohibuiſſe fieri ciuium cœtus & conuiuia, quibus non fuiſſet adiunctus vir aliquis Senatorius accepto mandato deferendi ad magiſtratum ſi quos forte motus conſpirationeſq; ſuſcitatas noſſet. Ergo quieti tranquilliatiq; Status Reip. tum optimum remedium viſum ſedulitas & diligentia ſpeculatorum. Nam hos quoque non multum ſciungo à delatoribus. Quo minus Principum aulæ accuſandæ fuerant, quaſi vel ſolæ vel præcipue delatores alerent, quum illud crimen magis hæreat in vrbibus. Porro vt diſputationem preſentem finiamus, id q; etiam monitionis alicuius vtilitate Suaſerim ego Principi vehementioris ingenii, vt ab homine delatore diligēter ſibi caueat, ne interiori, h. e. naturæ vitio fomitē exteri perpetuo miniſtret, flammam oleo nutriens, vt eſt in prouerbio. Nō facile inſidiis&artibus delatorū tentabitur, qui prorſus ipſos omiſerit. Denique boni Principis eſt, ad minuta iſta, vulgariaq; vitia cōniuere, nec ſingula quæq; ſcrutari velle. Et hactenus quidē cum delatoribus. Nunc agemus cum adulatore. Tametſi hic quoq; delator ſuas partes agi agnoſcat, eo quod nihil domeſticarum, externarumue rerum celandoſtudioſum ſe videri cupit domini ſui dignitatis, vtilitatiſue ſeu augendæ ſeu defendendę, eatenus amorē præ ſe ferens. HVT. Quantum intelligo, totum adulatoris artificium conſiſtit in torquendo, verſandoq; naturam moreſq; ſuos. MEN. Ad gratiam & voluntatē eius, quem ſibi ſumpſit illudendum. HVT. Mirum profecto, niſi tandē animaduertatur ſtudiū ſimulationis. Ego quidē ſic puto, rectiora decentioraq; eſſe cuncta, quæ vis & habitus naturæ finxit, quam quæ expreſſit conatus artis. Adde vero, quod quæ melius

sibi constant, etiam durant amplius. MEN. Et mihi sic stat sententia. Sed cognosces rem apertius ex propositione similitudinis. Vt enim multo studio compta cæsaries ad quemlibet ventũ turbatur & dissipatur, & illita faciei cerussa statim ad fluxũ sudoris per genas diluitur: Ita fucus ille & ornatus adulationis sese aperit & ostendit ad motum aduersę fortunæ. Et forsan fortuna suũ cursum æquabiliter retinente nihilominus temporis successu proditur figmentũ serui adulatoris. Fiet illud haud dubie, vbi Principẽ industrium & sapientem adulator erit nactus. Nam quoties sua facta, dictaq; coram laudari & in admiratione haberi talis Princeps audierit, apud se sic cogitabit. Aut vera sunt quę prædicat iste, aut falsa. Si vera, nihil opus hoc præcone, ipsa siquidẽ virtus sibimet abunde testis & gloria præmium. Sin autem falsa de se narrari audiet, hic iterum distinguo. Nam aut affectatio apparet imitationis, sic vt proxima virtutibus vitia pro virtutib. subiiciãtur, aut nulla quæritur assimulatio. De posteriore suo loco dicemus. Prioris partis sensum planiorem faciemus exemplo adducto. Vt si Princeps inhumanus & crudelis vocetur magnanimus & fortis, si remissus clemens, negligens lenis, prodigus liberalis & magnificus, socors grauis & modestus. Hoc genus adulationis facile cognoscet Princeps solers & accuratus. Sed ille omniũ optime; qui philosophia magistra notionem aliquam & discretionem perceperit inter se virtutum vitiorumq; omnium: quiq; totũ sese ad vnguem explorauerit & cognouerit, nihil sibimet blandiatur. Ita demum fiet, vt quam rem in se non agnoscit, sibi etiam nolit attribui. Quare sic statuo, fore videlicet, vt ab eiusmodi Principis cõgressu colloquioneq; adulator omnis absterreatur. Nam quũ adulator semper vtilitatẽ spectet & quærat, profecto desinet eam illic sperare, vbi pro deprehensa illusione (quã forte verbis & factis adornarit) indignationẽ sit & inhonestam missionem habiturus. Sed

venio

venio ad crassum illum adulatorem, qui nulla sermonis gratia sibi demereri Principem didicerit, nec artis vtatur affectatione aliqua, sed imperiti more eo qui diuersissimos sapores simul confundentis simpliciter vitia nominet virtutes nulla affinitatis fictione quæsita, vt si deformem pulchrum, indoctum doctum vocet, inualidum robustum, tardum celerem, sordidū & deparcum, elegantem & splendidum. Qui ita perget adulari, hunc ego iubeo sibi quærere amentem aliquem Principem, dignū videlicet eius generis ludibriis agitari. Siquidē expers omnis bonæ mentis sit, oportet, qui tam rudem & inartificiosam adulationē non statim intelligat. Videsne modo nihil esse loci apud bonum & cordatum Principem adulatori? & accusationem aulæ susceptam abs te friuole? HVT. At bonorū ea est fere natura, vt cito credant, de suo ingenio aliorū facientes æstimationē. Cæterum qui cito credit, facile decipitur, iuxta dicteriū vulgare. MEN. Suspiciones non facile in animos bonorum illabuntur, abest siquidē ab ipsis temeritas omnis iudicandi. At vero tum magnitudine, tum iteratione periculorū suorum cautiores attentioresq; redduntur, cum innocentia columbina iungentes prudentiā serpentinam, apto quodam temperamento, idq; iuxta parabolam Euangelii. HVT. Qui hoc? MEN. Tradunt authores vetusti eam esse naturā serpentis, vt ad cantiones hominū sese in orbem contrahat, & vtranque aurem obturet. Quod nihil ipsi sit intolerabilius vocis humanæ modulatione. Nostin' Virgilianū illud?

*Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.*

Ad hunc morem blandiloquentiæ adulatorum occluduntur aures à Principibus bonis & sapientibus. HVT. Verum reperire est ingeniū sic instructum adulationis artificio, & in omnem partem versatile, nihil vt mirum sit prudentissimos quoq; Principes in errorē duci falliq; ipsismet Principibus sua mala fouentibus. Namq; eorū certi tam sunt tenera delicataq; aure, tam sermo-

num assueta blanditiis, vt nihil sustineant audire, nisi quod ad gratiam dicitur. Seruos hac arte minus forte imbutos reiiciat, hos vt superbos, illos vt agrestes. MENAP. Cui pruriunt aures, quærit scalpellũ, quodlibet iuuerit, tam ligneũ quam eburneum. HVT. Quid hæc sibi vult parabola? MEN. Quod leui & nugatori Principi satisfecerit in tempore βωμολοχῷ. HVT. Teneo quid velis, etsi paucis ac rectius res ipsa dicitur. Sed quid de titulorũ eulogiis attinet referre assentationis iniustissimo genere? MEN. Video quo tu pergis: Sed interim dum nemini parcis principum, memineris te otio tuo parcere. HVT. Dum id bono publico fiat, floccifecero studia & interpretationes hominũ. MENAP. Dum tamen hoc iure muneris legitime susceptifacias. Vult Aristoteles in Ethicis suis instaurationẽ Rerumpub. incumbere senatui seu præsidibus tenentibus proximum locum à Principe, ita vt hoc suum officium negligente liceat illis cogere sua consilia, & de summa rerum deliberare, constituereq; HVT. Quid si ii desides inueniantur & remissi. MENAP. Tum pertinebit cura constituendarum rerũ ad eos, qui deinceps habebuntur propiores, qui delectis è corpore ciuitatis primoribus aliquot faciant quæ sint è Republica. HVT. Quid si hic quoq; peccetur? MENAP. Quid si cœlum ruat? aut fatalis immineat interitus rerum omnium? Verisimile est autem non à tota multitudine neglectũ iri salutem communẽ, quippe in qua sua cuiusq; salus includatur. HVT. Proba sententia prior, at displicet author. Ethnicus scilicet. MENAP. Habeo quod respondeam, sed locus præsens non exigit. Tu cœpta persequere. HVT. Sæpe mecum dubitaui, plusne conueniret mirari scelus & arrogantiam Principum, immeritos honores titulosq; sibi sumentium, an improbitate & vanitatem adulatorum, dum scientes prudentesq; mentiuntur. MEN. Quod illud? HVT. Clementissimum vocari se iure suo vult violentissimus quisq; Tyrannus, & Cæsar,

Inui-

Inuictissimum, triumphatorē, Augustum se dici, quum alioqui docere possimus, socordia negligentiaque Cæsaris Romani factum terminum imperii Christianorum iam inde à septingentis annis quotidie angustiorē & fere de nobis hostes triumphauisse. Iam vero Pontifex Romanus non satis habet sanctum se appellari (id quod tolerari posset exemplo Pauli symmistas suos vocantis sanctos) sanctissimi nomen ille sibi arrogat & quod supergreditur humanam sortem, beatissimi titulo honestatur. MEN. Oblitus ne tu es veteris illius dicti: Sedes apostolica aut accipit sanctos aut facit. HVT. Apage sis tu cum hac facetia, illud nequaquam ferendum, quandoquidē nemo mortalium felix aut beatus. Etenim beatum volunt eum, qui extra aleam sit fortunæ, quiq; sortem suam nolit commutatam, quod vix scio an cuiquam mortalium contigerit vnquam, imo nec illi quidem L. Syllæ, qui proprio cognomento dictus est Felix. Vera beatitudo est æterna & cœlestis illa. Legi orationē cuiusdam docti viri Pontifici maximo satis adulantis ingeniose nec minus facete. Etenim cū laudibus suis Pontificem in cœlū vsq; sustulisset, tandem Deo optimo maximo parem faciebat, sola dempta mortalitate, vno verbo totam corrumpens sententiam, admonensq; illum beatissimū scilicet, superesse quiddam, quod in plenitudine beatitatis illius suæ desideraretur. MEN. Nō caret mos compellandi Pontificem beatissimum exemplo vetusto. Siquidem D. Hieronymus ad Damasum Papam æqualē suum scribens in epigraphio titulum addit beatissimi, & vendicat sibi iuris aliquid interdum mos publicus. Sed tum præsertim, quum facti ipsius ratio aliqua subest probabilis. Sunt enim hæ titulorum ascriptiones ea gratia potissimum excogitatæ, vt inter audiendum Princeps cogitet se se dignum tanto honore sublimitateque præstare, illud Horatii secum reputans, quod quia breuibus & argutis verbis in hanc sententiam scribitur, placuit subiicere:

*Tu recte viuis. si curas esse. quod audis.*

HVT. Sed demus mori quantum tu modo vis. Quid? si morem publicum transgredimur? & in superiorum ius finesque irrumpunt inferiores? Ferendum ne inualuisse consuetudinem nobiscum (tanta vis hinc æmulationis potentiorū, illinc adulationis imbecilliorum) vt sibi hodie deferri sinant honores & ornamenta plebei patriciorū, patricii equitum, equites regulorum, reguli maximorum Principum. Quid hinc tandem expectabimus, nisi vt cœlo minata Babylon solo tenus ruat, & non se exaudiant inuicē & qui in sublimi ædificant, & qui super terram stant, cæmentū, lapides, ligna reliquamque materiam apparantes porrigentesq;. Vt rem ipsam sub figura describam, sed quam à te putem intellectam. MEN. Intelligitur haud dubie ab iis omnibus qui modo quicquam intelligunt. HVT. Sed mitto adhuc ordines, illud omnium fœdissimum quod Hispana gens amasiam quamuis appellat dominam. MEN. Ignosco illis patrium ritum, acceptum forsan ex disciplina magistri amorum Ouidii. HVT. Et illud apud Venetos, in Republica alioquin optime morata, vt si alias vsquam, quod ex media nobilitate promiscue magnifici domini & excellentes vocātur. Satis erat dominos dixisse, quod ipsum tamen nomē tanquam inuidiosum Cæsar Tyberius repudiauit, habuitq; pro adulatore eum à quo sic appellatus erat. MEN. Tu me manu ducis quo volebam ipse. HVT. Qui tandem? alio ne parabas iter? MEN. Pergebam docere maiorem esse frequentiam & assiduitatem adulatorū in ciuitatibus, quam palatiis Principū, vt interim singula singulis recte conferantur. HVT. Mira narras & quæ hactenus extra communē hominū consensum opinionemq; fuerint. MEN. Sed vera, sed persuasibilia rationib. firmis & efficacibus. Etenim quum nulla re magis ali videamus improbitatē & audaciam adulatorum, quā ambitione & insolentia potentiorū opulentiorumq;: quis iam dubitet,

bitet, quantam materiam & opportunitatem adulandi Gnathonibus suis porrigit Thrasones isti vrbani? HVT. Qui isthuc? MEN. Nam cum inter ciues ipsos mira sit æmulatio & superbia, aliis sese efferentibus de generis vetustate & origine, incusantibus autem eisdem peregrinitatem aut nouitatem alienæ nobilitatis: aliis suas opes iactantibus. Rursus inueniãturqui claritate familiæ & diuitiis simul valeant. Præterea hi Rerump. administrationi præficiantur, illi autẽ contemptu quodam oborto ab affluentia bonorum suorum nolint onera ciuitatis in se assumere, aut præ socordia pigritiaue nequeant. Quosdam optimarum artium studia, aut familiæ cura domi & in otio retineant. Alii mercaturæ dent operam, aut militarem vitam sequantur. E plebe porro sint etiã quos ingenii morumq; dexteritas, aut fortuna benignior, ad altiorem fortẽ gradum ac conditionem euexerit. In tanta igitur diuersitate ac inæqualitate generis, originis, naturarũ, studiorum, fortunarũ, potentiæ, quis non intelligat multas sese cõmoditates offerre adulandi? adeoq; in vrbibus magnis & factiosis? Etenim si per tumultum & violentiam eriguntur magistratus ciuitatum, de pulsa parte imbecilliore, nihil mirum, vt in mutatione publici status rerũ solet, turbam adulatorum sese exerere, studiumq; suum vendicare parti victrici. Aut legitimis suffragiis designantur rectores ciuitatum. Iam iterum suspicari licet redundare adulatoribus vrbem, dum vndecunq; suffragiorum puncta colliguntur à candidatis. Sed enim qui magis prouidi sunt & astuti, mentes præoccupant multitudinis ante tempus, artificiosa præparatione adhibita. Hinc ille salutationes publicæ, & verticis denudatio, & blandæ appellationes, & conuiuiorũ apparatus, omnia hęc ad occasionẽ futuræ petitionis magistratuum quæsita. Quid attinet referre de ostentatione fidei & charitatis erga Remp.? Sunt enim in vrbib. permulti in administratione munerum inferiorum omne suum studium & offi-

cium

cium demonstrantes, vt hoc ingenio gradū sibi faciant ad altiorem locum. Itaq; sub specie promouendi boni publici, referunt in consilium quicquid illud modo est, vndeplebis animi plurimum irritentur offendanturq;. Et quoniam intelligunt seruitutem suapte natura molestam & odiosam, libertatem contra suauem & iucundam, & vtilitatē in primis spectari à plebe: sæpenumero potentiam ipsi criminantur superiorum, & in inuidiam adducunt opes diuitiasque quasi cum detrimento & iniuria multitudinis vrbanæ quæsitas possessasue. Et ne nihil ab ipsis curari videatur, quod ad salutem vtilitatemque Reipublicæ pertineat, fidem interdum ærarii requirunt & rationem datorum expensorumq; deposcunt. Subdolo & hoc genere adulationis, subrepentis videlicet sub iusta specie summi alicuius boni & probæ voluntatis. Quod si fidem sibi passim conciliatam senserint, concionem aduocant excitata seditione aduersus patres. Hac via & his artibus peruasit ad regnum Siciliæ Dionysius Syracusanus, quum plebeio & obscuro loco natus alioquin fuisset. Solonem quinetiā sapientissimum ab omnibus iudicatum legimus Athenis exactum simili ingenio à Pisistrato. Huius tam tyrannidis quam eloquentiæ successor Pericles pari gratia Atheniensium Rempub. arripuit, hoc saltem inter duos hos constituto discrimine, quod ille armis adiuuerat eloquentiam, hic solius linguæ gratia sibi aditum fecerat ad imperium. Simili propemodum ingenio imperium Populi Romani sibi quæsierat Tarquinius Superbus mixræ quidem nobilitatis vir (auitum erat incertum genus) sed inferioris, quā vt in fastigio dignitatis regiæ statim collocaretur, nec latere potuit aliquandiu pressum ingenium. Siquidē alius in publica quam priuata vita, dum ad reliquam violentiam addit muliebris pudicitiæ expugnandæ vim & libidinem, fecit, vt ille finis esset vltimus regiæ tum potestatis apud Romanos. Sed ne omittamus è multis vnū Q. Terentium Varronem,

in

in quem hominem etiam desinet citatio exemplorum, quæ à nobis fiat nominatim: (possimus autem multa adducere, sed nihil opus in re facile persuasibili,) ille, inquam, in illa difficultate secundi belli Punici post acceptam à nostris calamitatem Thrasymenicam, abusus Q. Fabii cunctatoris fortuna ad occasionem ambitionis propriæ & patrum nomen suggillando apud plebem (quum alias natura tum vt in tali casu mobilem) suamque operam deferendo, leui negotio vir ignobilis obtinuit, vt inaudito prius exemplo imperiũ ipsi cum dictatore Q. Fabio Maximo æquaretur. Quod nisi temeritatem & insolentiam Varronis fregisset singularis quædam patientia & moderatio Fabii, in vltimum discrimen salutis fortunæq; fuerat adducta res Romana. Sed vacet quæso hic audire versus Silii Italici poetarum heroicorum omnium statim post Virgilium festiuissimi in hanc sententiam sic canentis:

*Dumque Arpos tendunt instructi pectora Pœni,*
*Subnixus rapto plebeii muneris æstro*
*Sauitiam rostris Varro, ingentique ruinæ*
*Festinans aperire locum fata admouet vrbi.*
*Atque illi fine luce genus, surdumque parentum*
*Nomen, & immodice vibrabat in ore canoro*
*Lingua procax, hinc auctus opes, largusque rapina*
*Intima dum vulgi fouet, oblatratque senatum.*
*Tantum in quassata bellis caput extulit vrbe,*
*Momentum vt verum & fati foret arbiter vnus,*
*Quo conseruari Latium victore puderet.*

Sed quid attinet de vafricie & astutia referre gentis vrbanæ, an non ipsum nomẽ astutiæ tractum est à verbo ἄστυ, censoribus priscis grammaticis, vt ex affinitate nominum intelligas inter se conuenire vrbanis & astutis. Astus porro omnis simulatione tegitur. Simulatio sese commendat sub boni specie sic, vt mixturam aliquam

quam intelligas assentationis. HVT. Verum enimuerò præstat adhuc audire causam adulationis, vt cognoscam, cur hoc vitio magis ab vno, quam alio laboretur. MEN. Si causam inquirimus, iterum inter nos conuenit copiosiorem esse materiam adulandi in vrbibus, quam alibi. Quandoquidem plures inibi sunt voluptatum & vitiorum illecebræ, quam foris: quibus qui forte capitur, eundem necesse est in egestatem incidere. Egestas facit, vt potentioribus opulentioribusque cogamur adulari. Et accedit ad cumulum mali, quod difficilior est restauratio fortunæ detrimentorum in ciuitatibus frequentibus, quam aliubi locorum, ita vt qui semel lapsus ad inopiam & miseriam fuerit, vix vnquam resurgat. Facilior aliquanto reparatio iacturæ rei familiaris in Principum domibus, quippe vbi aliena viuitur quadra, vt dixit ille Poeta. Itidemque in agris, vbi victum ministrant inemptæ fere dapes. HVT. Sed aueo scire quæ nam illa sint voluptatum & luxuriæ irritamenta maiora apud vrbanam gentē, quam reliquam. MEN. Sunt in oculis illic greges conuiuatorum ex ordine cœnas & conuiuia sua agentium, à quorum commercio difficulter te subtrahas. Sunt tabernæ rerum omnium, tam ad luxum, quam necessitatem vitæ pertinentium. Est mira æmulatio & superbia vestitus & ædificandi. Sunt in oculis prostibula. Perstrepunt forum & plateæ cantionibus vocibusque impudicorum. Assidet argentarius fœnerator, tantisper tibi numeraturus donec supererit, quod apponas pignori. His igitur causis necessario fit, vt abundent vrbes decoctoribus & obæratis, quos otio & lautioribus cœnis assuetos, necessitas postremo cogit affectari & colere mensas ditiorum, & amœniore sermonis narratione gratiam captare. Iam vero circumeuntibus nobis totam illam turbam vrbanam (omitto nunc partem ciuitatis viliorem) quot occurrent vulgo crediti sapientes, quibus sit quæstus adulatio? Adulantur in primis professores scien-

scientiarum auditoribus suis, dum spondent facile compendium ipsis monstrare se ad eruditionē perfectam, spe vana delusos à se mittentes: dū nulla re alia, quam leuibus quibusdam præceptionibus imbuerunt, assiduitate exercitationis in dicendo scribendoq; prætermissa, sine qua tamē constat artem nihil vel parum valere. Adulantur Rhetores multis ipsi modis, ac tum sæpenumero artificiose, quum artem ipsi videntur negligere adulandi. Quam se accōmodant ad studia nostra circa conciliationē beneuolentiæ? Quam se rursus aptant circa troporum vsum? Quoties adhibent ἐμφάσιν, ἀποσιώπησιν, παραφασιώπησιν: vt semper æstimandum aliquid videātur auditori permittere: Præterea quæ excogitantur ad renouationē animorū, vtpote ἀσεισμὸς, εἰρωνεία, & adhibita ad eliciendā misericordiā diligentia? Quid? citius mihi liceat Aegæū mare viburnea scaphula traiicere, quā explicare omnes modos & numeros rhetorū gentis adulationū. Vt non immerito Plato in Gorgia suo putauerit totum illud artificiū oratoriæ facultatis consistere in adulationis vsu & dexteritate. Adulatur itē medicus spe & promissione sanitatis futuræ subleuaturus ægrotū. Cuius licentia adulationis eo tandem processit, vt necesse fuerit Pontifici Romano æ-dito decreto cauere, vt Physicus ægrotū sibi creditū in primis adhortetur ad curam suscipiendā salutis æternæ. Et ne prolixus hic sim, quot falsa medendi blandimenta medicorū inuenit natio? Huc pertinēt illa pharmaca ἀνώδυνα, ναρκωτικὰ, μαλακτικὰ, ἄπονα, & quæ iterum innumerabilia apud illos blanditiarū sunt genera, tanto interdum postea maiorem inferentia noxam, quanto prius ad breue momentum temporis morbum ac dolorem videbantur amplius releuasse. Adulatur patronus forensis in causa etiamnū deplorata clienti victoriæ certitudinem promittens. Adulatur theologus, quoties accitus in consultationē super difficultate controuersiaq; priuilegiorū concessionis, ita torquet leges

diui-

diuinas, vt cum humanis voluntatibus cõsentiant, magis secutus, quæ sentiat illi placitura, in cuius gratiam forte priuilegium rogatur, quã quæ credat profore saluti animarum. Queruntur apud Pontificẽ maximum Paulum III hanc labem religioni nostræ insperſam Sadoletus, Contarenus & Fregosus primarii ordinis viri in epistola quadam parenetica passim extante: ne quis falso aut inutiliter susceptam accusationẽ theologorum à me putet, quamuis, si oporteat, authore Thoma Aquinate liberrimo scriptore & exemplis rem nostram confirmare possimus. Iterum blandiuntur theologi negligentiæ segniciæq; nostræ, docentes inutilem omnem exercitationem pietatis officiorum. Hisdem profecto per figuram imprecatur Ezechiel dira, quum, inquit, capite 13. Væ qui consuunt puluinar sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ciuitatis ad capiendas animas. Adulantur præterea scriptores artium nuncupatione suorum operũ, æternitatis spem offerentes iis, quorum ambiunt gratiam. Et quamuis fingatur quæri patrocinium aduersus vim & iniuriam æmulorum, re vera fauor ex prædicatione laudis alienę captatur. Sed reuertor ad incolas vrbiũ, splendidiores modo taxare cupiens. Adulantur mercatores & institores sibi inuicẽ, rursusq; ii emptoribus in officio continendis. Adulantur ciuitatũ rectores subditis in difficultatibus annonæ & bellorũ, summam ipsi industriam & curam adhibentes, ne qui motus noui exoriantur. Adulatur prudens pater familias seruo crasso & moroso, sed cuius fidem interim habeat compertam. Adulantur Principes subditis quoque. Hinc olim excogitata congiaria & sparsa in plebem munera, & ludorum magnificentia, & apparatus spectaculorum, & præbitum vulgo epulum, & permissa administratio munerum publicorum patribus minorum gentium dictis ac plebi quoque, & designatio magistratuum facta per sortitionem, vt æquatũ quodammodo ius promiscuæ multitudinis

& pri-

& primorum ciuium videretur. Adulantur iuniora seruitia domestica ætatis consimilis dominis suis sub spe futuri post orbitatem coniugii. Nec id fere successu infelici, cuius rei passim cernimus exempla in frequentibus ciuitatibus. Adulantur alienis bonis ac patrociniis incumbentes, idcirco dicti hæredipetæ, ex deliris senibus dementes interdum facientes. Adulari præterea certarum nationum populi plus reliquis videntur, vnde amplexatio illa & benigna susceptio ignoti cuiusuis hospitis apud Aduaticos cui non videatur adulationis simillima? Quapropter si forum, areæ porticus, rostra curia, scholę libri, ac ipsa propemodum templa, vindicare tuerique se plane ab adulationis nota suspicioneque queunt. Si omnis ordo, sexus, ætas, gens, natio est huic crimini obnoxia, magna profecto fuerit iniuria solam Principum aulam tanquam singularem sedem & domicilium adulatorum accusare. HVT. Rem ad viuum vsque resecare mihi videris. Et quamuis vrgeas multum nondum euicisti, vt persuasum habeā aulam vacare adulationis vitio. MEN. Nec eo nostra tetendit contentio. HVT. Et facis tu quidem medicorum in morem. Horum namque est, vt desperata sanationis integritate ceu ambages & diuerticula quærant. Si igitur parum prospero succedat ἀντίστασις, παροχίσμου adhibent. Ita à te factum videmus. Nam cum diffidas causam aulæ plane defendi ab accusatione proposita posse, crimen statim deriuas ad alios, nihilo tamē magis aulam relinquens expurgatam, cum in ipsius, vt ita dicam', corpore alioqui insideat malum pistrinum. MEN. Si dixero innocentem ac tutam opera nostra aulam ab adulationis vitio factam, mentiar profecto. Sed si meum fuit studium, crimen impositum cum aliis quoq; participandi attenuandique; atq; ita, vt tandem ostensum sit penes vrbanos populos maiorem esse culpæ partem: à te prouoco & æquum appello arbitrum. HVT. Vt me factiosum haberi intelligam? MEN. Sic

existimes velim: Eum qui ad iudicandum accedere velit, duas conditiones necessario habere, Quarum altera est, vt priuatis affectionibus minime corripiatur: altera, vt doctrinam peritiamque teneat iudicandi. Nam sic Aristoteli philosophorum omnium post Platonem Principi video in Ethicis suis placere. Ac fortasse Platonem non refragetur. Imo neque tota Theologorum turba. Sed quid illud? Si doceamus circa vim & proprietatem nominum pueriles prope errores admitti, & conuerti passim ad opinionem assentationis eam, quæ vere sit εὐτραπελία, quo verbo intelligimus gratã quandam morum elegantiam & sermonis festiuitatem: licet angustius rem totam capientes, vnius comitatis verbo designent munus naturę gratuitum ac paucis vere concessum, & quod à studio & arte frustra fortassis expetatur, nisi quod artis adminicula naturæ benignitati plurimum suffragari concedimus, vt mihi iam sit sententia cum Platone decernente in Gorgia suo non esse studium artificiosum adulationis, sed sagacis animi apti natura atque potentis ad hominum studia sibi concilianda. Quia tamen εὐτραπελίαν interdum quidam naturæ quadam malignitate insita secus, ac decet, accipiunt: nos freti conscientia recti honestiq; patiemur potius plus apud nos officii residere, quam id committere vt fuga calumniæ obtrectationisque alienæ parum fuisse humani officiosique videamur, libenter nos accommodaturi ad iussionem Sapientis illius inter reliqua sua prouerbia dicta nos admonentis, vt linguam habeamus εὔχαριν. Idem docuit Paulus in Epistola scripta ad Colosſ. vt sermo noster sale sit conditus. Sed quid? Quod veteres nunquam sua sacrificia peregerunt absque sale. Inde relicto documento nobis, & sermonem & actionem omnem, nostram habere gratiam & decentiam quandã debere. Sed quid indignentur soli aulici de accusationis inuidia? quum legamus Paulum apostolum apud Thessalo, à se deprecari crimen adula-

adulationis. Et Christum se purgare coactum à Iudæa gente, quod familiarius blandiusq; se dedisset in cœtus & societates hominum peccatorum. Quis non putaret prophetam Nathan adulatum fuisse Dauidi Regi mollius timidiusue increpato proposita parabola ouis & diuitis ac pauperis? At si spectemus consilium prophetæ, nihil habemus quod ipsi exprobretur. Viderat namque quale suscepisset ingenium curandum. Igitur sumens initium à leni placidoq; sermone, & per interrogationem ænigmaticã ex more scholę stoicæ ingressus hominẽ ad agnitionem pœnitentiamq; commissi errati perpulit. Quis nõ crederet etiã adulatum Dionysio Syracus. Platonẽ fuisse, dum causam suam parẽ cum causa Aeschinis faciens, sese in gratiã insinuat Dionysij, his verbis exordius: Si quem senseris inimicũ in Siciliam appulisse Dionysi, qui mali quippiã tibi facere voluerit. Cæterum nõ data oportunitate nihil mali fecerit, num hunc sineres abire, citraq; noxam dimitteres; Multum abest, inquit Dionysius, vt id faciã ô Plato. Oportet enim hostium non facta tantummodo, sed animi quoq; propositũ odisse & ylcisci Ergo si quis, inquit, Plato, ut amore beneuolentiaq; huc profectus boni quippiã tibi cupiens afferre, non faciat autem te non præbente illi opportunitatẽ: num par est hunc nulla cum gratia contemptum abiicere? Hic cum iam Dionysius interrogasset, quisnam is esset, Aeschines, inquit, vir & morib. us cum quouis amicorũ Socratis cõferendus, & qui possit dicendo meliores reddere cum quib. hcbeat consuetudinẽ. Is cum huc multũ e mensus maris adnauigauerit vt philosophiæ cõmendatione tecum, haberet consuetudinẽ, neglectus est. Hæc Platonis oratio eo permouit Dionysium, vt protinus illum complecteretur beneuolentia & familiaritate: quem prius suo congressu dedignabatur, ingenio & studiis hominis plurimũ delectatus Aeschinem vero etiam honoribus afficeret. Hæc Plutarchus. Vides ne modo quam nobis promptũ sit adulatio-

lationis nota respergere grauissimum sanctissimumq; philosophum, vbi paulo superstitiosius studiū propositumq; ipsius fuerimus interpretati? iam vero ad Eutrapeliam referimus illam vendicationem studiosam officii sui erga alium, qualem peruersus & malicioſus interpres facile cōfundat cum adulatione, vbi vel mōdica deflexio fuerit à mediocritate. HVT. Difficilius est conseruatio mediocritatis. MEN. Hoc igitur cognoscentes non temere delabemur ad licentiam iudicandi, nisi sit excessus multus vltra mediocritatem, & certa exploratio vitiorū alterius. Quod si præstat in alterutram partem peccare, in cautiorē partem potius peccauerim, nempe vt bono, vel saltem non pessimo animo quid factum diludicem, & quod defendi nequit, purgem: quod purgari non potest, excusem: & pro studio necessitatem, pro consilio imprudentiam, pro voluntate subiiciam casum, vel quod restat postremum, vt iudicium meum silentio significem dubium. HVT. Vtinam eo ingenio cuncti homines essent præditi, & quietius & sanctius passim viueretur. MEN. Suauitatem igitur sermonis & delatam vltro gratificandi voluntatem qui subinde suspicatur ad fraudem & insidias tendere, dignus profecto est, vt in suspicata mala incidat. Verū reperiuntur certi homines perpetuo materiam circumferentes timoris & suspicionum, vt sub blandis sermonibus dolos tegi putent & adulationem arbitrentur, natura videlicet melancholici, alieni ab homini humanitate, difficiles, increduli, morosi, lucifugi, soliuagi. Quidam ex his plane fiunt μισάνθρωποι, hos nauibus simul impositos mittemus Anticyras, vt hausto veratro mente ipsi redeant meliore. HVT. vel potius tanquam insanabiles suis moribus relinquemus. MEN. Vt igitur propositum argumentum luculentius exequamur. Humiliores quoque decere mihi videtur alacritas & expedita quædam officii sui promptitudo. At Principis beneficium fortassis gratius reddat

dat ornetque sumpta modici temporis deliberatio, vt iudicio ad dandum ductus non impetu fortuito raptus fuisse videatur, in homine inferioris notę mora omnis odiosa. Iuuat recitare ex Plutarcho bellam quandam facetiam huc pertinentem. Sic enim habet ille in vita Demetrii regis: Demetrius Antigoni filius, quam de victoria nauali apud Salaminam parta, nuntium Aristodemum misit. Is tunc ex his rebus blandiendi occasionem nactus, rem inuenit qua in Antigonum vteretur adulationi accommodam. Nam quum è Cypro decedens prope eum locum venisset, vbi versabatur Antigonus, iactis ancoris procul à littore: nauim consistere & nautas omnes quietem ac silentium agere iussit. Ipse deinde scapham conscendens cunctis aliis qui secum venerant in naui relictis solus continenti applicuit. Erat eo tempore Antigonus in magna solicitudine constitutus quod expectabat, vt par erat, incredibili cura ejus pugnæ euentum, quæ iam fuerat apud Salaminam commissa, cupiebatque vehementer audire, quam fortunarum Demetrius filius habuisset, quum sibi allatum est venisse tunc iamq; prope adesse Aristodemum Milesium, Minoum à Demetrio missum. Subita re perculsus Antigonus, quum vix seipsum domi continuisset, extemplo alios atque alios obuiam Aristodemo mittit. Qui cognitis omnibus quæ ille afferebat summa cum celeritate ad se reuertantur. Is autem quum nihil percontantibus responderet, tum lento gradu tacituſque veniret, magis quam vnquam antea perturbauit Antigonum, atque incredibili vrgente animum cura, quum se amplius continere non posset, vsque ad fores citato gradu obuiam Milesio accessit. Ille vero stipatus frequenti hominum turba, quæ vndiq; rei nouitate commota ad regiam confluxerat, vt prope Antigonum venit, porrigens dextram alta voce exclamauit: Salue rex Antigone, pugna nauali regem vicimus Ptolomæum, & Cyprum tenemus, & militum

litum captiuorum supra decem millia in nauibus nostris habemus Exhilaratus Antigonus & tu per Iouem, inquit salue. Sic autem nos vti ere voluisti Milesi? par profecto referam pari. sero enim præmium reportabis. HVT. Meretur profecto Milesius nullo amici præmio: Homo nequam, qui dominum suum ludificaretur, & longæ expectationis molestia torqueret. Decet enim bene institutam familiam, sicuti retro attigisti, obsequium suum domino prompte & liberaliter deferre, ostentatione simulationeque omni postposita: nec ad oculum seruire, vt Ephesius suis olim scripsit ille. MEN. Nec Milesij nec cuiusquam hominis fucum probamus. Sed tamen placendi sui gratificandique studium non est cur necessario ac perpetuo referendum putemus ad assentationem. Mihi quidem videtur ipsam natura nos genuisse instituisseque ad blanditiarum, vt sic dixerim, inuitamenta, tanquam nobis necessaria. Quandoquidem cernere licet in tenellis adhuc pueris & infantibus quædam propria blandimenta. Hinc illa subblesitas linguæ & lallatio verborum, & renidentes ac gratum quiddam spirantes oculi, & cætera quæ vsus quotidie docet, quam vt ea opus sit copiosius persequi. Quam certe oris vultusque gratiam, nunquam nobis concessisset sagax & ad omnia prouida natura, vel potius author naturæ Deus, nisi profuturam intellexisset ad leniendas multas & graues nutricum molestias pro ea ætate sorte susceptas. Præterea pacari videmus choleram commoda blanditie verborum, & concordi cum his gestu vultus corporisque. Iam vero vt quodque animal sese magis insinuat in conuictum consuetudinemq; nostram, ita plus aliquid habet, quo placendi studium demonstret. Adblanditur nobis aurium vibratione equus, cantus modulatione volucris, iactatione caudæ canicula, vt de reliquis interim taceamus. Ego quidem sic statuo, res omnes creatas esse non modo ad sublevatio-

uationem quotidie ingruentium nobis neceſſitatum, verum etiam ad fructum voluptatum quarundam honeſtatum. Ne autem ſingulas quaſque partes conſectando digredi videar ab inſtituto ſermone, vocis humanæ ſaltē mentio fiet. Eius in primis facultas actuſq; eſt, vt expedite locutus aperte intelligatis Alter, vt gratiam & feſtiuitatem ſermo tuus habeat, vt interroganti benigna deſ reſponſa, doceri cupientem, humaniter erudias, acceptum hoſpitem exhilares, mœſtū quemque ſoleris, affabilē te cunctis præbeas, peccantē modeſte obiurges, ſic tamen vt decorū officij interim meminerimus obſeruare, & ratio geratur circūſtantiarū. Nempe loci, temporis, rei, perſonæ, quam & tu & alter ille ſuſtinet apud quem ſermo tibi inſtituitur. Quamobrem ſi natura nos finxit ad comitatē affabilitatemq;, ſi placido deniq; ſermone bilis bonæ valetudini infeſtiſſima ſedatur, & in rabiem acti homines mitigantur: non video cur blandius loquendi mos debeat in crimine poni, aut cur metu interpretationis peruerſæ pœnitere nos humanitatis comitatiſq; noſtræ debeat: Plato ipſe grauis & ſeuerus philoſophus moleſte tulit in diſcipulo ſuo Xenocrate Chalcedonio adoleſcente triſtem vultus auſteritatem. Admonere eundem per iocum ſolitus, vt Gratiis ſacra faceret. Illud videl. ſignificans, vt quantum naturæ defectu acerbitateque demptum Xenocrati fuiſſet, tantundem ipſe ſtudii diligentiæque adferret in vitio naturæ corrigendo. Vides ne modo tetricam oris vultuſq; ſpeciem illis ipſis ſapientiæ ſeueritatiſque profeſſoribus diſplicuiſſe? Quo minus damnandi ſunt aulici noſtri aut vlli reliquorum mortalium, ſed ad ſtudiū gratificandi ſeſe prorſus cōponant, modo fide nitantur & amore. HVT. Communis eſt mos Gnathonibus iſtis aulicis, vt profiteantur ſe admiratione Domini ſui virtutum captos retineri apud aulam, quum re vera ſolummodo aſpirent & ampliores opes facultateſque comparandas, vel cum damno

Principis irreparabili. Tantum abest, vt fidem studiumque suum ex animo & vere prædicent. MEN. Si huius acerbitate censuræ taxas cunctos aulicos, erras multum. Siquidem perrari conseneſcunt in domibus Principum. Cæterum ſapiens Princeps, qualem ego volo, liberalitatis ſuæ documẽta copioſe declarabit in muneranda fide integritateque miniſtri ſui. Sin autem erit, cuius auaritiam nulla ſaturare beneficentia Principis valeat, omittetur, ceu noxius quiſpiam fœnerator ciuium ſuorum ſubſtantiæ quotidie incubans. HVT. Quæ de adulatione hactenus docuiſti, teneo, & illum fructum ex ea diſputatione collegi, vt videar mihi notionem ac diſcrimen aliquod percepiſſe inter ſe hominis adulatoris & officioſi. Effeciſtique vt neceſſario confitear illud crimen cum aulicis eſſe commune multis aliis quoque. Sed quid nunc de faſtu & ſuperbia aulicorum ſatis, vt dignum eſt referri poteſt? vitio, inquam, quo non aliud deteſtabile inuiſumue magis ſit Deo: Scis quid ſibi velit myſterium illud lapſi in fulguris ſpeciem Sathanæ à cœlis. MEN. Expecto dum quid velis. HVT. Grauiſſima & fœdiſſima flagitia celerrimo plerunq; impetu olim vindicata legimus. Iam te expendere mecum decernereque velim, num quid penetrantius velociuſq; ſit fulgure. MEN. Nihil ſane rerum omnium quæ corpore & ſpiritu conſtant, quandoquidem tantum orbis terrarum ſpacium quantum acies oculorum metitur, vnius ictus momento peruadit fulgur. HVT. Ex hac nimirum fulguris comparatione potes intelligere perodioſam Deo ſuperbiam, vt quam non interpoſita mora paulatim à ſe magis atque magis alienauerit, ſed ſubito ac repente in barathrum inferni præcipitem egerit. MEN Agnoſco grauitatem vitii. Tametſi fateri licet omnibus modis intolerabilem ſuperbiam Deo Optimo Maximo inſultantem. Nihilo ſecius in vniuerſum quamlibet ego ſuperbiam damno.

HVT.

HVT. In aulis Principum maior est huius insolentia vitii, quam vsquam terrarum alibi. Habemus ad manum testimonium Christi confirmantis alumnos regios molliter & delicate vestitos, (vt interim recitationem exemplorum omittamus,) vestitos, inquam, purpura, bysso, holosericis, multiciis: huc refero torques, annulos, phaleras, omnis generis lapillos pretiosos à remotissimis partibus terrarum petitos auctaque in immensum eorundem precia procerum aulicorum ambitione. MEN Exterior idemque consuetus nobilitatis ornatus iste indicat quidem superbiam, at non necessario coarguit, nisi forte illic emineat ἀπειροκαλία. Cæterum sæpe in splendida preciosaque purpura animus latuit demissus & humilis, contraque sub pannoso sordidoque pallio vasta mens & clara. Superbia internum est malum nascitur ab amore suimet, vt qualis tibi videris intus, talis cupias foris haberi. Alitur autem prosperiori successu rerum nostrarum, sic vt iudicij proprij errore tribuamus prudentiæ naturæue dotibus, quod debebatur fortunæ. Qui falsus error vbi iam coaluerit opera industriaq; adiutus adulatorum, conclamatum est de spe recti iudicij futuri, quoad fortuna manebit propitia Sed valet hic natura plurimum sicuti alibi quoque. Tradunt astrorum periti, vim & affectionem Iouis syderis in nobis excelsos magnosque animos gignere, itidemque copiam boni purique sanguinis & flauæ omnino bilis: sicut è diuerso atræ bilis multitudo pusillanimitatis & suimet diffidentiæ causa creditur. Porro consectantibus nobis naturam proprietatemque nominis apparet superbum iure dici, quisquis sese effert supra modum ordinis fortunæque suæ, & æquales aut meliores se contemnit, inferioreue loco à sese habet. Cuius ego contemptus fastidium adeo non tolero æquanimiter, vt multo rectius sapientiusque facere censeam, qui minus sibi ipse, quam par est, tribuit quam qui plus

aliquanto: probemque mirifice consilium Pauli Philippensibus suis optimam viam monstrantis declinandi fastum & arrogantiam omnem, vt si quis alium se existimaret præstantiorem, arbitratus est vir optimus & prudentissimus inductione hac animi voluntaria futurum, vt melius vitæ suæ ratio cuique constaret, nec efferretur animus plus iusto, si subinde nobiscum repeteremus cogitationem imbecillitatis propriæ. Quamquam quod ad inutilem istam æmulationem vestitus pertinet, existimem facile posse nostri temporis mores ad exemplum frugalitatis priscæ reuocari, si legibus editis appositisque pœnis restringantur luxus & licentia ornatus, idque exemplo latarum olim L. L. Oppiæ & Gabiniæ. Quod si meum consilium procedet, cohercebuntur nonnihil sumptus immodici plebeiorum circa ornatum vestium. Valebit hoc ad firmiorem constitutionem quietis communis. Siquidem diuites & nobiles tacita quædam capit indignatio tanquam æmulationis iniustæ obiectæque necessitatis augendorum sumptuum. & tenuiores secum ipsi certamen suscipientes circa cultum splendoremque exteriorem sibi modum statuere non dedignerunt. Et est res ista alioquin DEI OPTIMI MAXIMI legibus aduersa, aduersa bonis moribus & exemplis, aduersa naturæ, paucis nos contentos fore iubentis.

HVTTEN. Verum in palatiis Principum maior assiduitas æmulationis, quam alibi, videmus coquos & atrienses ornatum modo sibi sumere procerum.

MEN. Si hic forte ab vno alteroue peccatur, immerito vniuersa simul aula communi crimine inuoluitur. Quin vidimus nos quandoque satis probe multatam æmulationis impudentiam & reiectos turpiter ab aula humiles illos genere & fortuna, sed nimia elatos superbia ministros melioribusque se conatos æquare, quo minus illic propriam firmamque sedem sibi constituisse superbiam putabimus.

HVT. Eodem

Eodem subinde mihi videris reuolui, vt aulicæ gentis vitia familiariter alijs quoque impertias, nullâ velis aulæ propria. Sed quæ de superbia dixisti, satisfaciunt ad præsens, dum id vitium contendis animi magis quam corporis, naturæ potius esse quam fortunæ, & remedium ostendis facilimum, vtilissimumque aduersus æmulationem ornatus nimium hodie consueram indiesque magis crescentem. Quamobrem à disputatione præsente feriari cupientes, qua de studio & more calumniandi & adulandi superbiaque aulicorum sumus altercati, quod disputationis superest, cras & reliquis deinceps diebus persequemur, interea te valere iubeo MENAPIVS. Placet sententia. Et tu quoque

VALE.

RERVM

# RERVM ET VERBORVM, QVÆ TVM in quatuor BALTHASARIS CASTILIONIS Comitis de Curiali siue Aulico libris, tum in subiuncto Gulielmi Insulani Menapii Greuibrugensis de Aula Dialogo comprehenduntur, Index locupletissimus.

A


ABbatis cuiusdam crassum responsum 153
Per accidens delectantium & offendentium exempla 93. 94
Achilles & Vlysses, humana vita exemplaria 319
Actio loquentis affectionem exprimere debet 60
Actionis dignitas qua re violetur 49
Actionis dignitas quomodo acquiratur ibid.
Actionis dignitas docendo inculcari non potest 48
Actionum differentia, ex I. cap. 1 Ethic. ad Nicomach. 126
Actiua vita finis speculatiuus 300
Adamantus 357
Adamatis corporis sine animo nulla possessio 192
Adolescentum cum senibus comparatio 110
Adolescentum virtutes & vitia 110
Aduatici adulatores. 385. (ibid.
Adulandi materia copiosior in vrbibus, quam alibi 382
Adulatio dilemmate deprehendi potest 374
Adulationis Christus insimulatus 386
Adulationis D. Paulus insimulatus ibid.
Adulationis fucus quando se aperiat 274
Adulationis multa speciem habent, eiusdem tamen expertia 387
Adulationes heredipetarum 385 sustitorum 384. iurisconsultorum 383. medicorum. ibid. mercatorum 384. patrumfamilias. ibid. Principum. ibid. professorum scientiarum 382 rectorum ciuitatum 384. rhetorum 383. Theologorum. ibid.
De Adulatore 373. & seqq.
Adulator quid spectet 374
Adulator sacrilego comparatur 370
Adulatoris artificium in quo consistat 373
Adulatoris crassi descriptio 375
Adulatoris ingenium in omnem par-

partem versatile 375
Adulatores an delatoribus nocentiores 370
Adulatores seditiosi 380
Adulatorum mater frequentia in ciuitatibus, quam Principum palatiis 378, & seqq.
Adulatorum improbitas qua re maxime alatur. 378
Aegyptia pyramides in quem finem extructæ 302
Aemilia Pia 21
Aerumnosis ludicra sunt arumnarum incrementa 180
Aeschines à Dionysio Syracusano honoribus affectus 387
in Aesopo quid Socrates desiderarit 95
Aetas constans seu medica (seu status virilis) omnium perfectissima 110
Aetas nostra præstantiorum virorum feracior quam superiores 96
Aetatis iuuenilis officia 111
Aetatis nostræ homines cur & vitia & virtutes altius imbibant 96
Affectatio curiosa fugienda 49
Affectata incuria curiositas videtur 50
Affectiones humanæ quomodo comparatæ 93
Affectiones temperantia limata virtuti suffragantur 291
Affectus interiores comparatione rerum externarum non-nunquam diiudicantur 128
ex affectu, non ex aspectu nascitur amor 87
Agendi laus duabus rebus continetur 280
Agesilaus Xenophonti paruit. 283
Alcibiades 243
Alcibiades cur virtutibus literarum studia coniunxit 73
Alcibiades instrumentale musicam repudiauit 180 (46
Alcibiadis in omni re peritia.
Alexander an Achilli præconium Homeri inuiderit 77
Alexander Magnus armis ne an literis plus tribuerit 78
Alexander Magnus musica & incensus & placatus 80
Alexander Magnus Homeri venerator 73
Alexandri M. continentia 237
de Alexandri Magni continentia iudicium 242
Alexandri Magni in Aristotelem amor 310. mira in iaculando dexteritas 131. magnificentia 309. de mundorum infinitate vox & lachryma 41. quatenus probanda. ib. victoria ad communem totius orbis vtilitatem redundarunt 310
de Alexandro Magno & Apelle historia 85

Alexan-

Alexandra Alexandri Iudaici uxor 219
Alexandra iudaica oratio 220
Alis id alia idonei 117
Alphonsi regis Aragonia iocus in furem annulorum 171
Amalasunta 231
Amans amatæ mancipium 263
Amans, pectus inflammatum, linguam frigidiorũ habet 256
Amans, qui solo corpore potitur, forma non fruitur 325
Amantis fastidium in amatam Vnde promanet 325
in Amantis pectore ignauia sedes nulla 251
Amanti cuique quid religiose obseruandum 192
Amantiũ diuersa studia pro forma, muliebris varietate 259
Amantium in corpore amando error 325
Amantium illecebra 249. (31
Amantiũ leues sunt suspiciones
Amantium multitudinem pulchritudinis testimonium putant fœmina 258
Amantium officia 263
Amantium vehementiores affectus quas nebulas eorum mentibus offundant 25
Amantium vita misera 29
in Amore quid de muneribus sentiendum 193
Amatorum mulierum quodnam pabulum suauissimum 272
Amator rationalis 337
Amatoris mens, amata pedisequa 264
Amatoris stulti exemplum 269
Amatorii exercitii modus 251
Amatores sinceri quid spectent. 192. 193
Amatoriorũ spirituum in oculis scintillantium effectus 334. 338
Ambiguorũ multa sunt gen. 159
Ambitio hodierni seculi notata. 378
Ambitio hominum supra se collocat 99
Ambitiosi & inuidi natura 138
Ambitio est sollicita 116
Or Ameris, amabilis esto 262
Amicitia hypocritica 142
Amicitia nomen sacrosanctũ 128
Amicitia, religiosum fœdus 129
in Amicitiis existimationis vis magna posita 127
Amici veri hodie perpauci. ibid.
Amicus, alter idem ibid.
Amor quid 324. (spectu. 87.
Amor ex affectu, affectus ex amore metaphysicus. τὸ ὄντως, τὸ ὂν 340. & seqq.
Amor muliebris Granatam expugnauit 252 (257
Amor non est in potestate nostra
Amor rationalis & eius commoda 339
Amor rationalis gradus ad superiorem quendam & diuiniorem amorem 340

Amor senilis & verus 323, 324, & seqq.
Amor in senili æta. ridiculus 108
Amor sensualis quomodo à corde arcendus 334
Amor sensualis, infestissimus rationis inimicus 326
Amor sensualis in iuuenilibus excusandus 327
Amor signis magis quam verbis contestandus 264
Amor sincerus vulgari oppositus 334
Amoris argumentum quodnam luculentissimum 336 (88
Amoris causa non forma tantũ
Amoris fama quandoque causa
Amoris lex 263 (266
Amoris mulierum insani exemplum 133. 134
Amoris nuntii oculi 265
Amoris, qui non nisi in corpus fertur, incommoda, 325, 326
Amoris principiis obstandum 29
Amoris sensualis incõmoda 338
Amoris synceri elogia 343
Amoris vera ratio, seu forma essentialis 325
Amori non contactu, nedum concubitu, sed visu & auditu solis opera datur 335
Amori venia danda 192
Amorem nimis celare obest 271
Amorem viri liberius, quam mulieres profitentur 256
ab Amore immunis, multarum expers ærumnarum 322
de Amore multis locis sparso simile 262
de Amore philtris carminibus, susurris somniferis conciliato quid iudicandum 193
in Amore præcipites omnia primo impetu perdunt 264
Anglorum aula, Vrbinatium nulla re inferior 4
Animæ humanæ facultates principes duæ 302
Animam Deo lucrifacere quæstus longe vberrimus 27
Animo seruitio, corporis imperio multi magis vtuntuo 295
in Animis hominum multi sunt recessus & Mæandri 128
Animus magnus quid 216
Animus malus felicitatem ferre non potest 298
Animus humanus in amore varius 25
Animus humanus ad sensus procliuior 338
Anna Gallorum regina 231
Arma literis, an literæ armis sint ornamento 77
Antiquæ voces vbi vsurpandæ 59
Antiqui vtrum antiquiores sint imitati in dicendo 64
Antiqui Deo vtrunque sexum attribuerunt 2
Antiquis verbis nimis esse addictum, est à frumentis ad glandes redire 59
Antiquitatis in loquendo affectatio futilis & inanis 64. An-

Antiquitati in verborum vsu non nimium tribuendum 59
Antonius melius locutus quam scripsisse putabatur 11
Apelles 5
Apelles Protogenis immodicam diligentiam reprehendit 51
Απειροκαλία 393
Apophthegmata & facetiæ natura potius quam artis esse videntur 143
Apes monarchia delectantur
Appetitus cur in iuuenibus dominetur 326
Appetitus quoties rationem vincit, insciliæ semper ministerio adiuuatur 289
Appetitus vnde nascatur 324
Aquila magnanimitatem natura inseuit 111
Argentinæ Thomæ Pisani vxoris lætitia inopinata subitaneā mortem attulit 225
Argutum leguleii cuiusdam responsum 160
Argutum obesè cuiusdam responsum 160
Aristocratia 294
Aristocratia degenerat in oligarchiam 294
Aristodemus tyrannus 298
Aristoteles in Alexandri Magni ingenio fingēdo quo spectauerit 320. Alexandro M. prima literarum elementa instillauit 48. vtrum musicus & saltator fuerit 321. vtrum vitam aulicam improbaris 320
Armonia Hieronis Syracusani filia 220
Armorum in pace vsus vbi 44
Ars sine stilo nihil aut parum (valet 383
Artemesia, 235
Artis est artem dissimulare 49
Arundinis ludus 102
Asinus canis blanditias stulte imitatus 117
Aspasia 226
ex Aspectu nasci amorem, quatenus verum, quatenus falsum 87
ex aspectu quomodo nascatur amor 334
Assentatores necdominos amant nec amicos 113
Assentationis stultæ exemplum ab asino ductum 117
Assiduitate omnia vilescūt 106
Astus omnis simulatione tegitur 381
Astutia nomen vnde ductum. ib.
Athus mons 309
Auari exemplum dispendium pluris quam suspendium pendentis 169
Audere plus æquo in rebus magnis, hominis est parum confiderati 4
Augurum de Dario omen 124
Augustus 377
Aula num singularis adulatorum sedes 385

Aula Sophi Persæ celebris 200
Aula Turcarum celebris ibid.
Aulæ natura 368
Aulæ Principum Germaniæ 365
Aulæ scurris carere non possunt 148.
Aulæ superbia solennis 392
Aulæ vituperatores in accidentibus tantũ sese jactitant 354
à singulari vel particulari ad vniuersale argumentantur ibid.
Aularum fatale malum 114
Aulica mulier 203
Aulica mulier affabilitate jucunda præstare debet 204
Aulica mulier mortalis quædã dea esse debet 208
Aulica mulier quarum rerum perita esse debeat ibid.
Aulicæ mulieris descriptio 202. & seqq.
Aulica præcepta tradere, res est accurata 14
Aulicam mulierẽ de amore commentantem quæ deceant 255
Aulicalitas vox inaudita & absona 16
Aulic⁹ armamentis omnib. apte & artificiose vti sciat 43
Aulicus Castilionis Reipublicæ Platonicæ & Tulliano Rhetori similis 314.348
Aulic⁹ quæ certamina, quos adversarios fugere debeat 104
Aulicus cur Curialis in hoc opere sæpe appelletur 16
Aulicus currendi, prosiliendi, saxi etiam projiciendi facilitate valeat 45
Aulicus flagitioso principi ne inseruiat 120
Aulicus à fraudibus & insidiis sit alienus 268
Aulicus honores oblatos quomodo accipere debeat 116
Aulicus ne sit histrio aut vultuosus 152
Aulicus ne sit inuidus 119
Aulicus ne sit maledicus 114
Aulicus musicæ peritiam non ostentet 107
Aulicus φιλαυτίαν & φιλαυτολογίαν fugiat 40
Aulicus populari applausui in nonnullis se accommodet 45
Aulicus prima existimationis suæ fundamenta prudenter ponat 136
Aulicus, Proteus quidem esse debet 130
Aulicus quãdo manus cum alio conserere debeat 43
Aulicus qua ratione inuidiam declinare possit 45
Aulicus rarissime à Principe aliquid emendicet 115
Aulicus quibus literis excultus esse debeat 75
Aulicus sit Topicus Dialecticus 119.
Aulicus subtilitatem facetiis,

facetiæ subtilitate permutet 142
Aulicus venationem non aspernetur 45
Aulicę quomodo vitā & actiones omnes componere debeat 100
Aulici descriptio apud Lucianum 364
Aulicæ præcipuæ partes in quibus consistant 38
Aulici forma omnibus numeris absoluta à Castilione expressa 13
Aulici perfecti meta 280
Aulici primum requisitum, familiæ splendor 34
Aulici apud Principem prima cura 38
Aulici cum Principe commercio 113
Aulici vestitus 125.
Aulici virtutib. an parētū ignobilitas tenebras offundat 37
Aulico acumen ingenij necessarium 36. amicorū electio considerandā 127
in Aulico ars in equum insultandi requiritur 45
Aulico chartarum pictarum & tesserarum ludus an conueniat 130
Aulico quæ corporis habitudo conueniat 43
in Aulico describendo certis & destinatis præceptis author non instituit 18
Aulico facies honesta necessaria 36
in Aulico Musica tum vocalis tum instrumentalis requiritur 79
in Aulico nihil sit dissonum 103
Aulico luctandi & supplantandi notitia necessaria 43
Aulico omne solum patria esse debet 119
Aulico pictura seu ars pingendi necessaria 82
Aulico pila palmaria cur non indigna 45
Aulico quando miti, quando feroci esse conueniat 40
Aulico quatenus jocus concessus 46
Aulico quænam ludicra indigna 45
Aulico suspicio timiditatis vitanda 39
Aulico vtrum amatori esse liceat 322
Aulicum quod genus vestitus deceat 124. 125
Aulicum omnium horarum hominem esse oportet 44
Aulicum saltatio curiosa non decet 105
Aulicorum fortuna dubia 366
Aulicorum ingenia 369
de Aulicorum vestitu vox Christi 392
apud Aulicos duæ artes in frequenti vsu 369

*Aures & oculi animæ meatus* 336
*Axiomatis* (posito vno contrariorum, ponitur & alterum) *vitiosa interpretatio & applicatio* 95

B.

*Beatus quis vulgo dicatur* 377
*Beatissimus* 377
*Beatitas & mortalitas se mutuo perimunt* 377
*Beatitudo vera quæ* 377
*Beatrix Ducissa Mediolanensis* 234
*Belluarum ingenium in ipso aspectu eminet* 330
*Bellum quo fine gerendum* 300
*in Bello quæ nam virtus primas teneat* 391
*Bellorum finis* 102
*Benefacta male locata, malefacta* 366
*Bilis atra effectus in homine* 393
Bischizzi *quid Italis* 160
*Blanditiarum commoda* 390
*ad Blanditiarum inuitamenta natura videtur hominem genuisse* 390
*Blandus loquendi mos in crimine poni debet* 391
*Boccacius & Petrarcha de lingua Italica optime meriti* 56
*Boni vocabulum aquivocum* 367.
*Boni ex suo ingenio alios judicant* 375
*Bonum publicum rebus omnibus anteponendum* 376
*Bona corporis & fortunæ bonorum animi instrumenta* 307
*iis, quæ bona sunt, omnibus forma quædam & pulchritudo inest* 279
*Bonorum diuisio* 279
*in Bonorum animos suspiciones non facile illabuntur* 375
*à Bonis abest temeritas judicandi* 375
*Botton* 177
*de Bubulco quodam historia ridicula* 183
Burlas *Itali quos appellent* 16

C.

*Cælestia corpora inferioribus caliditatē immittunt* 215
*Cælestis vis amicitias conglutinat* 128
*Cælestium corporum inclinatiōes amicitia conglutinantur* 128
*Cæsar quæ interdiu gessit, noctu diuinissime scripsit* 73
*Calamitates cur inuectæ* 95.96
*Calamitosi miseria non est ridenda* 148
*Calfurnius vnde dictus* 162
*Callisthenes reprehensor intempestiuus* 320
*Calor causa lætitiæ* 214
*Calor frigore multo nobilior* 214
*Calustici laus* 113
*de Camma Synati vxore historia* 223

Campi aspes pulchritudo 88
Campi Elysii 338
Capua à Gallis direpta 246
Canticum canticorum Salomonis 253.337
Cardinales omnes hac oratiuncula continẽtur: Oremus pro schismaticis & hæreticis 162
in Cardinales quosdam duos jocus pictoris cuiusdam 174
Carnispricium 186
Carolus V. Imperator 311
Castilionis laudes 13.14.15.
Casus humani prudentia corrigendi 305
Catenis aureis vinciri idem, quod ferreis 363
Catilinaria conjuratio ab infima sortis muliere primum in lucem delata 229
Catoni facetiæ ironicæ familiares 171
Causidici injusti 304
Cerua, Minerua 333
Cerui monarchia delectatur 293
Charis in jocando parcendũ 148
Chiro Achillis præceptor 80. Achilli musicam permisit ibid.
Chium oppidum à mulieribus defensum 229
Choreæ mimicæ 147
Cicero dictionem Galbæ propter antiquitatem reprehendit 59 multa Catonis verba repudiauit 59. nonnullũ phrasib. aliter vtitur, quam alij autores 69. nec solus nec semper imitandus 8. quando nõ imitandus 8
Ciceronis imitatio 65. eius aptæ imitatio 47. simile de ingeniorũ diuersitate 67. de sua Demosthenis & Aeschinis orationũ conuersione consilium vel potius querela 8. sententiæ quando historici, quando comici imitandi 8
Ciceronem laudant multi, sed laudes eius intelligũt pauci 69
Cimbræ mulieres 231
Cimon quo nomine male audierit 283
Circe 307
Circulatorum & circumforaneorum ingenium 189
Clearchus tyrannus 298
Clementissimus 376
Cleopatra 235
Clerki de Nizolio judicium 8
Clerki laudes 11.12.14.15. ominatio de judiciorum (quod ad huius operis translationẽ attinet) varietate 7. de Seneca judicium 9
Clerko latine scribere perfacile esse videtur 16
Cognoscendi modus triplex 324
Colores nigri aut fusci & subobscuri vestibus aptissimi 125
Colorum in vestibus splendor triumphis aptior 125
Colossi, ingentes statuæ 282

Comi-

*Comitas* 386
*Conflictus etiam felix, non tamẽ summe necessarius, est reprehendendus* 43
*Consilia euentis põderantur* 121
*Consuetudo linguarum magistra* 64
*Consuetudo multarum rerum magistra* 377
*Consuetudinis magna vis in vtramq; partem* 18
*Consuetudini cur hodie nihil juris in latinam linguam* 64
*Contareni de religionis labe ad Paulum III. querela* 384
*Continentia virtus imperfecta* 289
*Continentia videtur esse virtus ipsa tẽperantia perfectior* 290
*in Conuersionibus linguarum quid obseruandum* 7
*Contraria contrariis applicata multum in sermone venustatis habent* 163
*Contrarij vnius corruptio est alterius generatio* 95
*Contrariorum ad inuicem perpetua successio* 96
*Contrariorũ contrarij sunt effectus* 294
*à Contrariorũ aequalitate temperies optima nascitur* 215
*Corinna* 226
*Corpus à forma quiddam alienissimum* 339
*Corpus in generatione anima prius* 303
*Corporis adamati sine animo nulla possessio* 192
*Corporis dotes artificiosa solertia adjuuande* 207
*Corporis imperio, animi seruitio multi magis vtuntur* 295
*in corporis vitia acerbius inuehi non decet* 152
*Corpora mixta quanam perfectissima* 215
Corteganiam *quid Itali nominent* 16
*Crassi Mutiani saeuitia* 122
*Credulitas taxata* 255
*Crotonis quinque filiarum pulchritudo* 88
*Cucullus non facit monachũ* 126
*Culpa materia dempta, non relinquitur pœna locus* 372
*Cultus, corporis, immodici hypotyposis* 42
*Cultuum absonorum congeries* 126
*Cupido deum præposterus* 108. *senum corda suis flammis nonnunquã solet tepefacere* 108
*Curialitatis flores & fructus quinam* 280
Curialitatis *vox* 16
*Cyrus* 230

D.

*Damascus* 176
*Darij, gladij Persici in Macedonicum, mutationẽ quinam euentus exceperit* 184

Deformitas quid 330
Delatores an adulatoribus nocentiores 370
Delatores maleficũ & pestilens genus hominum 371
Delatores quid boni præstẽt 372
Delatores qui non castigat, irritat 372
de Delatoribus 370. & seqq.
Delatorum duo genera 370
Delatoribus fides abroganda 372
Delectantium & offendentium per accidens, exempla 93.94
Democratia 294. in quid degeneret 294
Demosthenis aduersus Aeschinẽ responsio de nonnullis verbis antiquis a se prolatis 69
Detrahere alteri, angusti est animi 204
Deus a Sibyllis oracula & futurorũ euentus peti voluit 226
Deus cur res secundas aduersis alternatim permutet 305
Deus quando maxime (secundũ Xenophontẽ) diligendus 305
Deus quibus principibus delectetur 296
Deo vtrunq; sexum antiquitas attribuit 213
Dicendi nouum genus suo Marte quidam adinuenerunt 66
Dicta seu dicteria quid 144
Difficilia quæ pulchra 55
Difficillima possibilia 314
Diffidere nimium insulsi timidiq; est 4
Diffidere sæpenumero prodest 313
Dignitas quid complectatur 47
Dignitas doceri non potest 48
Dignitatis & gratiæ vera formula 116
Diligentia immodica vitiosa 51
Diomedes Homericus 363
Dionysius Syracusanus plebeio & obscuro loco natus 380
Dionysius Syracusanus quibus artibus ad regnũ Siciliæ peruaserit 380
Dinonysius tyrannus libro lituris & maculis plenissimo comparatus 321
Diotima 226. 346
Discipuli probi officium 48. apũ solertiæ assimilatum ibid.
Dissimulatio in loco non reprehendenda 141
Dissimulatione industriæ gloriæ paratur 107
Diuitiæ virtutum organum 318
Doctorum, prudentiumq; judicium semper candidum & amicum 7
Domitianus delatores in asperrimas & remotissimas insulsas relegauit 371
Domitiani prouerbium in delatores 372
apud Dominum sæuum solidam inire gratiam difficile 366
Δοῦλοι ἀκροαματικοὶ 372

Ege-

E.

Ecstas adulationis mater 382
Electio unde nascatur 324
Elia currus inflammatus 343
Elizabetha Gonzaga Vrbinatium Ducissa 21
Elizabetha Anglorum Regina laus 3.4.5.15
Elysii campi 338
Epaminondas Lysia Pythagoreo paruit 283
Epaminondas Musicam adamauit 80
Epicharia libertina Romana 221
Epimethei fabula 285
Epistolarum vtilissitudo amicitiæ pabulum 353
Error facti ignorantiâ modi peior 33
Errores à natura liberali profusi, diligentia reuocandi 110
Errorib. aliorum qui delectantur, eisdem inficiuntur 205
Euæ peccatum, felix culpa 216
Euæ peccati incommoda ibid.
Exemplo proprio redargui, turpe 353
Exercitus amatorij πλάνις 251
Existimationis vis magna inamicitijs posita 127
Expectatio nonnullis grauis aduersaria 98
Experientia judicij mater 91
Externarum rerũ comparatione interiores nonnunquam affectus dijudicantur 125
Eutrapelia quid 384

F.

Fabius cognomento Pictor 82
Fabri Ferrarij cum Musico comparatio 109
Fabula de portis sine lingua loquentibus &c. 150
Faceti natura 181
Facetiæ & apophthegmata naturæ potius quam artis esse videntur 143
Facetia ironica 171
Facetiæ an scriptis etiam exprimi possint 151
Facetia in Cnius sententia brevitate, vel Cnius verbi acumine consistentes 158
Facetiæ, quæ à corporis orisq; prauitate sumuntur, latissime patent 152
Facetiæ quanam venustissima 160
Facetiarum dignitas in quo consistat 151
Facetiarũ duo sunt genera 145
Facetiarum, quo ad effectus, divisio 130
in Facetijs ipsam veritatẽ licet nonnunquam mendaciunculis aspergere 150
in Facetijs generalia non delectant 159
Faciei pulchritudo in quibus consistat 325
Faciendæ egregiæ in lucem sunt proferendæ 102

*Facta infecta esse nõ possunt* 287
*Facultates diuersi gloria possunt esse pares* 65.66
*Fama, velox & loquax dea* 161
*Fama fides suspecta nobis esse debet* 132
*Familiæ splendor, aulici primũ requisitum* 34
*Febris quartanæ encomium* 113
*non Feciſſe bene pœnus est, quam quomodo facias, non intelligere* 33
*Felicitas Epicurea, viuere vt velis* 282
*Felix cognomen L. Syllæ* 377
*Ferdinandi Regis prudentia* 141
*Feſtiuitas seu vrbanitas quid* 143
*Fidelitatis infelicis exemplũ* 123
*Figuræ dictionis quid sint* 63
*Flagitia grauissima celerrime plerunq; olim vindicata* 392
*Flagitia ridiculis non satis pensitantur* 148
*Flammam oleo nutrire* 373
*Florentinorum veſtitus* 125
*de Florentinis jocus* 154
*Fœmina materia, vir forma comparatur* 213
*Fœminæ aulicæ descriptio* 202. *& seqq.*
*Fœminei sexus necessitas* 212
*Fama amoris quandoq; causa* 266.
*Forma quid* 330
*Forma seu pulchritudo corporis quid* 324. *ad animum non ad corpus amandum allicit* 335. *fœminis conuenientior quam viris* 203. *cum superbia plerunq; conjuncta* 328
*Forma ex seipsa bona* 327
*Forma exterior interioris boni indicium* 330
*Forma vitio materia sæpe latet* 332
*Forma inutilis ad tutandam pudicitiam* 329
*Forma res sancta & cæleſtis* 329
*Forma muliebris an calamitatũ quandoq; causa* 332
*Forma quando forma optime imprimatur* 336
*Formæ humanæ luculenta descriptio* 331
*Formæ humanæ proxima causa* 332
*Formæ, & earum, quæ in ipsa sunt. suauitatum frustio solis oculis conceditur* 335
*Forma seu pulchritudinis vis hypotypoſi pulcherrima descripta* 334. 338
*Forma quo plus habẽt materiæ, eo minus sunt perfectæ* 213
*Formæ venustas adulterina* 333
*Forma multi pro hamo abutuntur* 329
*Forma tangendo frui non licet, cum sit visus, non tactus objectum* 335
*à Forma seu pulcritudine omnia laudabilia cõmendari solẽt* 332

Formosarum mulierum impudicitia vnde 332
Fortitudo præposterа 34. 192
Fortuna conatꝰ nostros in medio sæpe cursu frangit, aliquãdo in ipso portu obruit 276. magnis in rebus inuidiam plerunq; suam perfundit 20. paribus impuria tribuit 36
Fortuna humanæ vitæ domina 36
Fortuna secunda magnarum interdum calamitatum mater 306
Fortuna propria cum judicij periculo conjuncta 393
Franciscus Petrarcha 252
Frederici, Ducis Vrbinatium, laus 19
Fregosi de religionis labe ad Paulum III. querela 384
Frigiditas causa grauitatis 214
Frigiditatis defectus in viris incommoda 215
Frons, animi index 36
e Frontis parua nubecula tempestas nonnunquam maxima oritur 148
Frugalitas priſca quomodo reuocanda 394
Fulguris cum Satana lapsis comparatio quid sibi velit 392
Fulguris velocitas ibid.

G.

GAlli agiles 137. minime ceremoniales 118. qualibus vtantur vestibus 125. quibus ludorum equestrium generibus celebres 44
Gallica aula totius Christianæ Reipub. florentissima 118
Gallinæ male pariunt, cũ è nido sunt exterminatæ 164
Genius cuiq; suus (in artibus & linguis) dux optimus 67
Generis ignobilitas virtuti caliginem non offundit 37
Genera & species sine mulieribus interirent 212
Generosus maiore infamia degenerat quam terræ filius 34
Generosi multi cum natalium splendore turpitudinem vitæ conjungunt 36
Germani qualibus vtantur vestibus 125
Gladiatoria uũ in seriis pugnis prorsus inutilis 43
Glaucus Homericus 363
Gloria, multorum judicio collecta, certam existimationem indicat 132
Glorioso militi argute responsum 40
Γλωττομάχοι ridentur 44
Græca lingua è quadruplici idiomate efformaata 62
Græcorũ adolescentes nobiliores pingendi artẽ didicerunt 82
Granatam amor mulierbis expugnauit 252
Gratiæ & dignitatis vera formula 116

Gratiis sacra facere quid 391
Grauia ludicris nõ miscẽda 206
Gressus, incessus &c. operationes non sunt 126
Grues monarchia delectãtur 293
Gubernatoris probi finis 300
Guidubaldus, Vrbinatium dux, Frederici filius 29

H.

Hadrianus Cæsar in delatores procliuis 372
Haredipetæ adulatores 385
Hannibal Græce scripsit 73
Harmonia Musica in quo consistat 51
Hasdrubalis vxor 220
Herculis ignis in Oetæ montis vertice 34. studia 310
Herculei corporis statura qua ratione à Pythag. invẽta 198
Heroũ exempla, qui literas magnifecerunt & secuti sunt 73
Hetrusca lingua reliquis in Italia multo clarior 57.58
Hetruscæ linguæ idioma 54.55
Hetrusci & Hispani facetissimi 143.
Hieronymus 217
Hispaniæ mos in crucis supplicio destinatis 174
Hispani graues 137. veræ curialitatis magistri videri volunt 118. quamuis amasiam appellant dominam 378. quibus ludorum equestrium generibus celebres 44
Historia de Camma Synati vxore 283
Historia, è qua conuicium modestiæ laus, & argute dictum emersit 149
Historia de Franciscano quodam 186
Historia de insano amore cõplurium muliercularũ in quendam nobilem 132.134
Historia lepida ex Plutarcho 389
Historici quando imitandi ex sententia Ciceronis 8
Historia de quodam, qui se cæcũ esse, ab aliis persuasus, credidit 184. de quodam Sinorige 223. de rustico quodam precio duorum caponũ defraudato 188. de Thoma Pisano 225
Homo ad similitudinem Dei effictus 213. inter brutam & angelicam naturã medius 324. linguam εὔχαριν habere debet 86. Homo naturâ ad malum reprehendendum, quam ad bonum laudandũ propensior 100. Homo in suis talpa, in alienis lynx 26
Hominis animus, corpus, fortuna quorum sint 116.
Hominis omnia penes alios sunt ibid.
in Homine quolibet stultitiæ seminarium aliquod 27
quinam Homines cumprimis fortunati 36

Homi-

*Homines, cum quibus jocari convenit, quales esse debeant* 148
*Homines intellectum cum Angelis communicant* 324
*Hominum judicium varium & multiplex* 33
*Hominum versutia* 254
*Homerus, heroicorum poetarum & tempore & excellentia primus* 64
*Homeri imitationem in Virgilio monstrare, difficile* 68
*Homeri operū (Iliadis & Odissea) scopus seu intentio* 319
*Honores oblati quomodo accipiendi* 116
*Horatius ὀνομαλοτοπίαν nobis concedit* 59
*Horatij de Plauto judicium* 59
*Humiles procerū tolerabilio.* 42
*Humiles quid deceat* 388
*in Humili loco natis summa natura dona nonnunquam consticiuntur* 37
*Hippolytus Estensis, Cardinalis Ferraria* 35
*Hippocrita nostri temporis* 217

I.

IDea rei imaginādo efformata reipsa sapius exquisitior 182
*Ignobiles multi virtutis cultu nobilitatē sibi pepererunt* 36
*Ignobiles quomodo erga gloriam animati* 34
*Ignorantia vitiorum mater* 299
*Ignoti nulla cupido* 324
*Illustrib. viris libertas quedā in dictis factisq; placere solet* 115
*Imitatio, in quo consistat, cognitu difficile est* 68
*Imitatio, que invitā Minervā suscipitur, infelix* 137
*Imitatio vitiorum reprehendenda* 49
*Imperandi duo genera* 295
*Imperandi gnaro semper mos geritur* 300
*Imperandi & parendi conditio a natura imposita* 295
*Imperatorum statue quid moneant* 284
*Imperium quodnam verum magnumq;* 307
*Imperium solidum quodnā* 282
*Imperium unius omnium prestantissimum* 293
*Imperiorum finis* 301
*Impudentia, honorum janua hodie* 118
*Incontinentes apetitum rationē opponunt* 288
*Incontinentia, mancum vitium* 289
*Incontinentia errores virum ab ignoratione proficiscētur* 289
*Incuria affectata, curiositas videtur* 50
*Incuria quando virtus* 52
*Ineptia risum magis nonnunquā movent, quam argutia* 144
*Ingenium an ex vestе judicandum* 126

Inge-

Ingenij acumen magister optimus 64
Inhonesta mandanti Virum sit obtemperandum 120
de Inimico vel subleuando vel supprimendo prouerbium impium 268
Inimicorum inter ipsos dissensio spes summa salutis 274
Institores adulatores 384
Instrumenta fidium & neruorum an libero homine digna 108
Instrumentalis musica 107
Intemperantia in viris minus vitiosa quam in fœminis 137
Interpres operis de Curiali siue Aulico cur Vocabulis vtatur fictitiis 16
Interpretes in magnas angustias sæpenumero detruduntur 16
Inuictissimus 377
Inuidi & ambitiosi natura 138
Inuidorum ingenium 190
Inuidia angusti animi labes 119
Inuidia in vita communi quomodo declinanda 45
Iocandi tria genera 149
in Iocandi artificio quid maxime laudabile 176
in Iocando mulierum pudicitia parcendum 189
Iocus Alphonsi Regis Aragoniæ in furem annulorum 171
Iocus cuiusdã buccinatoris 163
Iocus cuiusdam medici in rusticum monoculum 176
Iocus de confitente 162
Iocus de Florentinis 154
Iocus de literis A.VI. item N. P. P. V. porta cuidam Romæ inscriptis 159
Iocus de religioso, qui quinq; monachas impregnauit 161
Iocus de rustico asinam sibi furto ablatam querente 152
Iocus de simia Scachij ludi perita 157
Iocus è Vocula, Damascus 176
Iocus è Vocula, expeditus 172
Iocus ex ambiguitate verbi 158
Iocus ex ambiguitate vocula sero 163
Iocus ex consentaneis 177
Iocus ex dissentaneis 177
Iocus ex illo Virgiliano: Furiarũ maxima iuxta me cubat 160
Iocus in batulum, qui prætereuntem offenderat 751
Iocus in Cardinales Vero verior 174
Iocus in mulierem, quæ se de ficu suspenderat 174
Iocus inhumanus in quendam monoculum 159
Iocus quidam ipsa stultitia ridiculus 133
Iocus & ludus quibus concedantur conditionibus 46
Ioci impij vitandi 167
Ioci in actione consistentes quomodo appellentur 181
Ioci in actione positi certis principiis

cipiis circumscribi possunt 181
Loci qui in una voce consistunt, ingeniosi magis, quam faceti sunt 159
Locosum cuiusdam, qui virgis cædebatur, responsum 153
Locosum de colloquio quodã mercatorum mendacium 156
Iouis sideris effectus in homine 393
Ira, fortitudinis coticula 291
Ironicæ facetiæ 171
Isabella Ducissa Aragonens. 234
Isabella Marchionissa Mantuana. ibid.
Isabella regina Neapolitana 234
Isabella Hispaniarũ regina 232
Italiæ omen 124
Itali Hispanis quam Gallis similiores 137
Itali literis dediti 75
Itali quibus ludorũ equestrium generibus celebres 44
Italica lingua, disertissima 12
Italicarum mulierum in amore ingenia 272. & seqq.
Iudicij errore sæpe tribuitur prudentiæ, quod debeatur fortunæ 393
Iudicij mater experientia 91
Iudicij recti requisita 386
Iudicia peruerse ab euentis fiunt 363
Iulius Cæsar cur laurea caput redimiuerit 141
Iupiter ipse sine justitia regnare non potest 290
Iupiter mas & fœmina 213
Iurisconsulti adulatores 383
Iustitia quomodo (secundum fabulas) in genus humanum introducta 286
Iustitia, virtutum regina 292
Iuuenilis ætatis officia 111
Iuuentutis vitia peculiaria 112
In Iuuentute cur sensus dominetur 326

## L.

Lætitia immodica perniciosa 225
Largiendi ratio prudentia quadam gubernanda 312
Largientes non omnes liberales 312
Largientiũ varia genera variæ fines ibid.
Laruato sua persona non est tenenda 106
Larvatum esse mirificam secum licentiam affert 105
Latine scribere Clerko perfacile esse videtur 16
Latina lingua quomodo in Italicam mutata 57
Latrina pro Latina 160
Laus propria cui & quatenus concessa 41
Laus propria quando non sit odiosa 41
Laus proprio sordet in ore 205
Laudis propriæ moderatio difficilis & ardua 41

Laus

*Laudem & vituperium vnusquisq; ex animi affectionibus metiri solet* 33
*Laudum nostrar. sen⁹ suauis* 76
*Laudant & vituperant multi aliorum judicio freti* 69
*Lectus omnis benevolentia & pietatis nidus esse debet* 257
*Leguleij injusti* 304
*Leona Atheniensis* 221
*Leonis magnanimitatem natura ingenerauit* 111
*Lesbia regula* 316
*Leues auras cõsectari futile* 102
*Lex Cabinia* 394
*Lex Oppia* ibid
*Libertas suapte natura suauis & jucunda* 380
*Libertas vera quæ* 294
*Librum ex aliena lingua transferre difficile* 12
*Lingua qualibet in propriis quã alienis inuentis animiue conceptis enunciandis plenior puriorq;* 5
*ẽ Lingua in linguam conuersio est styli coticula* 4
*Linguæ dissecta ardentes* 343
*Linguæ omnes temporis progressu expoliuntur* 58
*Linguarum consuetudo magistra* 64
*Linguarũ vicissitudo fatalis* 58
*Linguis omnibus, quæ sint inter se communia* 63
*Litera armis, an arma literis sint impedimento* 77
*Litera quo loco habenda* 72.73
*Literarum cognitio summus rerum omnium thesaurus* 74
*Literarum nomen Gallis inuisum* 72
*Liuiana dictioni pataninitas attributa* 62
*Longobardi taxati* 53
*Longobardorum vestitus* 125
*Loquendi formula optima, à qualibus propagetur* 62
*Lourtiership quid Anglis* 16
*Lucianus argutus, illustris & facetus circa fabularum narrationem* 364
*L. Sylla cognomento Felix* 377
*Luctandi & supplantandi notitia* 43
*Lucullus quo nomine male audierit* 283
*Ludus arundineus* 102
*Ludus Schachius ingeniosus* 130
*in Ludo quæ fugienda* 130
*Ludi, spectacula, & alia huius generis cur excogitata* 146
*Ludicra quæ dicantur* 181
*Ludicra exijsdẽ locis, è quib. sales & facetiæ, deriuantur* 182
*Ludicra illiberali & immoderata licentia vacare debent* 189
*Ludouici Galliarum Regis magnifica vox* 165
*Ludicrum quid* 182
*Luxuria incommoda* 314
*Lux⁹ atrocitas seu turpitudo* 394

Lycur-

Lycurgus Musicam legibus suis approbauit 80

M.

Magistratus officium 297
Magistratus probi finis 300
Magistratus qualibus mandandi 304
Magistratus virum indicat 297
Magistratus vita, ciuium lex atq; regula 297
Magnorũ virorum beneuolentia conciliandæ ratio 117
Magnarum rerum conatus animum magnum, verba pauca desiderat 41
Magnanimitas quid 216
Magnanimitas heroica quæ dicatur 111
Magnanimitas vera quæ sit 39
Magnanimitas virtus per se imperfecta 292
Magnanimitatis moderatrix prudentia 292
Magnifica magnis viris, non occulta, petuntur 39
Magnificentia Alexandri M. 309
Malus animus felicitatem ferre non potest 298
Malum non faciens, cum id nesciat, laudem non meretur 96
Mandati finibus num excedere liceat 121
Manlij Torquati seueritas in filium 121
Mansuetudo cum fortitudine conjungenda 101
Margareta Maximiliani Imperatoris filia 232
Maria Magdalena 346
Maria mater Christi 216
Marranus 177
Martialis versus de aula 308
Massilienſium consuetudo 221
Medici adulatores 383
de Medicorũ apud ægrotos officio Pontificis Rom. decretum 383
Mediocritas difficilis & scopulosa 204. aurea ibid.
Mediocritatis commoda 306
Mediocritatis punctum innocuum arduum 312
à Mediocritate in extrema facilis lapsus 312
Melancholici 388
Mens multo exquisitiõ & cumulatiõ ornanda quã corpus 71
Mentes humanæ sunt ad amorẽ atq; odiũ mirifice proclives 38
Mercatores adulatores 384
Merie pranks quos Angli vocent 16
Metrodorus Philosophus, idemq; pictor eximius 86
Mimica chorea 147
Minerua Musicam instrumentalem repudiauit 108
Ministri senie confecti annoforũ canum loco habentur 366
Μισάνθρωποι 388
Misericordia quãdo periculosa 46
Mithridatis vxor 220
Modestia, aliis destitutæ virtutibus infirma 119
Molles carne, apti mente 211

Monarchia cur omniũ præstantissima 293.294
Monarchia est regium imperium 294
Monarchia in Tyrannidem degenerat 294
Mos publicus interdũ juris aliquid sibi vendicat 377
Moses rubus igneus 343
Morum contagio multum valet 369
vox Moralis, à Cicerone primũ inuenta 368
Morosorum descriptio 129
Mortalitas & beatitas se mutuo perimunt 377
Muliebris amor Granatum expugnauit 252
Muliebris ambitio amorem prodit 272
Muliebris incontinentia incommoda 236
Muliebris sexus intimum votum 69
Mulier cur illum semper amet, à quo primũ est vitiata 213
Mulier fallax & astutum animal 28
Mulier famæ multo accuratius quam virorũ quisquam, consulere debet 203
Mulier materia, vir forma comparatur 213
Mulier nõ parui pretij quænam dicatur 348
Mulier quomodo formam suam compiam amatori faciat 330
Mulier insaltatione quali motu uti debeat 207
Mulieres amantium erumnis gaudent 272
Mulieris aulicæ descriptio 202. & seqq.
Mulieris fucatæ cæcitas & stultitia 70. hypotyposis ibid.
Mulieris generatio virum natura error 210.211
Mulieri multum abest, cui forma deest 203
Mulieri semel verecũdiæ limites transgressæ ad pristinã existimationẽ nulla est reditio 39
Mulierẽ circa formã incuria quæ nam syncera & grata 70.71
Mulierem viro grauitorem esse frigiditatis argumento probatur 214
Mulierem tympanũ, buccina, fistula cur non deceant 207
Mulieres multitudinem amantium pulchritudinis testimonium arbitrantur 258
Mulieres antiquitus nudæ cum viris colluctatæ 207
Mulieres cur in dentibus perpoliendis minus laborent 71
quanã Mulieres futilissimæ 205
Mulieres hodiernæ Semiramidis & Cleopatræ similes 235
Mulieres injurias virorum non præ amore, sed præ timore perpetiuntur 222

*Mulieres non minus quam viri Romam auxerunt* 226
*Mulieres olim armis usæ* 207
*Mulieres omnes se esse viros exoptant* 213
*Mulieres omni in re extrema desiderant* 226
*Mulieres pauciores à natura defensiones habent, quam viri* 203
*Mulieres quando propositi tenaces* 220
*Mulieres Romanæ* 219
*Mulieres Sirenib. comparatæ* 28
*Mulieres sorices detestantur, serpentes v. plurimi faciunt* 28
*Mulieres viris imperfectiores atq; indigniores* 190
*Mulierum in amando facilitas* 133. 134
*Mulierum benevolentia quomodo paranda* 261
*Mulierum curiosius ornatus* 70
*Mulierum frænum quæ* 239
*Mulierũ fucatus color suspectus & exosus* 70
*Mulierum ingenium* 240
*Mulierum laudes* 211
*Mulierũ ministerio multæ utilitates propagantur* 238
*Mulierum quædam crimina simulationum involucris obtegenda* 236
*Mulierum temperatura* 215
*Mulierum timiditatis causa* 215. 216
*Mulierum vestitus qualis esse debeat* 207
*Mulierũ virtutes non esse minores quam virorũ, jocoso argumento probatur* 196
*Mulieribus an viri præstant ores* 210
*Mulieribus aurea mediocritas tenenda* 204
*Mulieribus continentia cur necessaria* 190
*Mulierib. pudicitia magis necessaria quam viris* 236
*Mulierib. plus operæ licet in forma collocare, quam viris* 207
*Mundo cum omnib. suis partib. nil videtur esse aliud, nisi nobilis quædam pictura* 82. 83
*Multitudo serena tranquillaq; mente non pollet* 363
*Multitudo quare turba dicatur* 363
*de Musca volumen* 112
*Musica ab Epaminonta adamata*
*Musica harmonia in quo consistat* 51
*Musica est & ἥδισμα & ἐδισμα* 79. 80
*Musica instrumentalis* 107
*Musicæ laudes* 80. 81
*Musica Lycurgi legibus approbata* 108
*Musica senem non decet* 108

*Musica & varietas* 107
*Musici cum fabro ferrario comparatio* 109

N.

NArratio quaenam fabulae persimilis 150
*Natura alijs mater, alijs noverca* 35
*Natura aliud alij bonum largitur* 26. *an omnibus eiusdem speciei individuis parem virtutem indiderit* 36
*Natura artem superat* 373
*Natura, circulus* 212
*Natura hominē ad comitatem affabilitatemq; finxit* 391
*Natura humana perfectā virtutum fabricā non admittit* 25
*Naturā in conferēdis animi dotibus generis nec claritatē nec obscuritatem sequitur* 37
*Natura quomodo ad optima contendat* 212
*Natura à nemine vnquam superata* 13
*Natura semper ad optima contendit* 210
*Natura nihil omni ex parte perfectum expoluit* 13
*Natura quid omnibus rebus inseuerit* 35
*Natura rebus mortalibus immortalitatem tribuit* 212
*Natura suauitatem orationis hominibus ingenerat* 144
*Natura bona industria excolumtur & absoluuntur* 47
*Natura defectus industriâ supplendi* 35
*Natura humana in alieni laboris censura prauitas* 16
*Naturae propria tūgis & gradatio* 313
*Nicostrata* 226
*in Nihilo nihil fit* 319
*Nimia diligentia in vitio est* 51
*Nizolistae praeposteri, irrisi* 8
*Nobilitas ignobilitate fauorabilior* 37
*Nobilitū quis scopus esse debeat* 34
*Nosce teipsum* 118
*Nouis rebus noua nomina sunt imponenda* 16

O.

OBelisci 300
*Obtrectatorum natura* 100
*Ociū seruis nun conceditur* 302
*Oculus Regis justitia custos* 300
*Oculi adamati suauissimum animi pabulum* 266
*Oculi amoris ducis & moderatores* 265
*Oculi amoris nuntij* 265
*Oculi adamatis faces amoris admouent* 265
*Oculi & aures animae meat*9 336
*Oculi carules* 265. *glauci ibid. nigri ibid.*
*Oculi renidentes* 390
*in Oculis sape legitur, quod in corde occultissime delitescit* 267
*Oligarchia* 294

Non Omnia possumus omnes 117
Operationum differentiæ, ex l. 1. c. 1. Eth. ad Nicom. 126
Opinio prima de aliena Virtute magni momenti 131
Opinio quanti momenti 135. quæ primum mentē hominis perculit, magni momenti 38
Oratio pura non est gladius Delphinus 16
Oratio pronunciata eo melior, quo scriptæ est similior 54
Orationis scriptæ & pronunciatæ differentia 54
Orationis tot genera, quot egregij oratores 66
Orationi majestatem quidnam concilet 59
Oratores multi sine imitatione solâ naturæ ductu facti sunt 66
Oratores summi, ad plebem verba facientes, cur artem occultauerint 49
Orpheus Iouē marē fœminamq; dicebat esse 215
Osca lingua interijt 63
Osculi consuetudo ap. Romanos vnde manarit 227
Osculum quanta Virtutis 337
Ostentationis artificij in dicendo incommoda 50
Ostentationis ridicula in quodā saltatore exemplum 50
Ottomani Turcæ de Germanorū ludis equestrib. iudicium 166
Ouidius magister amorum 378
Ouidij quædā præcepta de amore taxata 271. eius querela de exilij Pontici acerbitate 372,
Ouidij tempora 271

P.

Pacis finis 301
Pallas 226
sub Pallio sordido pannoso, & luta sæpe & hasta mens latet 393
Parere & imperare, lex naturæ 295
Pares cum paribus facillimè congregantur 127. 369
Partis peritia peritiam totius coarguere videtur 52
Passiones animi cur à naturâ homini tributæ 95
Patientia quid 302
Patresfamilias adulatores 384.
Paupertas adulatoris mater 382.
Pericles Pisistrati tū tyrannidis tum eloquentiæ successor 380
Periclis continentia 227
Periclis & Pisistrati in adipiscendi imperij ratione discrimē 381
Periscelis aurea ap. Anglos 200
Persæ magnam humanitatem in dictis factisq; præstant 200
Persica mulieres 230
Personatum esse mirificam secū licentiam affert 105
Petrarcha & Boccatius de linguâ Italicâ optimè meriti 56
Persarum Reges 365
Petrus Bembus 30
Phantasia pars vitæ organica 340

*Philautia luculēta descriptio* 76
*Philippus Demetrij filius* 229
*Philippus Rex Macedonum Aristotelem Alexandro filio in primis literarum elementis præfecit* 48
*Philosophia moralis ad justam regni administrationem apprime conducit* 368
*Philosophia quanam nobilissima* 320
*ad Philosophiam moralem quæ referantur* 368
*Physiognomia* 330
*Pictura inæstimabilis* 86
*Picturane, an statuaria sit excellentior* 83. & *seqq.*
*Picturæ in rebus bellicis utilitas* 82
*Picturæ summa veneratio apud Romanos fuit* 82
*Pigmalionis statuæ* 202
*Pilæ palmariæ usus* 45
*Pisistratus quibus artibus Solonem Athenis ejecerit* 380
*Plato adulatorem comparat sacrilego* 370
*Plato Dionem Syracusanum informauit* 321
*Plato mulieribus Rerump. administrationem concessit* 208
*Plato mulierum vix vsquam amicus* 209
*Plato a Principe requirit contemplationē scientiarum* 368
*Plato in Xenocrate triste vultus austeritatē molestē tulit* 361
*Plato Philosophiam in magistratu requirit* 361
*Plato virum musicus & saltator fuerit* 321
*Plato virum vitam aulicam improbarit* 320
*Platonis ingeniosæ quæstiunculæ Dionysio Syracusano propositæ, quid effecerint* 387
*Platonis judicium de oratoriæ facultatis artificio* 383
*Platonica Reipublicæ communitas* 303
*Plautum non per omnia probat Horatius* 59
*Plebs in summa insciti suspiciosa* 47
*Plebs natura mobilis* 381
*Plebs vtilitatem inprimis spectat* 380
*Pœnitere tanti non emo* 245
*Poëtæ in diis fabulantes sexum confundunt* 213
*de Politiarum ortu fabula* 286
*Polyphilus* 269
*Pontificis Romani decretum de Medicorum apud ægrotos officio* 383
*Populares venæ sapiē tenēdæ* 45
*Potentes jocis non sunt percellendi* 148
*Potentia virtutum instrumentum* 318
*Practicæ vita finis theoricus esse debet* 309

*Præceptoris probi officium* 66
*Prædictus, Italicè Prælibato* 154
*Præscriptũ mandati formulam an liceat relinquere* 121.122
*Primis magis quam postremis mouemur* 102
*Princeps bonus Dei effigies* 296
*Princeps legum majestatem venerari debet* 305
*Princeps ne sub religionis prætextu sit superstitiosus* 305
*Princeps normæ architecti comparatus* 297
*Princeps prudens Vlyssis imitator* 370
*Principes quam facillime fallũtur* 38
*Principis boni erga ministros affectio* 366
*Principis consiliarij quales* 304
*Principis officium* 296.297
*Principis officium per congeriem ostensum* 313.314
*Principi maiestas sua tenẽda* 308
*Principi & theorica & practica vita necessaria* 299
*Principẽ magnificentia decet* 308
*Principe bono in tota rerũ universitate nihil melius* 285
*Principes adulatores* 384
*Principes credendo sæpius quam diffidendo peccant* 313
*Principes insipientes colossis similes* 282
*quinam Principes à delatoribus sibi cauere debeant* 373
*Principes quid magnos & felices faciat* 307
*Principum ingenia varia* 313
*Principum iudicia quibus rebus præstringantur* 282
*Principum huius seculi fastus & insolentia* 283
*Principum quorundam immodicum bellandi studium* 300
*Principum qua vitia teterrima* 281
*Principibus quinam grati hodie* 118
*quibus Principibus Deus delectetur* 296
*Proceritas immodica formam non commendat* 42
*Professores scientiarum adulatores* 382
*Prohibere malum facilius quam euellere* 307
*Prometheus* 286
*Propheta nemo acceptus in patria sua* 11
*Proprium nihil habere aut suum, de quibusnam dicatur* 148
*Propter quod vnum quodq; tale est, illud ipsum magis est tale* 316
*Prospectiua picturæ pediſſequa* 85
*Protogenes* 5
*Protogenes cur ab Apelle reprehensus* 52
*Protogenis tabula Demetrius pepercit* 86

*Prudentia magnanimitatis moderatrix* 292. *Prudentia serpentina cum simplicitate columbina jungenda* 375
*Prudentium doctorumq; judicium semper candidum & amicum* 7
*Pudor quid* 238
*Pulchra qua difficilia* 55
*Pulchrorum definitio* 324
*Pulchritudo muliebris multarũ sæpe calamitatum causa* 329
*Pulchritudo corporis unde oriatur* 334. *Pulchritudo summa bonitatis* 342
*Pulchritudinis vox natura & arti communis* 324
*à Pulcritudine seu forma omnes res laudabiles commendari solent* 332
*Pyramides Aegyptiæ in quem finem extructæ* 302
*Pythagoras à Musica non abhorruit* 109
*Pythagoras qua ratione Herculet corporis mensuram investigauerit* 198

*Q.*

*Q. Fabritij cunctatoris moderatio & patientia* 381
*Q. Terentius Varro quibus artibus imperiũ Dictaturæ obtinuerit* 381. *eius temeritas & insolentia* 381

*R.*

*Radius visualis ubi generetur* 265. *quid in amove efficiat* ibid.
*Rana, Diana* 333
*Ratio actionum omniũ clauum tenere debet* 108
*Ratio cur in juuenibus ab appetitu hæreat* 326
*Rationis summa cum amore contentio* 333
*Rebus magnis magna verborũ lumina & ornamenta adjicere, arduum est* 14
*Rectores ciuitatũ adulatores* 384
*Regio quæuis suos & stultos alit & sapientes* 125
*Regula Lesbia* 316
*Res famil. reparatio in ciuitatibus frequentioribus difficilior* 382. *in aulis cur facilior* ib.
*de Religionis labe Contareni, Fregosi, Sadoleti ad Paulum III. querela* 384
*Religiosorum castitas egregia hypotyposi depicta* 217. 218
*Rhetores adulatores* 383
*de Republ. bene mereri non uno tantum modo licet* 361
*Reip. Platonica communitas* 303
*Rerum ambiguarũ multa sunt genera* 159
*Respub. an monarchia potior* 293
*Respublica multa ocij beneficio frui non possunt* 300
*Res multæ, in hoc opere comprehensæ, Latinis temporib. prorsus fuerunt ignotæ* 6

Res

Res Principibus Latina lingua incognita satis est vicunq; exprimi 16
Res omnes in quem finem condita 390
Ridiculi locus & quasi fons 147
Risus cuius rei sit argumentum 146. Risus obiectu quodnam 147. 148. quanta vis 147
Rituali non detrahendum 268
Roma à muliercula quadam aliquando prodita 228
Roma non minus à mulieribus quam à viris adaucta 226
Roma, mulier 227
Romana mulieres 219
Romana Urbis origo 227
Romani quomodo ad tãta imperij majestatẽ peruenerint 309
Romanum imperiũ jam inde à septingentis & amplius annis quotidie angustius 377
Romulus populum Rom. in triginta curias diuisit 228
Romuli cum Sabinis bellum ancipiti fortuna diu stetit 227
Rota locus ecclesiastici judicij Romæ 177
Rumusculos inanes consectari futile est 102
Rusticus victum ministrant inempta dapes 382

S.

SAbinæ mulieres Romã auxerũt 227. pacis inter Romulũ & Tit. Tatium authores 228
Sacerdotes cur mulierum amores laicis interdicant 256
Sadoleti de religionis labe ad Paulum III. querela 384
Saguntina mulieres 230
Saliorum Versus 58
Salomonis canticũ canticorum 253. in mulieres affectio ib.
Salutis summa spes inimicorum inter ipsos dissensio 274
in Salute communi sua cuiusq; salus includitur 376
Sanctissimus 377
Sappho 226
Satanas in fulguris speciem è cælo lapsus 392
Schacchius ludus ingeniosus 130
Schacchij ludi peritia mediocris melior, nam præcellens 130
Scientia debet esse vnaq; & 98
Scipio Panætio paruit 283
Scipio quo nomine male audierit 283
Scipionis continentia 27
de Scipionis continentia judicium 243
de Scipionis continentia authores variant 243
Scipionis Nasicæ jocus 173
Scipioni Africano minori ironiæ facetiæ familiares 171
Scipioni Xenophontis libri familiares 73
Scommata quid 144
Scriptum quid 53. quibus verbis constare debeat 53. 54.

*Scurrarum mores* 136
*Scytharum consuetudo* 300
*Seculum aureum* 293
*Sedes apostolica aut accipit sanctos aut facit* 377
*Semiramis* 135
*de Seneca judicium Clerki* 9
*Senectus & regera permagni aestimanda* 112
*Senectus usum quarūdā rerum non intellectum eripit* 319
*Senem musica non decet* 108
*Senem saltatio non decet* 108
*Senes e portu in altum soluentibus similes* 92
*Senes febricitanti tum similes* 93
*Senes huic seculo inepti* 95
*Senes quenam huius seculi reprehendant* 94
*Senū cerda Cupido suis flammis nonnunquam tepefacit* 108
*Senū errores de praeteritis temporibus* 91
*Senum officia* 110.111
*Senum regula adolescentibus praescripta* 96
*Senum virtutes & vitia* 110
*Senibus quibusnam amor permittendus* 327
*in Senibus quenam ridicula* 317
*Senilis & verus amor* 323.324. *& seqq.*
*Senilis amor perfectissimā formā possessionem obtinet* 327
*Sensualis amor in juuenibus execrandus* 327
*Sensualis amor infestissimus rationis inimicus* 326
*Sententiarum non minor in dicendo, quam verborum copia esse debet* 59
*Serpentis humani vocis modulatio intolerabilis* 375
*Serpentis natura* 376
*Seruis ociū non conceditur* 302
*Seruitus suapte natura molesta & odiosa* 380
*Sibylla* 226
*Sidera mundo Dei similitudinē, tanquam in speculo aliquo, commonstrant* 296
*Sideris Iouis effectus in homine* 393
*Silius Italicus Poëtarum heroicorum post Virgilium festiuissimus* 381. *in quo a Virgilio differat* 68
*Silij Italici versus, genus, ingenium, & c. Q. Terentij Varronis describentes* 281
*Simia ludi Scacchij perita* 157
*Simile simili gaudet* 127
*Simulata amicitia hypotyposis* 142
*Simulatio sub boni specie se commendat* 381
*Si non caste, tamen caute* 217
*de Smorige quodam historia* 223
*Socrates ironicarum facetiarum artifex* 171
*Socrates quid in Alcibiade sit amplexus* 244

*Socrates à musica non fuit alienus* 109
*Socrates quid in Aesopo desiderarit* 95
*Socratis dictū de Virtute hominibus instillanda* 72
*Socratis modestia* 138
*Solon quibus artibus à Pisistrato Athenis exactus* 380
*Sontibus nimis ignoscendo, insontibus fit injuria* 46
*Sophi Persa aula celebris* 240
*Spartanæ mulieres* 230
*Specieb. aut gradibus quæ differunt, parem sæpe laudem merentur* 65
*Splendor natalitius nec Vi, nec ingenio, nec arte paratur* 37
*Spectacula, ludi, & alia huius generis cur excogitata* 146
*Speculativa vita finis activus* 300
*Speculatorū commoditates* 373
*Spiritus vitales in mulieribus celeres & subtiles* 216
*Spiritum amatoriorum in oculis scintillantiū effectus* 334. 338
*Stagira civitas* 320
*Statua magnorum Virorum ad quid posita* 284
*Statuaria an Pictura sit excellentior* 83. *& seqq.*
*Statura corporis quanam convenientissima* 42
*Stesichorus Poëta* 829
*Stulti dum Vitant Vitia, in contraria currunt* 141
*Stultitiæ varia genera* 27
*Stylus res laboriosa* 75
*Styli coticula linguarum conversio* 4
*Stylus Unde oriatur* 68
*sine Stylo ars nihil aut parum valet* 383
*Substantia non recipit magis & minus* 210
*ad Summa contendendum, cum mediocra sunt laudabilia* 138
*Superbi etymon* 393
*Superbia declinandæ quanam optima ratio* 393
*Superbiæ fons quinam* 393
*Superbia natura magis Vitium quam fortuna* 394
*Superbiæ pabulum* 393
*Superbia solenne Aulicū Vitium* 392
*Superbia Vitium, quo non aliud Deo magis invisum* 392
*Superbus quisnam dici meretur* 393
*Suspiciones in bonorum animos non facile illabuntur* 375
*Susurri somniferi* 193
*Suum cuiq; pulchrum* 99
*Symbola Vocalia* 102
*Syriæ Reges* 365

*T.*

*TAcitus in quo à Cicerone differat* 68
*Tarquinius Superbus quo inge-*

nio imperium populi Romani sibi quaesierit 380
Tarquinius Superbus ad imperij violentiam pudicitiae muliebris expugnandae vim & libidinem adjunxit 380
Tarrantula muscae genus 26
Temperantia & continentia duobus imperatoribus comparantur 290
Temperantia definitio Rhetorica 290.291
Temperantia & continentia comparatio 290
Temperantia effectus 291
Temperies optima unde nascatur 215
Tempus nihil non domat 357
Theatrorum origo 147. usus ibid.
Themistoclis ars 92
Themistocli exilium saluti fuit 311.
Theodolinda 231
Theodora 231
Theologi adulatores 383
Theorica vitae finis practicus 300
Thesei studia 310
Terra filius minore infamia degenerat, quam generosus 34
Timere, sapenumero prodest 313
Titus Tatius Sabinorum Rex 227
Titulorum eulogia genus adulationis injustissimum 376
Titulorum honos cur inuentus 377
Thomas Aquinas scriptor liberrimus 384
de Thoma Pisano historia 225
Thrasonum duorum stulta jactantia 41
Thomyris Scythiae regina 235
Tonorum in musicis diuisio 207
Triumphator 377
Troiani excidij causa 329
Troianarum quarundam mulierum exulum factum 227
Turca humanitatem in dictis factisq; praestant 200
Turcarum aula celebris 200
Turcarum nobilium filij quibus rebus à primis annis studeant 166
Turpia verbis honestis & concinnis circumscribenda 171
Tuscana lingua abusus 67
Tyberius Caesar nomen Domini tanquam inuidiosum repudiauit 378
Tyranni descriptio 298
Tyranni importunissima monstra sunt appellandi 310

V.

VAnitatis incommoda 281
Vastorum corporum incommoda 43
Vaticinia (ariolorum) rerum omnium vanissima 305
Vellus aureum apud Burgund. 200
Venatio belli similima 45. magnis viris non indigna ib.
Venetijs nobiles gregarij solent magni-

magnifici domini appellari 378
Venetorum Respubl. optime morata 278
Venetorum Vestitus 125
Venus stella, dulcissima cœli gubernatrix 347
Veneris armata templum 228
Venerem nonnulli Veneficijs augent 239
Verba suam habent tum juventutem, tum senectutem 63
Verba sine sententijs sunt corpus sine anima 59
Verecundia honorum mala suffragatrix 118
Verecundia quomodo (secundū fabulas) in mundum introducta 286
Vergilius hominibus sui seculi non totus Romanus in sermone visus 62
Veritas simplex, error contra multiplex 313
Veritas natura recondita 34
Vetitati nonnunquam parcendum 142
Vestes splendidi coloris triumphis aptiores 125
Vestis virum indicat 126
Vestiū splendor superbiam cordis non necessario coarguit 393
Vestibus nigri aut fusci & subobscuri coloris aptissimi 125
Vestitus corporis & ingenij fabricam sequitur 207
quinam Vestitus stultum aut scurram coarguat 25
Vestitus varietas 124
Veteres cur sacrificia sua nunquā absq; sale peregerint 386
Vetustatis magna majestas 55
Violarū quadruplex cōcen⁹ 107
Virgilius Homerum in lingua non est imitatus 59
Virgilius imitator Homeri 56
Virgilium laudare magis quam imitari possumus 56
Virgilius multa Ennij verba repudiauit 59
Virginum castissimarum exempla duo 241.242
Virgines martyres 216
Virgines cuiusdam Romanæ castitas 247
Virginum castissimarū par 246
Vir forma, fœmina materia comparatur 213
Viri cur illas mulieres odio prosequantur, cum quibus primum sunt congressi 213
Viri liberius, quam mulieres, amorem profitentur 256
Viri nonnulli cur nullius rei periculum exhorrescant 216
Viri Utrum mulieribus præstantiores 210
Virū fœmina leuiorē esse, caloris argumento probatur 214
Virorū multi Sardanapali 236
Virilis ætas (id est, status) longe optima 110
Viris sapientibus fœminæ gratæ sunt 266

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778428311/phys_0431
DFG

*Virtus contemplativa quare perficiatur* 303
*Virtus moralis qua re perficiatur* 303
*Virtus naturam presupponit* 317
*Virtus nunquã obesse potest* 312
*Virtus simplex, vitiũ verò multiplex* 313
*Virtus suauiter docenda* 284
*Virtus virum scientia, vitium verò ignorantia* 288
*Virtutis actiones quidnam illustret* 101
*à Virtutis actionibus circumstantia diuelli non possunt* 90
*Virtutis adipiscenda compendium* 312
*Virtutis de seipsa testimonium est omnium firmissimum* 5
*ad Virtutem adipiscendam voluntas vel sola sufficit* 72
*Virtutem vnam habens, omnes habet, quanquam diuersis gradibus* 100
*quenam Virtus maxime laudabilis* 217
*Virtutes diuinæ quenam* 367
*Virtutes fœminis ac viris communes quenam* 203
*Virtutum instrumenta, diuitiæ & potentiæ* 318
*Virtutes inter se prudenti temperatura conjungendæ* 101
*Virtutes morales magis sunt in admiratione populi, quam diuinæ* 367
*Virtutes quædam virum naturæ hominibus indite* 286
*Virtutes vitiorum coloribus inficiuntur* 34
*Virtutum aurea catena* 292
*Virtutum semina in animis nostris sepulta* 287
*Vis pro voluntate, voluntas pro ratione* 283
*Vitæ conditio in vnius viri arbitrium mittenda* 363
*Vitæ ratio securissima quæ* 142
*Vitia nunquam dispendio, dolore, ignominia vacant* 284
*Vitia tollere est virtutũ riuulos exhaurire* 97
*Vitia virtutum nominibus designantur* 34
*Vitia virtutum nominib. appellantur* 374
*Vitiorum mater ignorantia* 299
*Vitiorum virtutumq; accurata discretio è Philosophia petenda* 374
*Vituperium & laudem vnusquisq; ex animi affectionibus metiri solet* 33
*Vlysses & Achilles, humanæ vitæ exemplaria* 319
*ex Vngutb. leonẽ cognescimus* 52
*Vnitas non facit numerum* 248
*Vocis humanæ vsus* 390
*Vocis moderatio qualis esse debeat in loquendo* 60
*Vsum antiquarum vsus an & quando licitus* 53



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778428311/phys_0432
DFG

*Voluntas* vnde oriatur 324
*Voluntatem* multi in impossibilibus defixam habent 206
*Voluptas* sincera quæ 282
*Voluptates* quid commendet 95
*Voluptatum* illecebræ plures in Orbibus quam alibi 382
*Voluptarium* manet egestas 382
*Vrbanitas* seu festinitas quid 143
*Vrbinense* palatium 19
*Vrbes* cur obæratis & decoctoribus abundent 382
*Vrbini* descriptio 19
*Vsus*, quam ratio, majoris momenti 18
*Vulgus* amicitias vtilitate probat 353
*Vulgus* primis magis quam postremis mouetur 102
*Vulgi* rerum omnium præmatura satietas 106
*Vultus* tetricus ipsis sapientiæ professoribus displicuit 395

X.

*Xenocratis* continentia 237
de *Xenocratis* continentiæ judicium 244
*Xenocrati* multorum scriptis vinolentia tribuitur 244

Z.

*Zelotypia* injusta 268
*Zenobia* 235
*Zeuxis* 588

FINIS.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778428311/phys_0433
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn778428311/phys_0434
DFG

*magnifici domini appellari* 378
*Venetorum Reſpubl. optime mo-rata* 278
*Venetorum Veſtitus* 125
*Venus ſtella, dulciſſima cæli gu-bernatrix* 347
*Veneris armata templum* 228
*Venerem nonnulli Veneficijs au-gent* 239
*Verba ſuam habent tum juuen-tutem, tum ſenectutem* 63
*Verba ſine ſententijs ſunt corpus ſine anima* 59
*Verecundia honorum mala ſuf-fragatrix* 118
*Verecundia quomodo (ſecundũ fabulas) in mundum intro-ducta* 286
*Vergilius hominibus ſui ſeculi non totus Romanus in ſermo-ne viſus* 62
*Veritas ſimplex, error contra multiplex* 313
*Veritas natura recondita* 34
*Veritati nonnunquam parcen-dum* 142
*Veſtes ſplendidi coloris triump-his aptiores* 125
*Veſtis virum indicat* 126
*Veſtiũ ſplendor ſuperbiam cor-dis non neceſſario coarguit* 393
*Veſtibus nigri aut fuſci & ſub-obſcuri coloris aptiſſimi* 125
*Veſtitus corporis & ingenij fa-bricam ſequitur* 207
*quinam Veſtitus ſtultum aut*
*ſcu* 25
*Veſtit* 124
*Veter* *ua nun-*
*qu* *rint* 386
*Vetu* *ſtas* 55
*Viola* *em:* 107
*Virgi* *lingua*
*no* 59
*Virgi* *ers* 56
*Virgil* *is quam*
*imi* 56
*Virgil* *erbare-*
*pue* 59
*Virgin* *exem-*
*pla* *241.242*
*Virgin* 216
*Virgin* *ana ca-*
*ſtra* 247
*Virgin* *ar* 246
*Virſor* *ria com*
*para* 213
*Viri ca* *lio pro-*
*ſequ* *us pri-*
*mus* 213
*Viri li* *ulieres,*
*amo* 256
*Viri no* *rei pe-*
*ricu* 216
*Viri Gi* *reſtan-*
*tiore* 210
*Virũ fo* *, calo-*
*ris a* *r* 214
*Virorũ* *li* 236
*Virilis* *) longe*
*optin* 110
*Viris ſa* *grate*
*ſump* 266

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778428311/phys_0441
DFG